H
46

Fa C 4469

164
D

S 298

# ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS VINDICIÆ ADVERSUS CAROLI FEVRETI, ET ALIORUM TRACTATUS DE ABUSU,

SUSCEPTÆ

Ab ANTONIO DADINO ALTESERRA, *utriusque Juris Professore, & Decano Universitatis Tolosanæ.*






*Amictis, & ventum*

PARISIIS,

Apud NICOLAUM DEVAUX, Bibliopolam viâ Jacobæâ, sub signo Providentiæ.

M. DCC. II.

19223

*Cum Privilegio Regis & Approbatione.*

# VINDICIÆ
## ADVERSUS
## ALIORUM TRACTATUS





# PRÆFATIO.

EN prodit in lucem opus posthumum Dadini Alteserræ Jurisconsulti Tholosani, viri scientiarum ferè omnium subsidiis instructi, & scriptis quæ in Jus Civile & Canonicum publici juris fecit commendabilis. Desiderabatur jamdiu hoc opus, quod vir eximius scripserat ad tuendam jurisdictionem Ecclesiasticam, multis in locis labefactatam à Carolo Fevreto, in Tractatu suo de Abusu. Novitas operis multos habuit comprobatores, licet reverâ aliqua sine delectu & autoritate fuerint adinventa, quæ jus Ecclesiasticum poterant subvertere.

Clerus Gallicanus existimavit adhibendum esse virum antiquitatum Ecclesiasticarum peritissimum, qui partes suas tueri posset. Eminebat in

Clero illuſtriſſimus Franciſcus de Harlai tunc Rothomagenſis, poſtea factus Archiepiſcopus Pariſienſis, vir nobilitate & claritate generis conſpicuus, ingenii perſpicaciâ & ſagacitate, necnon morum humanitate omnibus gratus: ipſum ſcientiarum & benevolentiæ vinculum devinxerat cum Dadino Alteſerrâ, quem ſæpiùs in rebus arduis conſulebat, & inter eos viciſſim elucebat & eruditio & ingenii felicitas conſulentis, & reſpondentis ſagacitas & prudentia.

Sæpiùs Alteſerram hortatus eſt Harlæus ut Fevretio reponeret, quia ad id operis ſuſcipiendi neminem promptiorem & paratiorem noverat; & hoc modo de Religione, de Eccleſiâ, de Clero Gallicano benè ipſum meriturum confidebat.

Denique ut faſta Comitiorum Cleri Gallicani teſtantur, Eminentiſſimus Cardinalis d'Eſtrées tunc Epiſcopus Laudunenſis, Dux & Par Franciæ, poſteâ purpurâ Cardinalitiâ decoratus ſub Clemente Decimo, ſcripſit Alteſerræ, ut munus illud ſuſciperet: non incongruum videtur hic inſerere Epiſtolam Gallicanâ Linguâ exaratam, ne quid elegantiæ deperderet, ſi in alienam verteretur. Deindè tanti viri laus & concepta opinio de Alteſerra non erit levioris ponderis ad ſignificandum quantùm exiſtimatio autoris apud ipſum valeret. Verba Epiſtolæ hæc ſunt.

MONSIEUR,

L'Assemblée generale du Clergé, qui n'ignoroit pas déja vôtre merite & vôtre profonde capacité, a appris avec beaucoup de joye que vous avez plusieurs memoires & des matieres digerées, dont vous pouvez en peu de temps former une réponse au Livre de l'Abus de Fevret, qu'elle juge, aussi bien que vous, fort préjudiciable à la Jurisdiction & à la Discipline de l'Eglise. Elle a si bien receu cet avis qu'elle m'a ordonné d'en remercier Monsieur l'Abbé du Ferrier de sa part; & quoiqu'elle ne croye pas que vôtre zele ait besoin d'estre excité à un travail auquel vôtre gloire particuliere ne doit pas moins vous porter que l'interest de l'Episcopat; elle a crû toutesfois qu'elle devoit non seulement vous convier à l'entreprendre, mais même vous en presser. La fâcheuse experience qu'elle a fait depuis qu'elle subsiste, luy persuade que le mal qu'elle souffre par les Juges seculiers demande de forts & prompts remedes, & que celuy qu'elle attend de vos soins & de vôtre suffisance, ne doit pas estre differé. Elle ne doute pas aussi, que les Assemblées qui la suivront, n'estiment autant qu'elle fait vos talens & vos services, & n'ayent la même disposition à les reconnoître. Pour moy je m'acquite tres-volontiers de l'or-

„ *dre qu'elle m'a donné ; & je vous assure que je*
„ *n'entre pas seulement dans ses sentimens comme un*
„ *des Deputez, mais par la connoissance & la consi-*
„ *deration particuliere que j'ay pour vôtre vertu.*
„ *Je suis, &c.*

L'Evêque de Laon.

Paruit votis & desideriis Cleri Gallicani, & munus suscepit, & multâ curâ & diligentiâ perfecit. Non diffitendum est tamen viro Doctissimo illud contigisse, quod plerumque evenit iis qui partes contrarias suscipiunt ; scilicet ut dum alium impugnare aggrediuntur, partes contrarias tuendo, aliquando in extremum declinent, & durioribus terminis sensus suos exponant.

Unde monendus est Lector, ne existimet omnia quæ in hoc opere reperiuntur, esse consona juri quod inconcussè servatur in Galliâ & Curiæ placitis stabilitum est. Pareant manes tanti viri ; sed aberravit aliquando à Praxi fori Gallicani, vir antiquitatis potiùs quàm praxis forensis studiosus. Quod mirum non videri debet, quia vir doctissimus scientiam ferè suam omnem hauserat tum ex Decretalibus, tum ex Canonistis, qui nimium Jurisdictioni Ecclesiasticæ indulserant. Certè si priscæ

Eccleſiæ naſcentis tempora inſpiciamus, cùm ex Præcepto Apoſtoli, lites inter Chriſtianos forent potius amicabiliter componendæ quàm ad ſtrepitum judiciorum deducendæ, quia nondum Imperatores aut Principes fidem Chriſtianam ampli exerant; certum eſt controverſias ferè omnes inter Chriſtianos apud judices Eccleſiaſticos delatas fuiſſe, & eorum judicio diremptas fuiſſe. Unde ſub Chriſtianis Imperatoribus, jus quod ex compromiſſo partium & ſubjectione voluntariâ exercuerant viri Eccleſiaſtici, in pleriſque retinuerant. Sed paulatim imminutis formis judiciorum, judices Laïci liberum juriſdictionis ſuæ in Laïcos exercitium, reaſſumpſerunt. Tamen judices Eccleſiaſtici faventibus Imperatoribus & Regibus Chriſtianis, in certis caſibus, in quibus vel conſcientia, vel morum diſciplina ſecundùm Canones lædi videbatur, ſuam juriſdictionem ſervaverunt. Unde non eſt cur notetur Dadinus Alteſerra, ſi juri, vel potius conſuetudinibus antiquis Eccleſiæ inhærens tenaciter, nec ultra progreſſus, multa in hoc opere aſſeruerit, quæ mutata ſunt in foro, utilitate ita ſuadente. Tamen ne inde aliqui ſibi fingant hanc in judiciis etiam Eccleſiaſticis formam eſſe ſervandam, & ne inde aliqui anſam controvertendi quod nunc uſu contrario introductum eſt accipiant, viſum eſt notare aliqua, quæ poſſint aliquos juris noſtri tenaces offen-

dere, quæ ad calcem hujuſce præfationis ſubjungere curavimus. Poterant hęc in manuſcripto obliterari & revera pleraque delenda & obliteranda fuiſſent; ſed viſum eſt opus Alteſerrę integrum exhibere, ne mutilum & mancum in aliquibus videretur, quia in pleriſque virorum Doctiſſimorum & clariſſimorum Bibliothecis hujuſce manuſcripti exemplum invenitur, nec non in Bibliothecâ Regiâ: unde parcendum fuit in pleriſque autori, cujus fama non ſolum in Gallıâ, ſed etiam apud exteros inclaruit. Non mirum ſi ſenſus ſuos, quos ex Jure Canonico & Decretalium jure hauſerat, expoſuit cum zelo acriori & ſæpius duriori, ad Juriſdictionem Eccleſiaſticam, quam ex profeſſo tueri aggreſſus eſt, propugnandam. Certum eſt noſtris moribus Juriſdictionem Eccleſiaſticam, quæ cum ſtrepitu judiciorum exercetur, certis finibus coarctari ex Conſtitutionibus Regiis. Et ſanè fatendum eſt Alteſerram, ſi pauca excipias, non dogmaticè, ſed hiſtoricè ſcripſiſſe, & reconditioris antiquitatis ſecreta reſeraſſe; unde ne quis offenſionis cauſam habeat, non Liber iſte proponitur tanquam dogmaticus, ſed potiùs hiſtoricus, qui quoad praxim cum delectu legendus eſt; quia ſæpiùs Authors ſuas partes quas ſuſcepit ſtilo & verbis acrioribus tuetur. Sed qui uſum Fori Gallici habent, facilè diſcernent quæ diſcernenda paſſim occurrunt. Unde

de non timendum eſt, ut aliqui inde arripiant occaſionem impugnandi ea quæ longo uſu & inveterata conſuetudine firmata ſunt, tum Edictis Regiis, tum Senatuſconſultis, quorum apud nos ſumma eſt autoritas & reverentia.

*Sequuntur ea quæ præcipuè notanda occurrunt.*



# NOTÆ IN PRIMAM PARTEM.

*Pag.* 7. Asserit Jurisdictionem Ecclesiasticam esse juris divini, quod quidem intelligendum est de Jurisdictione Ordinis, non verò de Jurisdictione contentiosa, quæ certis limitibus coarctatur, pro regionum more & consuetudine.

*Pag.* 43. Author acriùs invehitur in usum appellationum tanquam ab abusu, *quas subsidiarium & ultimum remedium appellat, quod alio deficiente datur*: quod quidem debet cum aliqua modificatione subintelligi; scilicet ut Clerici vix debeant ad forum laïcum recurrere; sed cùm Judices Ecclesiastici suâ abutuntur Jurisdictione, recursus ad Curias Parlamenti debet censeri remedium ordinarium.

*Pag.* 45. *cap.* 3. Asserit *quòd si Episcopus nolit subditos ordinare, ii non possunt ordinari sine licentia summi Pontificis, vel sine Litteris dimissoriis proprii Episcopi causam rationabilem continentibus*, propter quam ipsum nolit vel nequeat ordinare, *cap.* 10. *de temp. ordin. in* 6.

Re verâ caput primum de tempor. ordin. in 6. illud innuit, & Autor fretus hac Decretali, quæ est Constitutio Clementis IV. data anno 1190. videtur assentire sensui hujus Constitutionis, licèt re verâ in Galliâ ordinatio censeatur esse voluntariæ Jurisdictionis, & non sit locus devolutioni in casum denegatæ ab Episcopo Ordinationis; tamen in patria obedientiæ hoc adhuc servatur: scilicet si aliquis Clericus sit arctatus ratione Beneficii ad promotionem ad Ordines sacros, & recuset Episcopus ordinare, tunc summus Pontifex brevi commonitorio ab ipso causas recusationis expostulat, & si renuat sine causa, alteri Episcopo ordinationem delegat.

*Pag.* 47. Rectè dicit: *Audio nuper tacito Senatusconsulto deliberatum ab uno è nobilioribus Galliæ Ordinibus, ut si Ordinarius per trinam requisitionem recusaret conferre Ordines, vel Litteras dimissorias dare ad Ordines assumendos ab alio Episcopo.*

Re verâ nullum ejusmodi Senatusconsultum reperitur, & idcircò consultè usus est verbo, *Audio*.

*Pag.* 57. *cap.* 6. Contendit Abbatem exemptum non teneri professionẽ edere Episcopo; sed tenetur saltem professionem reverentialem edere, cùm illa professio non præjudicet exemptioni.

*Pag.* 72. Autor arctiùs inhærens Jurisdictioni Ecclesiasticæ contendit non rectè appellari tanquam ab abusu, à collatione facta Beneficii; quam quidem sententiam licèt tueatur autoritate legum, tamen usus invaluit, ut liceat appellare tanquam ab abusu à collatione facta ab Ordinario, si contrà jus Patronorum, & maximè Laïcorum, aut contra leges Regni expedita fuerit, & formæ Juris neglectæ fuerint, quia eo casu appellationis tanquam ab usu remedium debet censeri ordinarium.

*Pag.* 85. Asserit Episcopum in cursu visitationis non posse judicialiter cognoscere de vita & moribus Clericorum, & non posse ipsos punire pœnâ ordinariâ, sed mitiori. Quod quidem subaudiendum est de processu summario & sine forma judiciorum; quia si velit Episcopus pro urgentia nego-

tii proceſſum inſtruere, illud poteſt, & ſtatuere pœnas ordinarias.

*Pag.* 96. Sub medium, videtur innuere, ritus Eccleſiæ Romanæ præferendos Eccleſiæ Metropolitanæ. Quod intelligendum cum reſtrictione, quia tutius eſt, ut ritus iidem in Provincia Eccleſiaſtica obſerventur, præcipuè ſi conſentiant Suffraganei Epiſcopi.

*Pag.* 126. *&* 127. Autor parùm attentus ad Praxim forenſem hodiernam, quæ uſu invaluit, contendit, quod ubi Judex ſæcularis pronuntiavit ſuper poſſeſſorio Beneficii, adiri poſſit Judex Eccleſiaſticus ſuper petitorio: quod hodie in Gallia obſoletum eſt; quia ubi poſſeſſorium plenè judicatum eſt, non ampliùs licet adire Judicem Eccleſiaſticum ſuper petitorio.

*Pag.* 129. Malè interpretatur effectum miſſionis in poſſeſſionem, quæ conceditur à Judicibus ſecularibus in caſu denegatæ juſtitiæ ab Epiſcopo, quia illa miſſio in poſſeſſionem fit ad conſervationem Juris, nec ſub eo prætextu licèt proviſo, ſe immiſcere in functiones merè ſpirituales. Et ita ſtatutum eſt Edicto regio menſis Aprilis anni 1675. ſuper Juriſdictione Eccleſiaſticâ lato, articulo 7.

*Pag.* 135. Videtur innuere cognitionem de Portione congrua Rectorum Eccleſiarum Parochialium uſurpatam fuiſſe à Judicibus ſecularibus; quod quidem verum non eſt. Nam cùm agatur de reditu merè temporali, cognitio pertinet ad Judicem regium.

*Pag.* 153. Aſtruit editionem librorum hæreticorum non eſſe caſum regium ſeu privilegiatum, quod ſanè interpretatione indiget: quia reverâ Epiſcopi poſſunt interdicere uſum librorum hæreticorum; ſed quoad ſuppreſſionem ejuſmodi librorum, maximè pertinet ad Magiſtratus regios, penes quos eſt Politia exterior.

Idem ſentiendum eſt de ſortilegis, de quibus autor diſſerit, *pag.* 156. qui quidem ſi ſint fori Eccleſiaſtici ratione Clericatus poſſunt quidem puniri à Judicibus Eccleſiaſticis, vocatis Judicibus regiis pro crimine privilegiato; ſed ſi ſint laïci, cognitio ſortilegii rectè pertinet ad Magiſtratus regios.

Quoad crimen ſacrilegii de quo diſſerit *pag.* 159. *&* 160. diſtinguendum eſt inter pœnas canonicas & eas quæ reſpiciunt vindictam publicam propter ſcandalum. Nam re verâ Judex Eccleſiaſticus aut Epiſcopus poteſt punire ſacrilegos viâ excommunicationis, aut depoſitionis ſi ſint Clerici, ſed Judex Regius poteſt eoſdem ſacrilegos punire pro modo delicti, & etiam ipſos damnare ad mortem, ſi crimen ſacrilegii commiſſum fuerit cum gravi ſcandalo.

Eadem diſtinctio adhibenda circa interturbationem Sacrorum, de quâ author diſſerit *cap.* 70. *pag.* 161. nam revera Epiſcopus poteſt excommunicare eos qui tumultus excitant in Eccleſiâ, ſed Magiſtratus Regii cognitio eſt ut ſcandalum, ſi quod ſit, reparari curet animadverſione adhibita contra reos.

Idem intelligendum de Uſuris, de quibus Judex Regius poteſt & debet cognoſcere; cum Uſuræ non ſolum prohibitæ ſint jure Canonico, ſed etiam conſtitutionibus Regiis. Ita intelligendus eſt autor. *Pag.* 162. *&* 163.

Quoad cognitionem adulterii, de quâ author diſſerit, *pag.* 165. *&* 166. eadem interpretatio debet fieri. Reverâ Clericus poſtulatus propter crimen adulterii poteſt conveniri apud judicem Eccleſiaſticum: ſed debet vocari judex Regius, quia agitur de crimine Privelegiato, quod aliquando pœnam meretur, ſi crimen probatum fuerit.

Autoris ſententia omnino in eumdem ſenſum deflectenda circa cognitionem concubinatûs, homicidii, blaſphemiæ, perjurii, injuriarum in Clo-

ricos, & cæterorum criminum, de quibus potest cognoscere judex Ecclesiasticus circa Clericos; sed semper adhibitis Magistratibus Regiis, propter scandalum quod Politiam publicam lædit, & debet manuteneri à judicibus Regiis. Et hoc servatur ex Edicto Melodunensi & Constitutionibus Regiis anni 1678. & 1684.

Reverâ, ut refert autor *P.* 180. Simeon Dolive asserit loco citato cognitionem homicidii sui ipsius à Presbytero commissi remissum fuisse ad judicem Ecclesiasticum; sed nusquam in Senatu Parisiensi illud locum habuit, quia cùm mors omnia solvat, non ampliùs habetur ratio caracteris; & ideo si Clericus violentas in se manus adhibuerit, & mors subsequuta fuerit, vindicta hujusce criminis pertinebit ad Magistratus Regios, etiam *privativè ad judicem Ecclesiasticum.*

Quoad incestum & alia crimina, de quibus author differit *p.* 191. *&* 192. & aliis sequentibus, advertendum est omnia fere crimina, exceptis perduellionis & læsæ majestatis, hodie quoad Clericos in sacris Ordinibus constitutos, esse Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quia atrocitas criminis non tollit exceptionem fori; sed hoc adhibito modo, ut judex Regius adhibeatur, ut cognitionem habeat criminis simultaneè, & processum separatim instruat & sententiam ferat: quâ latâ, judex Regius sententiam suam executioni mandari jubet, ubi supremo judicio firmata fuit. Hoc ita observatur in Galliâ ex Constitutionibus Regiis. Unde differentiæ adhibitæ ab autore, circa crimina mixta & alia, in quibus locus est præventioni judicis, prorsus sunt inutiles quoad ea in quibus publicus status lædituir, & vindicta publica adhiberi debet; quia illa crimina sunt mixti fori, nec præventio judicis Ecclesiastici excludit cognitionem judicis sæcularis & Regii, quin immò debet vocari & adhiberi.

*Pag.* 206. Asserit separationem tori inter conjuges esse fori Ecclesiastici; quod quidem distinguendum est: scilicet si agatur principaliter coram judice Ecclesiastico, de fœdere matrimonii, poterit incidenter & lite pendente, de separatione tori statuere; sed principaliter non cognoscit judex Ecclesiasticus de separatione tori, puta propter sævitias mariti, vel alias causas à jure approbatas.

*Pag.* 211. Fallitur dum dicit judicem Ecclesiasticum competentem & idoneum esse de matrimonio impuberum quia occurrit quæstio facti, immò quæstio merè facti non pertinet ad judicem Ecclesiasticum.

*Pag.* 217. Et toto capite an judex Ecclesiasticus cognoscat de rationibus matriculariorum, & præcipuè sub finem, acrius invehitur in jurisdictionem Laïcam, & parum cautè damnat consuetudines fori, quas malè corruptelas vocat, quod quidem inconsideratiùs elapsum fuit.

*Pag.* 225. Licet autor opinionem suam tueatur circa concessionem monitoriorum, tamen praxis fori Gallici invaluit, ut judex Ecclesiasticus non possit denegare monitoria, si causa visa fuerit necessaria judici laïco, ad elucidationem veritatis, & edicto mensis Aprilis anni 1695. Rex satis providit ne judices sæculares concederent facultatem obtinendi monitoria à judice Ecclesiastico, nisi propter crimina atrociora & scandala publica: sed non debet judex Ecclesiasticus inquirere super eo quod visum fuerit judici laïco, cujus in hisce partibus debet juvare jurisdictionem, propter mutuam concordiam Jurisdictionis Ecclesiasticæ & sæcularis, unde sibi mutuam opem debent Judices Ecclesiastici & Regii.

*Pag.* 231. Reſtringenda aut potius omnino delenda eſſent verba quibus conqueritur de ſublatâ cognitione judicibus Eccleſiaſticis legatorum piorum.

Idem dicendum de eo quod ſcribit *Pag.* 233. circa actiones funerarias, quarum cognitio rectè pertinet ad judices Regios.

*Pag.* 235. autor aſſerit Epiſcopis competere cenſoriam Juriſdictionem in magiſtratus ; quod quidem intelligendum eſt cum limitatione & reſtrictione: quia ſi intelligat quod illa cenſoria juriſdictio poſſit exerceri ratione officii, ſane illud repugnat moribus noſtris & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ; ſed ſi magiſtratus ſectetur ut perſona privata, nec agatur de functionibus ſui officii, poteſt ſubjacere Cenſuris Eccleſiaſticis.

*Eadem pag.* Sub finem Autor fretus autoritate Synodi Arelatenſis exiſtimat magiſtratus olim propter exercitium capitalium judiciorum debuiſſe accipere litteras communicatorias ab Epiſcopis ; ſed malè interpretatus eſt author ſenſum Concilii Arelatenſis, ut rectè colligere licet ex notis Gabr. Albaſpinei ad hunc canonem. Qui impenſius Eccleſiaſticæ juriſdictioni favere viſi ſunt, ut Severinus Binius & alii quos Albaſpineus merito refellit, huncce canonem ſanius de hæreticis aut ſchiſmaticis qui ad magiſtratus evehebantur, intelligendum eſſe cenſuerunt ; nam nemini in mentem venire debet magiſtratui, eo ipſo quod magiſtratus titulo inſignitus erat, communione eſſe interdicendum, donec accepiſſet litteras communicatorias ab Epiſcopo.

*Pag.* 242. Inconſultius aſſerit id quod volunt hodie judicem Eccleſiaſticum teneri in ordinatione litium legibus & formulis fori ſæcularis magis ex præſumptione judicum quam ex jure proficiſci. Quia ſanè formulæ judiciorum pertinent ad Politiam externam, quæ ſpectat ad Principes ſæculares.

*Pag.* 262. Non deberet ita mordaciter invehi contra juriſdictionem ſæcularem contra Clericos, quia quælibet juriſdictio ſuos habet fines & limites.

*Pag.* 267. Nimis acriter contendit judicem ſæcularem non poſſe injungere judici Eccleſiaſtico ut excommunicatum abſolvat ad cautelam, quod quidem cum aliquâ modificatione intelligendum ; quia ſi quis gravatus ſententiâ excommunicationis contra ipſum latæ, ab illa appellet tanquam ab abuſu, Senatus poteſt proviſoriè ordinare, ut excommunicatus abſolvatur ad cautelam, prout ſtatuitur art. 36. Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, nec ullum affertur præjudicium autoritati Eccleſiæ, quia beneficium abſolutionis ad cautelam pendet ab Epiſcopo, cujus in hac vice Senatus excitat autoritatem, quia gravatus non debet permanere innodatus vinculo excommunicationis quouſque cauſa juſta videatur propter quam excomunicatio lata eſt, & ſi injuſta viſa fuerit beneficium abſolutionis non debet denegare Eccleſia.

*Pag.* 271. *cap.* 14. Diſtinguit duplicem juriſdictionem in Epiſcopis, ſcilicet ordinariam & delegatam : ſed in Galliâ Epiſcopi non utuntur illâ juriſdictione delegatâ, cum jure ſuo & ordinario intendant ea omnia exequi quæ ipſis competunt ſecundùm antiquos canones, & non agunt tanquam delegati, niſi occaſione mandatorum ſpecialium, ut in ſpecie Unionum, reſtitutionis contra Promotiones ad Ordines, & vota Regularia cæteraque alia ſimilia.

*Pag.* 274. Videtur innuere à juriſdictione temporali Epiſcopi non appellari ad Principem ; ſed hoc tantum hiſtoricè ſcribit : nam faretur poſtea, *pag.* 275. ſubſequenti, illud in Galliâ

non obtinere ex constitutione Philippi Pulchri.

*Pag.* 281. Debebat parcere zelo quem ubique exhibet in tuenda jurisdictione Ecclesiasticâ, & oblitteranda essent illa verba quibus appellationes tanquam ab abusu vocat lethale telum & scopulum jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Idem dicendum esset de eo quod scribit *Pag.* 291. sub finem, nec non de eo quod acriùs scribit *Pag.* 296. *cap.* 8. lineâ tertiâ, ubi dicit appellationes tanquam ab abusu machinis sæcularium judicum adinventas fuisse.

*Pag.* 297. Infelicem exitum notat appellationum ad futurum Concilium, vel ad Papam melius consultum, sed non est metiendus usus hujusmodi appellationum ex eventu, quia aliquando præstat uti hoc remedio in casu gravaminis notorii.

*Pag.* 300. In principio, lineâ tertiâ, stilo suo invehitur in usum appellationum tanquam ab abusu, quas noviſſimum & subsidiarium remedium appellat, licèt sæpiùs notatum fuerit hunc usum esse remedium ordinarium.

Sub finem ejusdem paginæ inconsultè asserit infractionem principalium Constitutionum non esse idoneam causam appellationis tanquam ab abusu; nam quotiescumque infringuntur Constitutiones Regiæ à Judicibus Ecclesiasticis, locus est appellationi tanquam ab abusu; quia Judices Ecclesiastici in judiciis exterioribus tenentur legibus fori.

*Pag.* 305. Atrociùs exclamat contra forenses qui appellationes tanquam ab abusu perorant apud Senatum, & sanè consultiùs debebat abstinere ab hisce improperiis, quæ viro Jurisconsulto non debebant elabi.

*Pag.* 319. Malè asserit Jurisdictionem Primatis esse merè voluntariam, & ad Sedem Apostolicam posse appellari omisso Primate, quod quidem moribus nostris repugnat.

*Pag.* 324. Asserit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis non posse destituere Officialem Episcopi, Sede Episcopali vacante, quod quidem contrario usu in Gallia obtinuit; nam cùm Capitulum succedat in exercitio Jurisdictionis Episcopalis, ad ipsum pertinet, Sede Episcopali vacante, destitutio & institutio Officialium, qui quidem possunt removeri aut revocari ab officio, modo illa revocatio non fiat cum aliqua nota, quæ importet infamiam, aut suspicionem delicti, quia aliter destitutio deberet fieri viâ juris servatâ.

---

# NOTÆ IN SECUNDAM PARTEM.

*Pag.* 9. *secundæ Part. cap.* 3. Historicè notat Judicem Ecclesiasticum habere aliquam coërcitionem & posse verberibus & cruciatibus punire Idolorum cultores & sacrilegos, quod in Gallia non obtinet.

*Pag.* 11. Idem asserit & eadem ratione, circa torturam per quæstionem; quod etiam non servatur in Gallia.

*Pag.* 17. Ubi loquitur de Litteris communicatoriis, quas magistratus debebant accipere ab Episcopis, jam notatus est Canon Concilii Arelatensis, quomodo debeat interpretari.

Quod *Pag.* 33. allegat de Henrico V. sanè historicè accipiendum, quia melioribus temporibus Ecclesiæ, Principes cùm habeant suum regnum & imperium à Deo, non possunt ab ulla potestate in terris removeri à regimine subditorum, qui debent ipsi obedire. Si dogmaticè illud scripsisset, sanè

avellenda fuisset omninò pagina.

*Pag.* 54. Verùm non est definitionem quæstionum fidei & depositionem aut restitutionem Episcoporum omnino reservatam esse Sedi Apostolicæ, quia hæc possunt competere Episcopis, aut Comprovincialibus in Synodo Provinciali congregatis; hæc assertio Authoris nimium indulget Sedi Apostolicæ.

Idem notandum *cap.* 2. *pag.* 56.

*Pag.* 58. Malè innititur Can. Convenior, quæst. 8. ad astruendum decisiones fidei ad solam Ecclesiam Romanam pertinere, quia ille Canon nihil simile astruit.

*Pag.* 60. Hoc historicè accipiendum, nam Clerus Gallicanus meritò contendit depositionem Episcoporum pertinere ad Comprovinciales Episcopi.

*Pag.* 61. Sub finem non debebat simile exemplum afferre in signum depositionis Episcopi, circa id quod contigit ratione depositionis Pauli Samosateni Antiocheni Episcopi.

*Pag.* 83. Asserit Exemptum non posse compromittere vel transigere de Privilegiis Ecclesiæ suæ sine licentia summi Pontificis, quod sanè moribus nostris repugnat.

*Pag* 94. Asserit solum summum Pontificem posse concedere facultatem de promovendo à quocumque Episcopo, quæ opinio jam superiùs notata est; nam & moribus nostris solus Episcopus, cui Clericus subjectus est, tales dispensationes potest concedere.

*Approbation de* M^e LE VAILLANT, *Ancien Avocat au Parlement.*

JE certifie avoir lû un Manuſcrit, par ordre de Monſeigneur le Chancelier, intitulé *De Juriſdictione Eccleſiaſticâ tuendâ adverſus Tractatum de Abuſu.* (Il contient 496. pages que j'ay cotées.) Bien que l'Autheur en pluſieurs endroits ſe ſoit expliqué avec des termes trop durs, & qu'il ait avancé quelques propoſitions contraires à nos uſages; neanmoins j'ay crû qu'il ne faloit pas priver le Public de la lecture d'un Ouvrage qui eſt plein d'érudition, & qui ne deshonore pas la memoire de l'Autheur; & qu'il ſuffiroit dans une Preface d'avertir le Lecteur des endroits qu'il auroit eſté à propos de retoucher ou de retrancher. Fait ce vingt-ſixiéme Septembre 1702.

A. LE VAILLANT.

INDEX

# INDEX CAPITUM

## IN HOC VOLUMINE CONTENTORUM.

## LIBER PRIMUS.


CAPUT I. EPISCOPI *habent propriam Jurisdictionem, quæ vindicatur contra Cujacium. Cur Episcopos Jurisdictione non carere expedit,* pag. 1

CAPUT II. *An Jurisdictio Ecclesiastica sit juris divini,* 5

CAP. III. *Jurisdictio Ecclesiastica distincta à civili. Una alteram tueri debet,* 8

CAP. IV. *Munus Principis est tueri Ecclesiam,* 10

CAP. V. *Principum & Magistratuum est tueri Jurisdictionem Ecclesiasticam: illa minimè suspecta Regibus,* 13

CAP. VI. *Status jurisdictionis Ecclesiasticæ, ab Apostolis usque ad Constantinum,* 16

CAP. VII. *Status Jurisdictionis Ecclesiasticæ sub Constantino. Constitutio Constantini ex L. 1. C. Th. de Episcop. judic. à falsi insimulatione vindicata adversùm Loyseum & Fevretum,* 17

CAP. VIII. *Varius Status Jurisdictionis Ecclesiasticæ sub Constantio & aliis Imperatoribus. Jurisdictio Præfecti urbi in Clericos,* 21

CAP. IX. *Jurisdictio Ecclesiastica ferè collapsa, restituta à Justiniano. Eadem incolumis sub Regibus Gothorum,* 26

CAP. X. *Status Jurisdictionis Ecclesiasticæ inconcussus sub regibus Francorum primæ stirpis,* 27

CAP. XI. *Status sacræ Jurisdictionis sub Carolo magno, & aliis Regibus secundæ stirpis. A Regibus imploratur mucro Episcopalis adversùs perduelles,* 30

CAP. XII. *Status jurisdictionis Ecclesiasticæ sub Ludovico Crasso, Ludovico Juniore, Philippo A. & D. Ludovico,* 32
CAP. XIII. *Status Jurisdictionis Ecclesiasticæ sub Carolo VI. Philippo Valesio, & Carolo VIII.* 35
CAP. XIV. *Varius status Jurisdictionis Ecclesiasticæ sub Regibus Anglorum,* 36

## LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. *UTraque Jurisdictio Civilis & Ecclesiastica; alia est voluntaria, alia contentiosa. Quæ sint jurisdictionis voluntariæ & contentiosæ.* 40
CAP. II. *Episcopalis Jurisdictionis est collatio Ordinum. An de meritis Ordinationis per appellationem tamquam ab abusu valeat cognoscere Judex secularis. Refutatur error Fevretij,* 42
CAP. III. *Ut liberæ sint ordinationes Clericorum. An in his quæ sunt ordinis admittatur devolutio, vel recursus,* 45
CAP. IV. *Ordinis Episcopalis est consignatio, seu confirmatio baptisatorum. Notatur error Vicecomitis,* 49
CAP. V. *Ordinis Episcopalis est consecratio Ecclesiarum & Altarium. Novus intellectus capit. 1. de religios. domib. Solemnia consecrationis Ecclesiarum. Ordinis Episcopalis etiam est confectio Chrismatis, benedictio Campanarum,* 51
CAP. VI. *Episcopalis Ordinis est benedictio Abbatum,* 56
CAP. VII. *Episcopalis Ordinis est velatio Virginum,* 59
CAP. VIII. *Ordinis Episcopalis est solemnis benedictio. Benedictio major & minor. Benedictionis vis & gratia,* 60
CAP. IX. *Episcopi est pœnitentia, id est pœnitentiæ publicæ impositio, & reconciliatio Pœnitentium. Pœnitentiæ publicæ modus. Ejus usus seriùs obsolevit. Ejusdem usus restitutus à Patribus Conc. Tridentini. Suadetur institutio pœnitentiæ publicæ,* 62
CAP. X. *Ordinis Episcopalis reconciliatio Ecclesiarum polluta-rum. Ritus reconciliationis* 67
CAP. XI. *Episcopalis Ordinis fuit Canonizatio Sanctorum. Quo tempore translata ad Summum Pontificem. Adhuc penes Episcopum est translatio Reliquiarum,* 96

CAP. XII. *Episcopalis Jurisdictionis est canonica obedientia, subjectio, & reverentia Clericorum. Solemnis præcursus Episcopis : relatio nominis Episcoporum in Diptycha Ecclesiæ : dies anniversarius Ordinationis Episcoporum,* 72

CAP. XIII. *Thronus Symbolum Jurisdictionis Episcopalis. An liceat Episcopo per se mutare sedem in Ecclesia. Fevretius reprehensus.* 66

CAP. XIV. *Episcopalis Jurisdictionis est institutio & destitutio Clericorum. De jure collatio Beneficiorum spectat ad Episcopum, ex consuetudine vel privilegio ad inferiores. Collatio facta ab Episcopo post jus devolutum ad Superiorem est nulla & irrita. An detur locus appellationi tamquam ab abusu : reprehenditur Fevretius. An collatio Beneficiorum devolvatur à Vicario ad Episcopum : notatur error Fevretij. Concursus Summi Pontificis in collatione Beneficiorum,* 69

CAP. XV. *Episcopalis Jurisdictionis est erectio Parochiarum. Justitiæ Ecclesiarum. Creatio dignitatum Ecclesiasticarum de novo est summi Pontificis,* 75

CAP. XVI. *Episcopalis Jurisdictionis est unio Beneficiorum. Unionis solemnia. Cur in unione non requiratur consensus plebis. Laudatur fides plebis.* 78

CAP. XVII. *Episcopalis Jurisdictionis an sit emendatio Ecclesiarum. Origo Commendarum. Earum usus damnatur,* 81

CAP. XVIII. *Episcopalis Jurisdictionis est lustratio Diœcesis. Visitatio præcipuum officium Episcopi. Visitanti Episcopo debetur procuratio. Visitatio non admittit cognitionem nisi summariam,* 84

CAP. XIX. *Legis Diœcesanæ est Synodus, id est, convocatio Synodi. Synodaticum & Cathedraticum. Modus Syndatici. Notatur Fevretius,* 87

CAP. XX. *Episcopi proprium munus est docere. Electio Prædicatorum an ad alios spectet quàm ad Episcopum. Notatur Fevretius,* 91

CAP. XXI. *Episcopi est institutio & emendatio sacrorum Rituum. An Episcopo liceat admittere Breviarium Romanum, non expectato consensu Metropolitani & Principis. Reprehenditur Fevretius,* 94

CAP. XXII. *In quibus dispensandi potestatem habeat Episcopus. Dispensandi ratio.* 98

CAP. XXIII. *Alienatio rerum Ecclesiæ non sine consensu Episcopi. An in ea desideretur consensus Principis. Alienationis causæ,* 100

## LIBER TERTIUS.

CAPUT I. *Jurisdictio correctiva Episcoporum. In quibus versetur. Modus hujusmodi Jurisdictionis,* 102

CAP. II. *Episcopus habet ordinariam Jurisdictionem in sua Diœcesi,* 106

CAP. III. *Episcopi Jurisdictio alia est Civilis, alia Criminalis Pecuniariæ causæ quæ sint. Martyrum judicium ejusque auctoritas.* 109

CAP. IV. *Clerici habent privilegium fori, cui renunciare non licet contra Fevretium. Peregrina judicia,* 112

CAP. V. *Clerici quibusnam casibus amittunt privilegiũ fori,* 115

CAP. VI. *Clerici sunt fori Episcopalis in actionibus personalibus, Civilibus, vel Criminalibus. Cur obnoxii publicis ratiociniis arceantur à sacris Ordinibus, malignè interpretatur Fevretius. An Clericis negotiari liceat victûs causâ, salvo privilegio fori,* 118

CAP. VII. *An Judex Ecclesiasticus cognoscat de actionibus in rem, & possessoriis. Quæstio feudi Laïci inter Clericos ad quem pertineat,* 121

CAP. VIII. *An causa possessorii Beneficiorum de jure spectet ad Judicem Ecclesiasticum. An eadem in Gallia ex lege Regni, vel consuetudine, vel Privilegio Apostolico spectet ad Judicem laïcum. An Judex Ecclesiasticus in petitorio possit ferre contrariam sententiam, ei quæ dicta est à Judice laïco in possessorio: Reprehenditur Fevretius,* 123

CAP. IX. *An Judex secularis cognoscat de adipiscenda possessione in Beneficiis Ecclesiasticis. An idem cognoscat de causis refutûs Litterarum quas vocant* Visa, *super provisionibus Pontificiis,* 128

CAP. X. *An Judex Ecclesiasticus cognoscat in Clericos de reliquis censûs, pensionis, vel reditûs constituti personali actione conventos. An Judices seculares tuti sint consuetudine de occupatione Jurisdictionis Ecclesiasticæ,* 131

CAP. XI. *An Judex Ecclesiasticus possit cognoscere de solutione pensionis beneficiariæ. Episcopis olim licuit imponere pensiones beneficiis certis de causis. Congruæ portionis cognitio an spectet ad Episcopum,* 133

CAP. XII. *An Judex Ecclesiasticus cognoscat de agnitione Chirographi. Actiones Chirographariæ sunt personales. Refellitur Fevretius,* 136

CAP. XIII. *An cognitio de sartis tectis Ecclesiarum spectet ad Episcopum,* 137

CAP. XIV. *Episcopi est ordines cuique constituere in Ecclesia,* 139

## LIBER QUARTUS.

CAPUT I. *JUrisdictio Episcopalis in Clericos in criminalibus. Hæc etiam ab Arianis defensa. Jurisdictioni Ecclesiasticæ in criminalibus modus impositus à Justiniano,* 143

CAP. II. *Distinctio criminum Ecclesiasticorum & Civilium. Unde cœpta ratio nominis delicti Communis & Privilegiati: Rejicitur maligna interpretatio Milletotij & Fevretij ejus sequacis,* 146

CAP. III. *Cognitio de causis Fidei & de Hæreticis pertinet ad Episcopum. Bugeres cur Heretici appellati. Ad Episcopum pertinet censura, & approbatio Librorum,* 149

CAP. IV. *Cognitio de Magis & Sortilegis spectat ad Episcopum. An Sortilegium ubi accedit maleficium, sit casus Regius. Crimen mixtum quodnam sit: Reprehenditur interpretatio Fevretij,* 154

CAP. V. *Judicis Ecclesiastici est cognitio de Simonia,* 157

CAP. VI. *An Judicem Ecclesiasticum spectet cognitio Sacrilegij. Notatur Fevretius,* 159

CAP. VII. *Sacrorum interturbatio est fori Ecclesiastici. Reprehenditur Fevretius,* 161

CAP. VIII. *Crimen usurarum est fori Ecclesiastici contra Fevretium,* 162

CAP. IX. *Adulterium est crimen Ecclesiasticum: Reprehenditur Fevretius. Variæ adulterij pœnæ. Mactari adulteros idem est quod virgis cædi: inde vernaculum,* Matter, 164

CAP. X. *Concubinatus in Clericis est fori Ecclesiastici. Refutatur captiosa interpretatio Fevretij.* 168

CAP. XI. *Cognitio Homicidij quoad Clericos pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, Notatur Fevretius. An idem in Veneficio,* 170

CAP. XII. *Blasphemia est fori Ecclesiastici. Refellitur Fevretius,* 172

CAP. XIII. *Judex Ecclesiasticus cognoscit de Perjurio. Refellitur Fevretius,* 173

CAP. XIV. *Causa Injuriarum in Clericos est fori Ecclesiastici. An idem in causa Libelli famosi,* 175

## LIBER QUINTUS.

CAPUT I. *CRimen mixtum est, de quo uterque Judex competens est, & in quo præventioni locus est. Reprobatur hîc perpetuus error Fevretij,* 177

CAP. II. *Crimen falsi in Litteris Apostolicis est fori Ecclesiastici,* 178

CAP. III. *Homicidium qualificatum est privilegiarium. Homicidium sui ipsius in Clerico fori est Ecclesiastici. Homicidium per monomachiam etiam est privilegiarium,* 179

CAP. IV. *Crimen Perduellionis olim in Episcopis & Clericis fori Ecclesiastici, desiit in privilegiarium quoad Clericos,* 181

CAP. V. *Vis publicæ seu portûs armorum cognitio spectat ad Judicem Regium. Pœna canis sellæ seu rotæ,* 184

CAP. VI. *Latrocinij quæstio pertinet ad Judicem regium. Idem cognoscit de Incendiariis,* 186

CAP. VII. *An Incestus spiritualis sit commune delictum, an privilegiarium. De stupro Vestalium judicium fuit penes Pontifices,* 188

CAP. VIII. *Incestus simplex & Sodomia sunt fori Ecclesiastici in Clericis,* 191

CAP. IX. *An quæstio Raptûs sit fori Ecclesiastici quoad Clericos,* 193

CAP. X. *Crimen falsæ Monetæ, & crimen falsi cujus sint fori,* 194

CAP. XI. *Infractio Salvæ-gardiæ Regiæ pertinet ad Juridicum Regium*, 196

CAP. XII. *Privilegiarij casus sunt offensio Magistratuum officio fungentium, & infractio regiarum Constitutionum*, 199

CAP. XIII. *Crimen conspirationis in Episcopos cujusnam sit fori. Genus criminis olim frequens in Gallia*, 201

CAP. XIV. *Venatio pro crimine. Privatis non licet forestam instituere sine consensu Principis. Castitia sunt casæ in sylvis custodiæ causâ*, 202

## LIBER SEXTUS.

CAPUT I. *De spiritualibus, Judicis Ecclesiastici cognitio est tiam in laïcos. Laici ne stent intra Cancellos. Incastellatio Ecclesiarum vetita*, 205

CAP. II. *Causæ Matrimoniales pertinent ad Episcopum; necnon causæ Divortij, & separationis thori.* 209

CAP. III. *An Judex Ecclesiasticus cognoscat de Matrimonio impuberum: Arguitur Fevretius, An idem cognoscat de dote & dotalitio. Moribus Francorum dos dicta ad fores Ecclesiæ*, 211

CAP. IV. *De Decimis in petitorio cognoscit Judex Ecclesiasticus, in possessorio Judex secularis. Bannus Episcopalis*, 213

CAP. V. *An Judex Ecclesiasticus cognoscat de causis Viduarum, Pupillorum, & aliarum miserabilium personarum. Notatio vocis*, Miserabiles. *An idem cognoscat de causis Pœnitentium, & de feudo inter Cruce signatos*, 215

CAP. VI. *An Judex Ecclesiasticus cognoscat de rationibus Matricul ariorum: Reprehenditur Fevretius. Matricularij unde assumpti*, 217

CAP. VII. *Quibus casibus de jure cognoscat Judex Ecclesiasticus in laïcos*, 220

CAP. VIII. *An Novatores Monitoria impetrare possint nomine Procuratoris fisci. An Ordinarius compelli possit à Judice seculari postulantibus Monitoria concedere. An à concessione Monitorij appellandum sit tamquam ab abusu: Profligatur Fevretius, & suis telis conficitur*, 224

CAP. IX. *An Episcopo liceat mutare modum sacri Servitij debiti ex facto, vel contractu inter Plebanum & Parochianos. Impugnatur Fevretius,* 226

CAP. X. *An Episcopus cognoscat de Jurejurando & Perjurio. Jusjurandum apponi solebat omnibus Contractibus,* 228

CAP. XI. *An Episcopus cognoscat de jure Patronatûs inter laïcos,* 229

CAP. XII. *Episcopus est executor Testamentorum & legatorum piorum. An cognitio de feudo eleemosynæ pertineat ad Episcopum. Notatio vocis,* Eleemosyna. *Legales homines quinam dicantur,* 230

CAP. XIII. *An Episcopus cognoscat de re Funeraria. Legum antiquarum emendatio,* 232

CAP. XIV. *Episcopi habent censoriæ Jurisdictionis imaginem in Magistratum. Magistratibus cur denegaretur communio Ecclesiastica, priusquàm litteras communicatorias accepissent ab Episcopo,* 234

CAP. XV. *Episcopi passim electi Arbitri litium inter laïcos. Consensus exterorum Principum in judicium Gallicanæ Ecclesiæ,* 236

## LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I. *ORdo & processus judiciorum Ecclesiasticorum. In his solemnia juris remittuntur,* 239

CAP. II. *Causæ Ecclesiasticæ judicandæ secundùm Canones; his deficientibus juxta Legem Romanam,* 243

CAP. III. *In causis Ecclesiasticis Monomachia non admittitur. In causa Ecclesiastica lis sorte dirempta,* 245

CAP. IV. *Olim Episcopi per se jus dicebant. Episcopus tenetur creare Vicarium in spiritualibus & temporalibus,* 247

CAP. V. *Potestas & munia Vicarij Episcopi. Vicarius Episcopi potest revocari ad nutum: Impugnatur Fevretius. Qualis debeat esse Vicarius Episcopi.* 249

CAP. VI. *Præter Vicarium generalem Episcopus debet instituere Officialem. Vicarij generalis & Officialis distinctæ vices,* 253

CAP. VII. *An Episcopus possit judicare in quacunque parte Diœcesis.*

*cesis. An idem possit jus dicere in Ecclesia. Arguitur hallucinatio Fevretii*, 255
CAP. VIII. *Laici non possunt esse Judices Ecclesiastici; nec laicis licet adsidere Judicibus Ecclesiasticis*, 257
CAP. IX. *Judex Ecclesiasticus non exequitur sententiam per se, sed implorato officio Judicis secularis*, 258
CAP. X. *Clerici nè quidem volentes audiuntur à Judice seculari. Cur Judex secularis Judex cinctus dicitur*, 261
CAP. XI. *An Senatus sit competens Judex in criminalibus causis Episcoporum*, 262
CAP. XII. *An Judex secularis possit injungere Judici Ecclesiastico, ut excommunicatum absolvat ad cautelam.* 267
CAP. XIII. *Pœnæ statutæ in perfringentes Jurisdictionem Ecclesiasticam. Privilegium ne Magistratus excommunicentur, civiliter interpretandum. Officiū Christiani Principis est tueri Jurisdictionem Ecclesiasticam*, 269
CAP. XIV. *Episcopi præter ordinariam Jurisdictionem habent delegatam à Canone, vel ex mandato Summi Pontificis. Ordinarius judex Exemptorum. Conservatores Apostolici.* 271
CAP. XV. *Jurisdictio temporalis Episcoporum. Vicedominus Vicarius Episcopi in temporalibus. Missi Dominici*, 273
CAP. XVI. *Notantur querelæ secularium de usurpationibus Judicum Ecclesiasticorum. Invidiosa potestas Episcoporum. Commendatur Officialium scientia. Laudatur judicium Philippi Valesii. Rex defensor Ecclesiæ*, 275
CAP. XVII. *Judices Ecclesiastici vetantur sportulas accipere. Iidem suadentur lites componere.* 279

## LIBER OCTAVUS.

CAPUT I. *AB Episcopo vel ejus Officiali appellatur ad proximum Superiorem. Appellatio non recipitur omisso medio*, 281
CAP. II. *Ratio diversa appellationis in judiciis Ecclesiasticis & civilibus. Sententiarum insinuatio apud acta Provincialia*, 282
CAP. III. *An liceat appellare ad Summum Pontificem omisso medio. Appellationes transmarinæ. Afri vagi & errones. Anglorum privilegium nè conveniantur citra marc*, 285
CAP. IV. *Ab eadem sententia tertiò provocare licet. Excusatur mora judiciorum Ecclesiasticorum*, 286
CAP. V. *Appellationes ab Episcopis ad Judicem secularem damnantur pravitate authorum. Appellationis Pauli ad Cæsarem ratio redditur*, 287
CAP. VI. *De jure à Judice Ecclesiastico non appellatur ad Judicem secularem. Capitula Clarendonensia damnata. Vera interpretatio* Can. Filiis. *quo abutuntur ad probandum usum appellationum tanquam ab abusu*, 292
CAP. VII. *Appellationes à Judice Ecclesiastico ad secularem seriùs auditæ in Gallia. Protestatio Procerum Galliæ, & expostulatio Petri de Cugnerio an ha-*

*beant imaginem appellationum tanquã ab abusu: Reprehenditur Fevretius*, 294
CAP. VIII. *Appellatio tanquam ab abusu satis recens inventum. Refutatur Fevretius*, 296
CAP. IX. *Proprii casus appellationis tanquam ab abusu expenduntur*, 299
CAP. X. *Appellationibus tanquam ab abusu imponendus est modus. Judicium authoris de appellationibus tanquam ab abusu, idem quod Patrum Gallicanorum de frustratoriis appellationibus ad Sedem Apostolicam. Appellationes tanquam ab abusu lethale virus disciplinæ Ecclesiasticæ. Cunctatio judiciorum Ecclesiasticorum excusatur*, 303
CAP. XI. *Metropolitanus judex ordinarius Suffraganeorum Episcoporum. Idem non habet Jurisdictionem in subditos Suffraganeorum nisi in casibus expressis*, 307
CAP. XII. *Jura & munia Metropolitanorum. Lapsus Ecclesiasticæ disciplinæ ex omissione Conciliorum Provincialium*, 311
CAP. XIII. *Ad Metropolitanum pertinet confirmatio & consecratio electorum Episcoporum. Metropolitanus habet jus Crucis præferendæ per universam Provinciam. Idem habet jus Pallii.* 314
CAP. XIV. *Jura Primatum. Peregrina judicia. Primatus Senonensis. A Metropolitano appellatur ad Primatem, vel ad Sedem Apostolicam. Primatus non continet gradum Jurisdictionis necessariæ, contra Fevretium*, 316
CAP. XV. *Capitulum habet Jurisdictionem correctivam ex consuetudine generali. Correctio in Capitulo. Capitulum Senatus Ecclesiæ. Quænam possint fieri ab Episcopo sine consensu Capituli.* 319
CAP. XVI. *Capitulum sede vacante succedit in his quæ sunt Jurisdictionis ordinariæ, non succedit in delegata*, 323
CAP. XVII. *Archidiaconus Vicarius Episcopi. Vices jurisdictionis Archidiaconi. An Archidiaconus sit Antistes secundi ordinis: Notatur Fevretius*, 325
CAP. XVIII. *Jurisdictio Archipresbyteri qui & Decanus. Jurisdictio Præpositi*, 329

## INDEX SECUNDÆ PARTIS.

## LIBER NONUS. *De Pœnis Canonicis.*

CAPUT I. CUr Pœnæ Canonicæ in Clericos mitiores. Sententiæ in Episcopos sine elogio feruntur. pag. 1
CAP. II. *Ecclesia nescit judicium sanguinis: intercessiones Ecclesiasticæ*, 6
CAP. III. *Judex Ecclesiasticus habet modicam coërcitionem*, 9
CAP. IV. *An Judex Ecclesiasticus possit reos subjicere quæstioni. Ne Clerici reorum neci intersint. Atrium sauciolum quid sit.* 10
CAP. V. *Episcopi habent mulctæ dictionem. Bannus Episcopalis. Eodem jure usi veteres Pontifices*, 12
CAP. VI. *De Majoribus Pœnis Canonicis; & primùm de Suspensione*, 14
CAP. VII. *De Depositione, quæ est pœna propria Clericorum; deque com-*

*munione peregrina, quæ alia est à laïca.* 18

CAP. VIII. *Depositio alia nuda, alia solemnis, quæ degradatio. Depositionis solemnia; depositioni modus adhibitus,* 22

CAP. IX. *De Regradatione. Regradatio Pœna Canonica, etiam & militaris,* 26

CAP. X. *De Excommunicatione. Excommunicatio maxima pœna canonica; quibus de causis infligatur. Excommunicatio alia major, alia minor. Excommunicatus à proprio Episcopo, non est restituendus ab alio,* 29

CAP. XI. *De variis Excommunicationum generibus,* 34

CAP. XII. *De Interdicto. Interdictum censura Ecclesiastica. Forma & causæ Interdicti. Excepta in Interdicto. Interdicto modus impositus,* 37

CAP. XIII. *An detrusio in monasterium pœnitentiæ causâ, sit pœna canonica,* 42

CAP. XIV. *Detrusio in custodiam perpetuam, vel ad tempus, & reclusio inter muros; pœnæ canonicæ,* 34

CAP. XV. *Judex Ecclesiasticus non potest Clericos damnare exilio vel ad triremes. An Præpositus regularis pœnitentiæ causâ, possit Monachum mittere Romam ad Generalem Ordinis. Refellitur Fevretius,* 46

CAP. XVI. *Pœnitentia genus pœnæ Ecclesiasticæ. Pœnitentia duplex, publica, & privata. Pœnitentiæ gradus. Reconciliatio pœnitentium; reconciliationem sequitur communio,* 48

## LIBER DECIMUS. *De Majoribus Causis.*

CAPUT I. *Majores Causæ reservatæ Sedi Apostolicæ. Congregatio Conciliorum generalium,* pag. 53

CAP. II. *Una è Majoribus Causis est definitio quæstionum Fidei, & judicium de Hæresibus; in dubiis relatio ad summum Pontificem,* 56

CAP. III. *Inter Majores Causas est depositio Episcoporum,* 60

CAP. IV. *Inter Majores Causas est depositio & restitutio Episcoporum,* 65

CAP. V. *Inter Majores Causas est Postulatio Prælatorum. Notatio vocis, Postulatio; Quid distet Postulatio ab Electione,* 68

CAP. VI. *Inter Majores quoque Causas est Translatio Episcoporum,* 71

CAP. VII. *Inter Majores Causas est erectio, unio, divisio, translatio, & suppressio Sedium Episcopalium, non sine consensu Principis. Ejusdem juris est fundatio Ecclesiarum Collegiatarum & Monasteriorum; Creatio novarum dignitatum, & Canonicatuum ad effectum,* 74

CAP. VIII. *Una è Majoribus Causis est datio Coadjutorum,* 79

CAP. IX. *E majoribus quoque Causis Exemptio Monasteriorum. Monasterium exemptum est de Diœcesi, non in Diœcesi. Conservatores Apostolici, Judices Exemptorum,* 82

CAP. X. *Canonizatio Sanctorum, olim communis Episcopis, facta est propria summi Pontificis, Decreto Alexandri III.* 85

CAP. XI. *Inter Majores Cauſas eſt approbatio Ordinum Religioſorum*, 86
CAP. XII. *E Majoribus Cauſis eſt conceſſio Indulgentiarum, quas Plenarias vocant*, 89
CAP. XIII. *Solus Summus Pontifex poteſt invitos Clericos, vel Epiſcopos ordinare; Clericos cujuſcumque Diœceſis promovere. Varij caſus quibus ſolus Summus Pontifex poteſt diſpenſare*, 93
CAP. XIV. *Alij caſus quibus ſolus Papa diſpenſat*, 95
CAP. XV. *Alii & caſus in quibus ſolus Papa diſpenſat*, 98 (*dus*, 100
CAP. XVI. *Alij caſus in quibus ſolus Papa diſpenſat. Diſpenſationum mo-*
CAP. XVII. *Appellationes ad Sedem Apoſtolicam. Solus Pontifex poteſt retractare ſententiam ſuam. Abſolutio excommunicationis contractæ ex Canon. Si quis ſuadente, reſervata Summo Pontifici*, 102

## LIBER UNDECIMUS.

CAPUT I. *Diſtinctio Ordinum Eccleſiaſticorum conſtituit Hierarchiam Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Interſtitia Ordinum. Eorum numerus. Laici an inter Ordines Eccleſiæ. Plebs fidem tuetur. Minores ſeu Juniores Eccleſiæ*, 105
CAPUT II. *Oſtiariorum gradus & officium. Copiatæ laborantes, ſeu Foſſores, horum officium*, 110
CAP. III. *Lectorum gradus & officium; Canonici Pſaltæ*, 112
CAP. IV. *Exorciſtarum gradus & officium. Exorciſtæ noti etiam paganis*, 115
CAP. V. *Acolythorum gradus & officium*, 116
CAP. VI. *Subdiaconorum gradus, & Officium*, 117
CAP. VII. *Diaconorum gradus, & varia munia*, 119
CAP. VIII. *Varia munia Diaconorum*, 125
CAP. IX. *Varia munia Diaconorum. Veſtes eorum, Dalmatica, Orarium, Alba, Campagi, Calcei, Mappulæ*, 127
CAP. X. *Archidiaconi dignitas, & munia*, 131
CAP. XI. *Presbyterorum gradus, & dignitas; eorumdem varia munia*, 133
CAP. XII. *Ordo Presbyterorum Senatus Eccleſiæ. Presbyteri debent obedientiam & reverentiam Epiſcopo. Ordinationes non fiebant abſque Titulo. Tituli Eccleſiarum*. 137
CAP. XIII. *Jura & munia Archipresbyteri*. 139
CAP. XIV. *Privilegia Clericorum. Clerici habent Privilegium fori, & peculium quaſi caſtrenſe, de quo teſtari & diſponere poſſunt. Militia Clericalis*, 141
CAP. XV. *Privilegium Can. ſi quis ſuadente, & Privileg. cap. Odoardus. Clericis remittitur juramentum calumniæ. Clerici immunes à jure pignorationis* 143
CAP. XVI. *Clerici excuſantur ab extraordinariis & ſordidis muneribus; iidem excuſantur à tutelis & à militia; nec poſſunt torqueri*, 146

## PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre: A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, grand Conſeil, Prevoſt de Paris, Baillifs, Senéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra: SALUT. Jean Borde noſtre Imprimeur ordinaire à Orleans, nous ayant fait ſupplier de luy accorder la permiſſion d'imprimer un ouvrage poſthume du Sieur d'HAUTESERRE, intitulé *De Juriſdictione Eccleſiaſtica tuenda adversùs inſultus autoris tractatus de abuſu & aliorum*, & nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires: Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces preſentes d'imprimer ou faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir ledit Livre en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon luy ſemblera, pendant le temps de dix années conſecutives, à compter du jour de la datte des Preſentes, & de le vendre, ou faire vendre & diſtribuer par tout noſtre Royaume; faiſant défenſes à tous Libraires, Imprimeurs & autres d'imprimer, faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Livre ſous quelque pretexte que ce ſoit, même d'impreſſion étrangere & autrement, ſans le conſentement de l'Expoſant ou de ſes ayans cauſe, ſur peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages, & intereſts: A la charge d'en mettre, avant de l'expoſer en vente, deux exemplaires en noſtre Biblioteque publique, un autre dans le Cabinet de noſtre Chaſteau du Louvre, l'un en celle de noſtre cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur Phelypeaux Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres, de faire imprimer ledit Livre dans noſtre Royaume, & non ailleurs, en beau caractere & papier, ſuivant ce qui eſt porté par les Reglemens des années 1618. & 1686. & de faire enregiſtrer les Preſentes és Regiſtres de la Communauté des Libraires de noſtre bonne Ville de Paris, le tout à peine de nullité d'icelles; du contenu deſquelles Nous vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant ou ſes ayans cauſe, pleinement & paiſiblement, ceſſant

& faiſant ceſſer tous troubles & empêchemens contraires. Voulons que la copie deſdites Preſentes qui ſera imprimée au commencement ou à la fin dudit Livre, ſoit tenuë pour duëment ſignifiée; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, foy ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution des Preſentes toutes ſignifications, défenſes, ſaiſies & autres Actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires. CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNE' à Fontainebleau le vingt-neuviéme jour d'Octobre, l'an de grace mil ſept cens un, & de noſtre regne le cinquante-neuviéme. Par le Roy en ſon Conſeil, LE COMTE.

*Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs, conformément au Reglement. A Paris ce* 20. *jour de Novembre* 1701. P. TRABOÜILLET, *Syndic.*

Et ledit Sieur Jean Borde a cedé tout ſon droit de Privilege aux Sieurs NICOLAS DEVAUX, & RAYMOND MAZIERES, Libraires à Paris, ſuivant l'accord fait entr'eux.

ECCLE-

# ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS VINDICIÆ ADVERSUS CAROLI FEVRETI ET ALIORUM TRACTATUS DE ABUSU.

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT PRIMUM.

*Episcopi habent propriam Jurisdictionem quæ vindicatur contra Cujacium. Cur Episcopos Jurisdictione non carere expedit.*

DE Jurisdictione Ecclesiastica scripturo, priùs mihi operæ pretium est scire, an Episcopi habeant Jurisdictionem, frustrà enim laboro pro Jurisdictione Ecclesiastica tuenda, si vacuum & inane nomen defendam, ut de Græcis dicitur stultè eos apud Trojam decennio pugnasse, pro simulachro Helenæ quæ tum in Ægypto latebat. Episcopos habere Jurisdictionem negat Cujac. Libr. 1. Resp. Papiniani in L. 40. §. 1. de pact. & in paratit. Cod. de Episc. audient. nixus Novel. Valentiniani de Episcopali judicio, quæ ait Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere. Alio argumento utitur vir ma-

Plato de republ. lib. 9. Dio Chrysost. orat. 11.

Jo Bodin. de Rep. libr. 3. cap. 5.

ximus, quòd Episcopi non habent executionem rei judicatæ per se, sed eorum sententias exequuntur Magistratus civiles ex Constitutione Constantini, quæ est apud Sozomen. lib. 1. cap. 8. Tertium ejusdem argumentum est, quòd Episcopi non habent Jurisdictionem, sed audientiam; id est nudam notionem: ex quo titulus inscribitur, de Episcopali audientia, non Jurisdictione. Potest & illud addi quod Jurisdictio propriè cohæret territorio; L. ult. ff. de Jurisdict. L. ult C. ubi & apud quem in integr. restitut. At Episcopi non habent territorium, sed diœcesim. Can. possessio. 16. qu. 5. Can. sicut diœcesim. Can. licet in fin. ead. caus. qu. 3. Ergo non habent Jurisdictionem quæ non est sine territorio. Sed his omnibus non incongruè responderi potest.

Primùm, quòd dicitur Episcopos forum legibus non habere, Auctorem habet Valentinianum 3. Fautorum Arrianorum, qui Episcopale judicium prorsus tollere voluit, spretis legibus Constantini & aliorum Antecessorum: de quo acriter correptus ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo, epist. 32. ad eund. *Nec quisquam contumacem judicare me debet, cùm hoc asseram quod augustæ memoriæ pater tuus, non solùm sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: In causa fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; hæc enim verba rescripti sunt, hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam si aliàs quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hæc voluit ad Episcopale judicium pertinere, &c.* Et certè hujusmodi sanctio ita displicuit, ut contraria edita sit à successore Majoriano; nec injuria eam indignam Christiano principe asseruit Baronius ad Ann. Christ. 452. Num. 52. Impunè contemni potest Constitutio hæc Valentiniani, quæ omnino adversatur Constitutionibus priorum & posteriorum Imperatorum, ex quibus Clerici habent suum Judicem civili & criminali Jurisdictione præditum, ita ut in criminalibus & civilibus causis non possint trahi ad Judicem secularem; L. placet auth. interdicimus. & Auth. statuimus. C. de Episc. & cleric. At si concedamus Episcopos forum legibus non habere, nullum inde dispendium fiet jurisdictioni Ecclesiastica: Ecclesia enim non habet quidem forum, nec intendit habere prout leges accipiunt, id est, cognitionem & judicium causarum civilium; propriè enim forum accipitur de foro seu auditorio causarum civilium; ut in L. 6. §. est autem. ff. de excusat. Verùm non inde sequitur Episcopos non habere propriam Jurisdictionem in Clericos. Et licet Episcopi non habeant executionem sententiarum per se, quod est proprium Jurisdictionis; L. ult. C. Ubi & apud quem integr. restitut. & extremum Jurisdictionis; L. 1. ff. si quis jus dicent. non obtemperav. Non ideo tamen carent Jurisdictione; executio enim rerum judicatarum ab

Episcopis rejecta est ad Judices seculares optimâ ratione, quia indecorum esset eos penès se habere executionem sententiarum, quæ plerumque fit manu militari; L. qui restituere. ff. de rei vindicat. Et Episcopi ipsi videntur exequi sententias, officio Judicis secularis, quia is tenetur adhibere manum etiam militarem exequendis sententiis Episcopalibus, ex Constitutione Constantini quæ memoratur à Sozomeno. Et quamvis in Cod. Justinianeo titulus de Episcopali judicio, inscriptus sit de Episcopali audientiâ, non de Episcopali Jurisdictione; & audientia dicatur esse simplex notio sine potestate & imperio; L. Ait præter. ff. de re judicat. L. Notionem, de U. S. Tamen non injuria Ecclesia suam vindicavit Jurisdictionem, edito proprio titulo de foro competenti: quid enim forum competens quàm Jurisdictio, vel locus ubi eadem exercetur? Forum Patriæ id est municipii, ubi quis conveniri debet. L. 110. C. Th. de Decurionib. Unde hæc duo conjunguntur in Cod. Justinianeo, de Jurisdictione & foro competenti.

Sed ut singulis respondeamus: etsi Episcopus non habeat territorium. habet diœcesim quæ est vice territorii, in quâ universâ habet ordinariam Jurisdictionem; Cap. cùm Episcopus, de offic. Ordinar. in 6. Nec alienum est Episcopum habere propriam Jurisdictionem in Clericos, quo jure magister militum habet Jurisdictionem in milites; L. Magisteriæ. C. de Jurisdict. Miles habet suum judicem, nè avocetur à signis; Juvenal. Satyra 16.

*Miles ne vallum litiget extra,*
*Et procul à signis, justissima Centurionum*
*Cognitio est igitur de milite.*

Quantò convenientius est Clericum qui Deo militat, proprium habere judicem, ne amoveatur à sacris, & hac occasione se immisceat secularibus. Etiam corpora seu collegia negotiatorum & artificum habent proprios defensores & judices; L. ult C. eod. quod primum constitutum ab Alexandro Severo; Lamprid. in ejus vit. *Corpora omnium constituit vinariorum, lupinariorum, caligariorum, & omnino omnium artium, hisque ex sese defensores dedit, & jussit quid ad quos judices pertineret.* Et Rector Universitatis habet jurisdictionem in studiosos; uth. habitâ C. nè filius pro patre. Apud Ethnicos Pontifici maximo fuit sua jurisdictio in sacrificulos; Senec Controv. lib. 1. cap. 2. *Castigationem ex Pontificis maximi arbitrio meruerat Sacerdos, si te è lupanari redemisset.* An iniquior erit conditio veræ Religionis Antistitum? Ecclesia igitur non debet esse iniquioris conditionis, ut proprio Judice careat. Et si spectemus disciplinæ tuendæ rationem, omn no necesse est Episcopos habere propriam Jurisdictionem in Clericos, quò in officio contineantur: nullum enim corpus privatum

aut publicum potest regi sine imperio & jurisdictione; Chrysostom. homil. 3. in 2. ad Timoth. Καὶ γὰρ ἐν οἰκίᾳ, & ἐν ἀγορᾷ, πάντα χῶ δικαστήρια ἔξεστιν ἰδεῖν, ἢ ἐν οἰκίᾳ ἐν μὲν γὰρ ὁ δεσπότης δούλοις δικάζει καθ' ἑκάστην ἡμέραν, & περὶ ἁμαρτημάτων αὐτοὺς ἀπαιτεῖ εὐθύνας, ἢ τὰ μὲν κολάζει, τὰ δὲ ἀφίησιν, ἐν ἀγροῖς, πάλιν ὁ γεωργός, & ἡ γυνὴ δικάζεται καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐν πλοίοις ὁ κυβερνήτης δικάζει ἐν στρατοπέδοις ὁ στρατηγὸς τοὺς στρατιώτας, & πολλὰ ἂν τις ἴδοι δικαστήρια ἐν τέχναις, οὐδιδασκάλου τῷ μαθητῇ. *Nempe enim & in privatâ domo, & in foro, & omnibus omnino in locis leges, ac judicia videas. In domo pater familias servos quotidiè judicat, pœnasque peccantibus infert, peccataque partim punit, partim remittit. In villa rursùs villicus & uxor diebus singulis judicia exercent, In navi gubernator de vectoribus judicat; in castris Dux milites discutit; plurimaque in hunc modum judicia invenies. In artibus magister jura discipulis dictat.* Et cur Magister militum habeat Jurisdictionem in milites, hac maximè ratione obtinuit, quòd reus militaris non potest exhiberi, vel coërceri ab alio Judice; dictâ L. magisteriæ. Nec nuda censenda est audientia ea quæ pertinet ad Episcopos: ideoque plerisque in locis, hæc dicitur audientia competens, id est, audientia conjuncta cum jurisdictione, ut distinguatur à nudâ audientiâ; Augustin. in Breviculi. Collat. cum Donatistis: *Ibi enim Constantinus dixit, ab Æliano Proconsule audientiam præstitam competentem.* Vel judicium competens. Idem contra Julian. lib. 3. cap. 1. *Vestra verò apud competens judicium communium Episcoporum modò causa finita est.*

Denique nihil vetat Episcopum habere Jurisdictionem sine territorio, quia propriè Jurisdictio non cohæret territorio, sed territorio terminatur; Bartol. in L. 1. ff. de Jurisd. omn. judic. Magisque adhæret personæ quàm territorio, ex quo Jurisdictio sumitur pro officio jus dicentis; L. inter tutores. ff. de administr. tutor. L. li res, de Leg. 1. Et Jurisdict. non est in res, sed in personas, limitata & circumscripta personis quæ certis finibus continentur L. 3. §. de offic. præsid. Belluga in specul. Princip. Fit. de Jurisdict. & utroqu. imp. num. 44. & seqq. Boër. qu. 227. vel respicit potiùs personas quàm loca; Gloss. & DD. in L. 1. §. de Jurisdict. Parum refert quòd territorium dicitur Judice temporali, Diœcesis in Episcopo: quia effectu idem sunt, & leges rebus, non verbis imponuntur; L. 2. in fin. C. Comm. de legat. Nec unicus hic lapsus Cujacii: haud levior est quem olim observavi in ejus Commentar. ad cap. 1. extr. de vit. & honest. Clericor. Ubi vir maximus, ut probet moris fuisse ut Præsides cognoscerent de causis Clericorum, abutitur eleganti loco Ulpiani interpretis Demosthenis in Midian. ἐπειδὴ γὰρ ἀρχὼν πάσας τὰς ὀρφανικὰς, & κληρικὰς ἐδικάζεν. Et κληρικὰς sequiùs interpretatur lites Clericorum. Rectiùs enim Wolfius lites pupillorum & pupillarum, quas Græci ὀρφικὰς appellabant, cùm ad eas pervenisset hæredi-

tas; Aristophan. in Respis. *Καὶ ἀποθνήσκων ὁ πατὴρ τῷ δῶκα ταλίπων παῖς ἐπίκληρον. Cur moriens Pater commiserit puellam æredem.*

## CAPUT II.

### *An Jurisdictio Ecclesiastica sit juris divini.*

POSTQUAM à nobis satis ostensum est Episcopos propriam habere Jurisdictionem rerum ordo deposcit, ut videamus quonam jure constituta sit Jurisdictio Ecclesiastica; jure divino, an humano, id est, à Deo, an beneficio principum. Et certè si spectemus personas penès quas est Jurisdictio Ecclesiastica, & in quas defungitur, tota à Deo est, nec quicquam habet humanum, Episcopi à Deo instituti in personis Apostolorum, quorum successores sunt; & una eis concredita est potestas & jurisdictio, sine qua munus episcopale explicari non valet. Apostolis & per eos Episcopis Christi oraculo demandata est Sacramentorum administratio, & Evangelii prædicatio; Matth. cap. ult. Nec ea solum, sed & Jurisdictionem eis demandatam intelligere licet ex eo, quòd Paulus Apostolus Corinthium incestuosum excommunicatione multavit, quæ felix mucro Jurisdictionis Episcopalis; Can visis. 16. quæst. 2. Et clerici in quibus maximè exercetur Jurisdictio Ecclesiastica, per Ordinationem quam accipiunt ab Episcopis, fiunt de sorte Domini; Can. cleros. 21. dist. & Dei judicio reservantur; Can. continuo 11. quæst. 1. id est, judicio Ecclesiæ quod habetur pro ipso judicio Dei: & ita velim accipias quod scriptum est in Can. plures baptismales. 16. quæst. 1. *Si de finibus quæstio sit inter duas matrices Ecclesias, nec convenerit inter plebes; litem Dei judicio discernendam.* Et Clerici per Ordinationem quæ gratia cœlestis est & collatio Spiritûs Sancti, fiunt subditi Episcopi, qui est nudus minister Ordinis, eique promittunt reverentiam, obedientiam, subjectionem; Can. quamquam 23. dist. Petrus Cellens. 267. Epist. 16. *Præ cœteris hoc unum ad præsens postulat, ut de manu vestra primitias Clericatûs, id est coronam accipiat: hoc etenim signo accepto magis se obligatum erga obsequium vestrum, non immerito deinceps arbitrabitur, & vos tamquam plantæ vestræ bonum jure providebitis.* Et idem Epist. 18. ejusdem libr. *Habeat itaque vos Dominum, & signo Clericatûs à vobis suscepto, Patronum & auctorem hujus ordinis habeat.* Ergo Jurisdict. Episcopalis quæ constituitur in Clericos ratione Ordinis qui est à Deo, non potest alium auctorem habere quàm Deum.

Jurisdictionem Ecclesiasticam etiam â jure divino repeti nequaquam est alienum. quia hæc originem ducit à Lege, id est veteri Testamento,

& in lege Evangelica ab ipsius cunabulis obtinuit; Gregor. Nyssen. orat. de castigat. Μὴ ἐπισκοπῆς αὐθαδείας εἶναι τὸν ἀφορισμὸν νομίσης, πατρῷος ὀνόμος, παλαιὸς τῆς ἐκκλησίας κάνον ἀπὸ τοῦ νόμου ἀρτράμενος, καὶ κρατυνδεὶς ἐν τῇ χάριτι. *Nè Episcopalis audaciæ esse excommunicationem arbitreris, paterna lex est, antiqua Ecclesiæ regula, quæ à lege traxit originem, & in gratiâ obtinuit.* Episcopos sui fori non esse, ac Dei judicio reservandos agnovit Constantinus in Synodo Nicenâ, cum accusaturus Episcoporum libellos sibi oblatos rejecit, eosque Dei judicio reddendos professus; d. Can. continuo. Hoc jure censura divina dicitur excommunicatio, quòd sit ultima coërcitio Jurisdictionis Ecclesiasticæ quæ à jure divino pendet; Tertull. Apologetic. cap 39. *Coïmus in cœtum & Congregationem, & ad Deum quasi manu factâ precationibus ambimus orantes.* Et mox *Ibidem etiam exhortationes, castigationes & censura divina: nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione omnis sacri commercii relegetur.*

Quòd si altiùs quàm par sit, à lege divinâ repeti videatur Jurisdictio Ecclesiastica; saltem ex Constitutionibus Apostolicis quæ legi Evangelicæ pené adæquantur, & uno eodemque spiritu ducuntur, repetandam esse non est negandum. In hanc rem occurrit singularis locus Pauli 1. ad Corinth. 6. quâ vetuit ne Christiani, si quid litis inter eos emergeret, gentilium Judicum fora adirent, sed rem Sacerdotum judicio terminarent. Verba Pauli referre non piget: *Audet aliquis vestrûm habens negotium adversùs alterum, judicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Secularia igitur judicia si habueritis; contemptibiles qui sunt in Ecclesiâ, illos constituite ad judicandum.* Inde passim repetitam invenies Apostoli sententiam, ne à Christianis adirentur fora gentilium, vel secularium Judicum Auctor Constit. Apostolic. lib 2. cap. 45. Καὶ μὴ ἐχέσθω ἐπὶ κριτήριον ἔθνηκον, ἀλλὰ μὴν δὲ ἀνέχεσθε κοσμικοὺς ἄρχοντας, κατὰ τῶν ἡμετέρων δικάζνην. *Et ne adeat ad judicium, Gentilium immò ne patiamini, ut seculares Magistratus de causis vestris judicent.* Et idem cap. seq. ejusd. lib. μὴ οὖν γινωσκέτωσαν τὰ ἔθνη τὰ πρὸς ἀλλήλους ὑμῶν διαφωρὰς *Ne igitur disceptationes vestras gentiles cognoscant.* At iniquies ab Apostolo non legem perpetuam datam; sed tempori consultum, ne Christiani nondum adultâ fide, Gentilium contagio coinquinarentur: sed pace partâ Ecclesiæ, & Christianis Imperatoribus rerum potitis, jus dicendi munus ab Episcopis translatum ad Magistratus civiles. Verùm Christiani præcepto Apostoli semel imbuti ægrè ad misêre Judices seculares; non uno loco id insinuat Augustin. in Psalm. 118. Serm. 24. *Constituit enim talibus causis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens jurgare*

*Christianos.* Et idem Homil. 50. *Hoc ipsum habere inter se judicia & lites de secularibus rebus, delictum esse dicit: quod tamen ferendum esse dicit admonet, si vel Ecclesiastico judicio lites hujusmodi finiantur.* Ubi Episcopi tædio rei juridicinam in Laïcos abjecêre, tenaciùs eam retinuêre quoad Clericos; & Jurisdictio Ecclesiastica quæ ab initio communis erat in Clericos & Laïcos, explosâ superstitione, remissa quoad Laïcos, incolumis remansit quoad Clericos. Hæc quidem varias per tempora vices passa est, & variis Constitutionibus Imperatorum & aliorum Principum auctorata, vel angustata, prout varia fuêre studia Principum: at Constitutiones Principum non tribuerunt Jurisdictionem Ecclesiæ, sed eam quæ ipsi competebat, declararunt; ut docet Joannes vetus Glossator in can. si Imperator. 96. dist. vel potiùs eamdem legum præsidio munierunt, ut ait Isidor. in can. principes 23. qu. 7.

His argumentis Pontifices non dubitarunt dicere Jurisdictionem Ecclesiasticam esse juris divini. Contra leges divinas pulsari dicuntur clerici, quibus forum suum aufertur; Gelas. Papa in can. Sylvester 11. qu. 1. Joannes. 8. in d. can. si Imperator: *Non à legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis clericos & sacerdotes voluit ordinari & discuti:* quem secuti sunt recentiores, Chassan. in consuet. Burgund. *tit des justices & droits d'icelles.* rubr. 1. §. 5. in verb. Sit ne gratè. num. 48. Rebuff. in Concord. tit. de protect. Concord. Grassal. Reg. franc. Lib. 2. cap. 17. Covarruv. pratic, quæst. cap. 31. Et quod scriptum est in cap. Quoniam, de immunit. Eccles. in 6. esse causas quæ de jure, aut antiqua consuetudine ad forum Ecclesiasticum pertinent; non refertur ad jus primævum quo constituta est Jurisdictio Ecclesiastica, sed respicit rationem ævi quo Ecclesia conabatur Jurisdictionem suam detinere, vel etiam de consuetudine præscripta. Nec audiendum quod sensit Joannes Gall. qu. 276. Jurisdictionem Ecclesiasticam non esse à clavibus, id est à jure divino: hoc enim scripsit vir forensis, magis errori fori & opinioni plebis indulgens, quam veritati quæ summum locum obtinere debet apud fideles, maximè in his quæ spectant ad Ecclesiam, ejusque dignitatem; Augustin. Epist. 9. ad Hieronim: *Incomparbiliter pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum; pro ista enim fortiùs nostri Martyres adversùs hanc Sodomam, quàm pro illa illi Heroës adversùs Trojam dimicaverunt.*

# CAPUT III.

## *Jurisdictio Ecclesiastica distincta à Civili. Una alteram tueri debet.*

JURISDICTIO Ecclesiastica penitùs distincta est à Civili quoad res & personas; hæc versatur in temporalibus, illa in spiritualibus; hæc pertinet ad Laïcos, illa ad Clericos: Gelas. Epist. ad Anastas. Imperator. *Duo sunt quibus principaliter hic mundus regitur; authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.* can. duo sunt. 96. dist. Sacerdotium & imperium iisdem certè initiis conjuncta sunt, (cùm utraque potestas sit à Deo,) sed officiis distincta: illud ut divinis ministret, istud ut humanis præsit; ex Nov. Justin. 6. init. Aliud est forum Cæsaris, aliud Christi; aliæ sunt leges Cæsaris, aliæ Christi; Hieronym. ad Occeanum: *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit.* Hinc Hosius Cordulensis Episcopus Constantio Imp. ne rebus Ecclesiæ sese immisceret, suadebat apud Athanas. epist. ad Solitar. vit. agentes. Σοὶ Βασιλείαν ὁ θεὸς ἐνεχείρισεν, ἡμῖν τὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐπίσευσε. *Tibi imperium Deus commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Ita distinctæ vices, ut in rebus sacris Pontificem, in temporalibus Magistratum adiri velit Synes. Epist. 57. Προσπατοῦ σοὶ δεῖ βάδιζε παρὰ τῶν ἐπιτροπεύοντα τῶν νόμων τῆς πολιτείας: τοῦ δεοῦ σοὶ δεῖ ἴθι παρὰ τὸν ἱερέα τῆς πόλεως. *Patrono tibi opus est, vadè ad eum qui præfectus est, legibus: qua in re tibi Deo opus est, ad Sacerdotem civitatis.* Ob id res sacras in forum traduci, ne spiritus, id est, sacerdotium confundatur cum gladio. id est imperio, indignanter tulit Gregor. Nizianzen. epist. 227. ad Nectarium in Episcopatu Constantinopolitano successorem: ἐκεῖνο δὲ μὴ ἀνεκτὸν φανὴτα τῇ σῇ εὐλαβείᾳ τὸ δημοσίοις δικασηρίοις σητιλίνεθαι, κἂν γὰρ ὦσι κρισιανσὶ, οἱ τῶν τοιούτων κριτά, πικοινὸν ζιφει, καὶ πνεύματι. *Illud autem minimè ferendum tuæ reverentiæ videatur, quòd nostra publicis prætoriis traducantur: nam tametsi sint Christiani ejusmodi negotiorum judices, quid commune gladio & spiritui?* Denique Jurisdictio & potestas principum est in corpora & res solum, Sacerdotalis est in animas, & ad cœlum usque tollitur; Chrysostom. de Sacerdotio lib. 3. cap. 5. ἔχουσι μὲν γὰρ καὶ οἱ κρατοῦντες, ἐπὶ τῆς γῆς τὴν τοῦ δεσμοῦ ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωματῶν μόνον, οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς ἐν τῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανοὺς *Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verùm corporum solum. Id autem quod dico*

*Sacerdotum*

*Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit.* Regiæ potestatis est leges tueri, & transgressores multare; episcopalis officii est Canones defendere, & transgressores pariter coërcere. Ivo Carnotens. epist. 9. *Sicut enim est regiæ potestatis, civilia jura servare & eorum transgressores debitâ pœnâ multare, sic Episcopalis officii est ecclesiasticas institutiones subditis servandas imponere, & transgressores earum paternâ severitate ad debitum ordinem revocare.* Jurisdictio autem Ecclesiastica ita distincta est à civili, ut una non officiat vel detrahat alteri, ambæ ut fœderatæ se invicem complectuntur, & mutuâ ope sese adjuvant. Leges non dedignantur sacros Canones imitari. L. sacris Canonibus. C. de Episc. & Cleric. Nov. 83. Cap. Clerici de Judic. Una potestas debet aliam adjuvare. Nov. 123. cap. 1. Can. cum ad virum. 96. dist. & magistratus secularis debet pro viribus tueri Jurisdictionem Ecclesiasticam, ac retro Judex Ecclesiasticus secularem. d. Can. cum ad virum. Can. principes, Can. administratores. 23. qu. 5. P. Blesens. Epist. 73. *Duo sunt gladii qui mutuum à se mendicant auxilium, atque ad invicem sibi vires impartiuntur alternas, sacerdotium Regibus & Sacerdotibus regnum, ideòque si ab altero suppletur alterius insufficientia, non videtur duplex contritio, aut punitio combinata.* Non aliter respublica diu incolumis esse potest, quàm concordiâ regni & sacerdotii. Ivo Carnotens. epist. 106. *Res omnes non aliter benè administrantur, nisi cum regnum & sacerdotium in unum convenerint studium.* Idem judicium Jo. Frossardi vernaculi scriptoris. vol. 3. Cap. 24. *Neant plus que le noïau d'un œuf peut être sans la glaire, ne la glaire sans le noïau, non plus ne peut le Clergé & les Seigneurs l'un sans l'autre, car les Seigneurs sont gouvernez par le Clergé, n'ils ne sçauroient vivre, & seroient comme bêtes, si le Clergé n'étoit, & le Clergé conseille & exhorte les Seigneurs à faire ce qu'ils font.* Quàm studiosè fovenda esset concordia inter regnum & sacerdotium satis demonstratum est in lege Judaïcâ, quod solæ tribus Levi & Juda quæ erant altera sacerdotalis, altera regia, inter se nuptias coibant. Epiphan. hæres. 15. Hac ratione ne Laïci invaderent Jurisdictionem Ecclesiasticam, nec Clerici secularem, sapienter vetuit Conc. Lateranense habitum sub Innocentio V. Cap. 42. *Sicut volumus ut jura Clericorum non usurpent Laïci, ita velle debemus nè Clerici jura sibi vendicent Laïcorum, quocirca universis Clericis interdicimus, ne quis prætextu ecclesiasticæ libertatis, suam de cætero Jurisdictionem extendat in præjudicium justitiæ secularis, sed contentus existat constitutionibus scriptis, & consuetudinibus hactenus approbatis, ut quæ sunt Cæsaris reddantur Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo rectâ distributione reddantur.* Eodem studio

Can. duo sunt. 96. dist.

Jurisdictionem Ecclesiasticam & secularem curarunt Divi Principes Carolus M. & Ludovicus Pius pater & filius, & ne quis ad palatium veniret pro causa sua, priusquam quæ Ecclesiastica essent suo Episcopo, & quæ seculania Comiti innotuisset, id est nota fecisset speciali lege cavere. Capitular. lib. 5. cap. 24. Utraque Jurisdictio sine livore suos fines tueri debet, sed his velim se contineat; ne transferas terminos, quos posuere patres. num. 22. proverb. 12. Ambros. epist. 44. ad Constantium. *Præcipè illis inviolata confinii servare jura, paternos custodire terminos, quos lex tuetur.* Totus ordo confunditur, si sua cuique Jurisdictio non servetur. Can. ecce 99. dist. Can. pervenit. 11. qu. 1. Cap. ex tenore de foro compet. Ideò cum Jurisdictio Ecclesiastica & secularis sint distinctæ, ab una non appellatur ad aliam. Can. quoniam. 10. dist. Et Judex Ecclesiasticus non paret Judici seculari, itaque quod Leo IV. Pontifex paratus fuit, si quid perperam actum esset emendare judicio Principis. Can. nos si incompetenter. 2. qu. 7. non de jure, sed de curialitate accipiendum videtur.

## CAPUT IV.

### *Munus principis est tueri Ecclesiam.*

PRincipum maximè officii & dignitatis est Ecclesiam tueri & fovere quasi sponsam Christi, memoriâ accepti summi in rebus humanis beneficii, & tanquam nobilissimam partem Reipublicæ; Ecclesia enim est in Republica. Opt. Milevit. lib. 3. adverss. Donatist. *Non respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica est, id est in Romano imperio.* Vixque interire potest Respublica, incolumi Ecclesiâ, & salvâ rectâ fide, cujus vinculo subditi in officio, & obsequio continentur, precibus publicis Ecclesia perpetuum militat pro principe, ad sacerdotalium tubarum sonum dejecti muri Hiericho. Adversus Hæreticos ubique certat Ecclesia, eosdem habet hostes ecclesia, & imperium, qui eodem furore secularem Monarchiam ac spiritualem evertere moliuntur. Augustin. libr. 1. contra Epist. Parmeniani de Donatistis. *Ibi verò in utroque inobedientes atque impii, nec Deo reddunt Christianum amorem, neque regibus humanum timorem.* Eosdem socios rebellionis Gildonis Comitis Africæ adversus Honorium Imp. notat idem scriptor libr. 1. contr. liter. Petiliani. *Quis commemorare sufficiat bello Firmiano, quæ à vobis rogatus Maurus pertulerit, ipsa Mauritania Cæsariensis interrogetur, & tempora Gildoniani, quia unus collega vester familiarissimus amicus ejus fuit, & ipsa Catholica Ecclesia solidata principibus Catholicis imperantibus, terra mari-*

*que armatis turbis, ab Optato, atrociter, et hoſtiliter oppugnata eſt.* Unde & Optatum paſſim Gildonianum, vel Gildonis ſatellitem vocitat idem ſcriptor. lib. 2. contra Parmenianum. cap. 2. & lib. 3. cap. 1. lib. 3. cap. 1. libr. 4. cap. 15. Principes teneri Eccleſiam tueri diſcimus vel proprio teſtimonio & confeſſione majorum principum, hujus rei locupletem teſtem habemus Valentinianum, qui Ambroſio ex Laico electo Mediolanenſi Epiſcopo conſtriſtanti de electione de ſe facta. *Noli timere, inquit, quia Deus qui te elegit, ſemper te adjuvabit, & ego adjutor & defenſor tuus, ut meum ordinem decet, ſemper exiſtam.* Quæ verba ex hiſtoria tripertita referuntur in can. Valentinianus. 63. diſt. Propria noſtrorum regum hæc laus, qui Eccleſiam eodem ſemper ſtudio, ac regni fines propugnarunt. Hac laude in primis commendatur Guntranus, quod Eccleſiam vindicavit à tyrannide quam paſſa erat ſub Chilperico. Gregor. Tur. hiſt. lib. 7. cap. 7. *Multa & ipſe Eccleſiis conferens, teſtamenta quoque defunctorum, qui Eccleſias Hæredes inſtituerant, & à Chilperico compreſſa fuerant reſtauravit.* Non minor laus Pipini à quo ſuſceptum bellum Aquitanicum adverſus Vaffarium Ducem ad vindicandas ab ejus manu juſtitias. diſt. 27. & jura Eccleſiarum. Annales Fuldenſes. ad ann. 760. *Tunc Pipinus Rex cernens Vaffarium Ducem Aquitaniorum minimè conſentire juſtitias Eccleſiarum, partibus quæ erant in Francia concilium fecit cum Francis ut iter ageret, ſupradictas juſtitias quærendo in Aquitania.* Hac laude certant Carolus M. & Ludovicus Pius pater & filius. Quorum alter dictus eſt Advocatus, id eſt defenſor S. Petri. Ademarus in ejus vit. *Itaque poſt Pipinum pium regnavit Dominus Carolus filius ejus quem poſtea Romani elegerunt ſibi Advocatum S. Petri contra Reges Longobardorum.* Memorandus Ludovicus Craſſus qui Stephanum Claremontenſem Epiſcopum ſede ſua pulſum ab Euſtachio Arvernenſi Comite lecta militum manu, per ſe reſtituit. Sugerius in ejus vit. & Aymoin. continuator lib. 5. cap. 50. iiſdem verbis. *Eà etiam tempeſtatis temperiè Arvernorum Pontifex Claremontenſis, vir honeſtæ vitæ, & defenſor Eccleſiæ illuſtris, & pulſatus & pulſus Arvernorum ſuperbia ad Dominum Regem confugiens, querelam Eccleſiæ lacrimabilem deponit, Comitem Arvernenſem civitatem occupaſſe, Eccleſiam Beatæ Mariæ Epiſcopalem Decani ſui fraude multa tyrannide minuiſſe, renitentis etiam pedibus provolutus, ancillatam Eccleſiam exancillari, tyrannum effrænatum comprimi, Regiæ majeſtatis gladio ſuppliciter efflagitat, Rex autem ut conſueverat Eccleſiis promptiſſimè opitulari cauſam Dei gratanter aſſumens ſumptuosèque, dum verbis & majeſtatis ſuæ ſigillo tyrannum corrigere non valet, facto maturans militares colligit vires, movetque in Arverniam recalcitrantem copioſum Francorum exercitum &c.* Eccleſiæ precibus & maximè Eccleſiaſ-

tica Jurisdictione ita manus abstinuit Philippus Augustus, ut prorsus non audierit susurrones qui eum in clericos, tamquam regiæ Jurisdictionis invasores commovere nitebantur. Testem habemus D. Ludovicum eius nepotem ex filio, cujus morientis novissima verba extant, apud Jo. Jonvillam vernaculum ejus vitæ scriptorem. *On raconte du Roy Philippe mon ayeul, que une fois l'un de ses Conseillers luy dit, que les gens d'Eglise luy faisoient perdre, & amenuser les droits & libertés, mesmement les Justices, & que c'estoit grand merveille, comment il le souffre ainsi, Et le Roy mon ayeul luy respondit, qu'il le croyoit bien, mais que Dieu luy avoit fait tant de biens, & de gratuites, & que il aimoit mieux lesser aller son bien, que d'avoir debat, ne contens aux gens de sainte Eglise.* Eodem proposito & cum Aurelianensis & Altissiodorensis Episcopi ad delectum militarem non respondissent, à Philippo pignoribus captis coerciti, sed omissis decimis & aliis spiritualibus, in temporalia tantum regia manus injecta, propter reverentiam Ecclesiæ. Rigord. in ejus vit. *Ipsis autem emendare nolentibus, Rex eorum legalia confiscavit, scilicet ea tantum temporalia, quæ ab eo feodaliter tenebant, decimas & alia spiritualia eis in pace dimittens, ipse enim Rex Christianissimus semper timebat offendere Ecclesiam Dei, & ejus ministros.* Avitæ virtutis tenax D. Ludovicus propensiore affectu Ecclesiæ jura illibata servavit. Quid pulchrius quam testamentum Principis, non aliud esse quam legem filio datam de observatione & cultu Ecclesiarum & Antistitum, cujus ecce verba ex Ionvilla descripta.: *Aime & honore toutes gens d'Eglise, & de religion, & garde bien qu'on ne leur tollisse leurs revenus, dons & aumónes, que les anciens & devanciers leurs ont laissez & donnez.* Idemque ante pragmatico edicto anni 1228. omnia jura & privilegia Ecclesiis & monasteriiis aliisque locis piis concessa à se & decessoribus tuta habuit in hæc verba, *Libertates, franchisias, immunitates, prærogativas, jura, privilegia quæ per inclitæ recordationis Francorum Reges prædecessores nostros, & successivè per nos Ecclesiis & monasteris atque locis piis nec non personis Ecclesiasticis Regni nostri concessa sunt, renovamus, approbamus & confirmamus.* Quod repetitum constitut. Philippi pulchri anni 1330. Joannis, Caroli 5. & 7. Una est Jurisdictio Ecclesiastica & secularis quo ad principem, utramque princeps debet tueri ut propriam, non alteram ut alienam spectare, legum & Canonum custodiam æque sibi concreditam à Deo non negavit Justinianus. Nov. 137. init. Denique jurisdictio Ecclesiastica à principibus enixius colenda, & suspicienda, non propter ipsius commodum, non ad augendum typhum Episcoporum, sed Disciplinæ tuendæ gratia. Isidor. in can. principes. 23. qu. 5. principes seculi, non numquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent,

ut per eandem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Juriſdictionis enim Eccleſiaſticæ finis, eſt diſciplinæ emendatio. Auguſtin. de verb. Apoſtol. ſerm. 24. *Sanè ſi judex es, ſi judicandi poteſtatem accepiſti, Eccleſiaſtica regula ſi apud te accuſatur, ſi innumeris documentis, teſtibuſque convincitur, coërce, corripe, excommunica, degrada. Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat diſciplina.*

## CAPUT V.

### *Principum & magiſtratum eſt tueri Juriſdictionem Eccleſiaſticam, illa minimè ſuſpecta Regibus.*

PRincipum officii eſt Eccleſiam colere & amplecti, commendanda maximè hac in parte Regum & principum pietas, qui Sacerdotum dexteras oſculari, & eis cervices ſubmittere ſtuduerunt. Ambroſ. de dignit. Sacerdot. *Honor igitur fratris, & ſublimitas Epiſcopalis, nullus poterit comparationibus adæquari, ſi Regum fulgori compares, & principum diademati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla & principum ſummitti genibus ſacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum credent ſe committi.* Æternâ laude digniſſimi Romani Imperatores, qui ubi Romam pedem inferrent, ſtatim ad limina Apoſtolorum properabant. Auguſtin. in Pſalm. 65. *Sed melius eſt, ut Romam cum venerit Imperator, depoſito diademate ploret ad memoriam piſcatoris, quam ut piſcator ploret ad memoriam Imperatoris.* & idem in pſalm. 140. *Ecce quod eſt nobile & præcipuum in mundo imperator venit Romam, quo feſtinat ad templum Imperatoris, an ad memoriam piſcatoris.* Regum exemplo magiſtratus ſeculares debent colere Eccleſiam, nec detrahere juriſdictioni Eccleſiaſticæ. idem Homil. 10. *Quid quando pax eſt, quando provinciarum judices honorant Eccleſiam, quando inimicos Reges Eccleſia non patitur, quando omnes leges pro ipſa ſunt.* Et Regum præcipua cura eſſe debet, ut pax & concordia foveatur inter Epiſcopos & Comites qui erant Juridici cujuſque civitatis, nè ſe invicem conturbent in explendis ſuis vicibus. Conc. Cabillonens. 2. can. 20. *Si inter omnes fideles pax & concordia habenda eſt, multo magis inter Epiſcopos & comites eſſe debet, qui poſt imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt, ita enim inter ſe concordare debent, ut alterutrum ſibi ad Dei ſervitium peragendum & miniſterium ſuum explendum, non ſolum non noceant, quin po-*

*tius adminiculo sint.* Et Con. Moguntin. can. 8. *Et Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas providere, regere gubernare, atque dispensare secundum Canonum authoritatem volumus, & ut Laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defensandos, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam, & Episcopi consentientes sint Comitibus & iudicibus ad justitias faciendas.* Quòd descriptum est ex Capitular. Lib. 5. Cap. 114. eadem est sententia. Cap. 138. ejusd. lib. *Ut Episcopi cum Comitibus stent, & Comites cum Episcopis, ut Uterque pleniter suum ministerium peragere possit,* Imo in tantum delatum est à secularibus Jurisdictioni Ecclesiasticæ, ut si placitum Episcopi & Comitis fortè eodem die indiceretur, prius haberetur placitum Episcopi. Conc. Triburiens. Can. 9. *Cum autem Episcopus placitum canonice constitutum decreverit, populumque sibi creditum illo invitaverit, atque comes eadem die, sciens placitum ab Episcopo condictum vel nesciens placitum cum populo suum condixerit, & per bannum illuc venire præceperit, placitum Comitis omnes postponant, & Comes ipse idemque populus post Episcopum festinè pergant &c.* Jurisdictionem Ecclesiasticam eo propensius principes amplecti & tueri debent, quod illa minimè ipsis suspecta esse potest de Emulatione imperii, cum sit nuda & inermis, Ecclesia Jurisdictionem suam tuetur non ferro aut manu militari, sed religione, precibus & lachrymis: non aliis armis Valentiniano urgenti de tradendis basilicis Arrianis, restitit Ambrosius Mediolanensis Episcopus. Testem ipsum habemus in orat. contra Auxentium. *Quid ergo turbamini, volens numquam jus deseram, coactus repugnare non novi, potero dolere, potero flere, potero gemere, adversus milites Gothos quoque lachrimæ meæ arma sunt. Talia enim sunt munimenta sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere.* An princeps ligabit manus sacerdotum, quæ perpetuo pro ipsius salute in cælum tolluntur, an beneficus in milites qui ejus latus custodiunt, iniquior erit in clericos qui ejus salutem à Deo precibus impetrant. Invidiosa est Jurisdictio Ecclesiastica, suspicionibus, & querelis Laïcorum exposita. Chrisostom. de Sacerdot. libr. 5. cap. 82. ἀνάγκη τὸν προεστάτα μέμπτεις ὑπομένειν ἀλογους. *Necesse est antistites absurdas querelas sustinere.* Sed boni principis est, ista contemnere, nefas est Jurisdictionem Ecclesiasticam invidia & maledictis onerari, quasi per eam clerici, qui principis subditi existunt, alienentur, & appellationis vinculo fiant, quasi homines & clientati summi Pontificis, quia appellatio non mutat statum subditorum, in causa appellationis Pontifex non fungitur vice Domini, sed judicis appellationis. Neque dominantes in clero, sed forma facti gregis. 1. petr. 3. & pontifex ipse non præsumit cognoscere

de cauſis appellationis per ſe, ſed judices dantur in partibus, & Juriſdictio delegata fungitur vice ordinariæ. in Gallia enim reſcripta apoſtolica mandantur executioni juxta leges & modum Juriſdictionis ordinariæ ex concordatis initis inter ſummum Pontificem, & Regem Chriſtianiſſimum. Quale de Eccleſia fuit judicium Pipini, Caroli M. Ludovici Pii, & aliorum regum teſtantur capitularia, quibus decreta patrum paſſim comprobantur, teſtantur tot Eccleſiæ beneficiis faſtus & bannis id eſt Juriſdictionibus temporalibus horum gratiâ adornatæ, ne paterent injuriis ſecularium. Auctor vitæ S. Modoaldi Trevirenſis Epiſcopi apud Surium 12. Maii. *Poſtremo quantum religionis potentiæ & honoris Gallicis contulerint Eccleſiis, teſtantur libri ſanctorum decreta patrum continentes, quos ipſi in ſinodis ſua corrobaverunt auctoritate, teſtantur & Eccleſiæ quas cum diverſi generis ornamentis, tam etiam prædiis & regalibus ſuis, caſtris ſcilicet & comitatibus, teloniis, monetis & bannis, cum jure civitatum conceſſis magnificè extulerunt, nè ſancta Dei Eccleſia hujus ſeculi potentibus ſubjaceret, aut tirannide eorum paveſceret, imo ſuperborum colla Dei virtute ſuperior calcaret.* Tot feuda à Regibus collata in Eccleſias quod tutior eſſet fidei Epiſcoporum & clericorum quam Laïcorum, & præſens eſſet eorum auxilium ad coërcendos rebelles, metu excommunicationis. Vvillelm. Malmeſbur. lib. 5. de geſt. Reg. Anglor. *Imperator Henricus V. omnes Epiſcopos & Abbates Regni ſui, quod citra montes eſt, fautores habebat, quia Carolus M. pro contemnenda gentium illarum ferocia, omnes penè terras Eccleſiis contulerat, conſilioſiſſimè perpendens nolle ſacri Ordinis homines, tam facilè quam laicos fidelitatem Domini rejicere, præterea ſi laici rebellarent, illos poſſet excommunicationis authoritate, & potentiæ ſeveritate compeſcere.* Nequaquam Divis principibus æmula imperii viſa eſt Eccleſia, ſed ſanctiſſima conciliatrix, & arbitra inter Deum & homines, inde ſub eorum cuſtodia tuta & incolumis permanſit Juriſdictio Eccleſiaſtica, & legibus ita communita, ut capitularia iſtorum principum, magis videantur Canones & decreta patrum quam leges civiles. Et reges ipſi magis ſacerdotes quam principes ſeculares. Denique quæ invidia Eccleſiam habere propriam Juriſdictionem, Eccleſia ea maximè utitur adverſus hæreticos Dei & principis hoſtes, Eccleſia res judicatas non aliter exequitur quam implorato officio judicis ſecularis. Et ſi ipſa injuriam patiatur, exemplo Pauli legum auxilium invocat, & magiſtratus ſecularis opem non detrectat. Auguſtin. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 58. *Si in adjutorium veſtrum etiam terreni imperii leges aſſumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus cum adverſus injurioſos, civem Romanum ſe eſſe teſtatus eſt.* Can. Si in adjutorium. 10. diſt.

# CAPUT VI.

## *Status Jurisdictionis Ecclesiasticæ ab Apostolis usque ad Constantinum.*

His prælibatis rerum ordo postulat, quisnam fuerit Jurisdictionis Ecclesiasticæ status per tempora, ut investigemus. Et quidem ab Apostolicis temporibus Ecclesia habuit suos Judices, Clerici non alium tulere Judicem quam Episcopum ex instituto Apostoli 1. Cor. 6. Ne Episcopi & Clerici rei fiant apud Judices seculares vetuere Caius 1. Epist. unic. Cap. 1. Alexand. 1. Cap. 1. nixi præcepto Apostoli Can. 1. Can. relatum. 11. qu. 1. ex eodem præcepto etiam Laïci, judices seculares ut pote gentiles exosi, non alium judicem adiere, quam Episcopum civitatis, etiam in civilibus causis. De Gregor. Neocæsarienſi Episcopo, qui claruit temporibus Decii litium inter fideles cognitioni implicitum fuisse & in judicio vindicationis de lacu inter duos fratres ex more secularium judiciorum litis judicandæ causa in rem præsentem venisse testatur Gregor. Nyssen. in orat. de ejus vit. γίνεται ἐν τῇς δίκης κύριος ὁ διδάσκαλος, καὶ κῦ τὸν τόπον τοῖς ἰδίοις αὐτῦ νόμοις ἐκάχρητο πρὸς τὸν δικαστήν. Litis fit dominus magister, *qui cum ad locum de quo controversia erat venisset, suis ipsius legibus utebatur ad judicium.* Extat ejusdem epistola quam Græci vocant canonicam can. 5. in quo habetur, quod cognituras de causis eorum, qui à Gothis propriis spoliati aliena damni sarciendi causa rapiebant Euphrosynum fratrem miscuit, ut ex legibus Ecclesiasticis judicaret, quorumnam accusationes essent recipiendæ, quorumve rejiciendæ. Ne Christiani adirent tribunalia gentilium judicum, neve ferrent magistratus seculares, de eorum causis judicare omnino vetuit, & auctor constit. Apostolicæ lib. 2. cap. 45. & 46. & ut Episcopi judicarent Secunda feria, ut si non pareretur eorum sententiæ possent litem componere, usque ad sabbatum, & disceptantes pacificare usque ad diem Dominicum, & cum Episcopus judicaret, ut assisterent judicio Presbiteri & Diaconi subjunxit idem Cap. 47. ejusdem libri. Segregandi & excommunicandi potestatem quæ est mucro episcopalis Jurisdictionis, habuisse Episcopos jam ab Apostolicis temporibus testantur patres melioris ævi. Tertull. Apologet. Cap. 39. *Coimus in cœtum & congregationem.* Et paulò post *ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit ut à communicatione*

*communicatione orationis & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur.* Et Dionyſ. Areopag. de Eccleſiaſtic. Hierarch. Cap. 7. ἔτι δὲ τὰς ἀφορισμὰς ἔχουσιν οἱ ἱεράρχαι δυνάμεις, ὡς ἀκφαντορικοὶ τῶν θείων. *Sic etiam ſegregandi vim habent Pontifices, ut interpretes divinæ juſtitiæ.* Ab his temporibus ita valuit excommunicatio, ut excommunicatus à proprio Epiſcopo non reciperetur ab aliis. Ita Marcion Ponticus ſub Antonino à parente Epiſcopo excommunicatus ob ſtuprum illatum virgini, non impetratâ à patre pœnitentiâ Romam profectus, & à Summo Pontifice expetita pœnitentia, repulſus eſt hoc reſponſo οὐ δυνάμεθα ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ πατρός σου τοῦτο ποιῆσαι. *Nobis non licet injuſſu reverendi Patris tui iſtud facere.* Epiphan. hæreſ. 42. & quod clariſſimum etiam Juriſdictionis Eccleſiaſticæ argumentum eſt, idem Marcion poſt ſimulatam ſemel & iterum pœnitentiam Eccleſia proſcriptus, cum rebus ſuis quas Eccleſiæ intulerat. Tertul. de præſcript. adverſ. hæretic. Cap. 30. *Marcion quidem cum ducentis ſeſterciis, quæ Eccleſiæ intulerat, noviſſimè in perpetuum diſcidium relegatus.*

## CAPUT VII.

### *Status Juriſdictionis Eccleſiaſticæ ſub Conſtantino. Conſtitutio Conſtantini ex L. 1. C. Th. de Epiſcop. judic. à falſi inſimulatione vindicata adverſum Loyſeum & Feuretum.*

DE SÆVIENTE perſecutione, & pace à Conſtantino parta Eccleſiæ Juriſdictio Eccleſiaſtica unâ cum Eccleſiâ ipſa altius ſurrexit & à piiſſimis Imperatoribus magnâ cum religione & ſtudio ſuſcepta. In Synodo Romana 2. ſub Sylveſtro I. diſtrictè vetitum ne quis Clericum quemlibet in publico examinaret, niſi in Eccleſiâ Can. teſtimonium 11. qu. 1. id eſt ne Clericus accuſaretur apud Judices publicos, id eſt ſeculares, ſed tantum apud Eccleſiaſticos. Quæ prima extitit cauſa inter Epiſcopos, eaque celeberrima fuit Donatiſtarum, contra Cæcilianum Carthâginenſem Epiſcopum, de quâ interpellatus Conſtantinus per Anulinum Proconſulem Africæ, cui à Donatiſtis oblati erant libelli ut ad ad Imperatorem dirigerentur, noluit ipſe de Diis ſic vocabat, per Laïcos judicare, ſed dignitati ordinis concedens, quod par erat, ut in Synodo Epiſcoporum hujusmodi cauſæ diſceptarentur, eos remiſit ad Melchiadem Pontificem, ut hac de cauſa Concilium Patrum congregaretur. ex Auguſtin. epiſt. 162. & 266. & lib. 3. adverſ. Creſcon. nè

clericus accusaretur in curia seu apud judicem civilem prohibitum in epilog. Syn. Romanæ Can. Si quis clericum. Can. nullus clericus. 11. qu. 1. Anastas. in Sylvestro. *Hic constituit ut nullus clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante judicem civilem causam diceret, nisi in Ecclesia.* Et in Synodo Nicena 1. constitutum ne clerici alios habeant judices quam quos reus elegerit, vel hæc sancta Sedes id est Romana, vel ejus primatis autoritate Sedis Apostolicæ can. judices. ead. caus. & qu. Nec non in eadem Synodo libellos Episcoporum variis de criminibus se invicem petentium acceptos eremavit, illos à nemine judicandos dictitans, qui Dei solius judicio reservati essent. Ruffin. libr. 10. cap. 3. quod non uno loco repetitum. in can. continua, & can. sacerdotibus 11. qu. 1.

Baron. ad 324. num. 37.

Iisdem diebus Jurisdictio Ecclesiastica Constantini beneficio ultra modum penè adaucta & propagata, promulgatâ constitutione quæ non extat, sed refertur in L. 1. C. Th. de Episcopal. judic. cujus plura fuere capita. Primum fuit ut sententia Episcopi sive inter majores, sive inter minores dicta valeret & à præfecto prætorio aliisve judicibus executioni demandaretur. Singulare fuit in minore ut sententia Episcopi rata esset, etiam sine curatore prolata, quia sententia judicis cum minore dicta non valet, nisi adsit tutor vel curator tanquam idoneus defensor. L. pen. C. si adverss. rem judic. L. 1. C. qui legit person. stand. in judic. Secundum caput legis fuit, ut quicumque initio litis vel in quacumque parte litis, ante sententiam judicium sacri antistitis elegerit, illico etiam altera parte renitente, cum actis litis ad Episcopum dirigatur, quod valdè singulare fuit. Judex enim coram quo semel lis contestata est, non potest declinari. Exceptio fori opponenda est ante litem contestatam. L. ult. C. de except. L. peremptorias. C. sentent. rescind. non poss. Tum is non debet dari judex, quem altera pars elegerit, id enim iniqui exempli esse rescriptum est ab Adriano, nisi hoc specialiter impetretur à principe, ut consulatur verecundiæ periti judicis. L. observandum. §. de judic. Fortè si ejus dignitatis sit ut sine injuriâ quasi suspectus rejici non possit ut Episcopus hic, vel præfectus prætorio in quem non cadet suspicio propter dignitatem. l. unic. §. his cunabulis. §. de offic. præf. prætor. Tertium caput ejusdem sanctionis fuit, ne sententia Episcopi retractari valeret, proinde ac sententia præfecti prætorio quod confirmatur. L. 8. L. 9. C. de Episc. audient. Hanc constitutionem falsi insimulat vir clarissimus Carol. Feuretius. libr. 4. cap. 1. num. 3. non aliis argumentis quam hisce quæ desumpsit ex Carolo Loyseo tract. *des Seigneuries.* cap. 15. num. 48. & fortè ex Jac. Gothofredo nec laudato tamen autore. Quasi proprium crimen sibi asciscat. Primum est, quod

constitutio legatur sine die & Consule. Secundum, quod eadem non extet in Codice Justinianeo. Tertium est, quod Innocent. III. Pontifex juris peritissimus hanc tribuat Theodosio in cap. novit. de Judic. Sed hæc argumenta ita levia sunt ut perfacile sit ea refellere, & piissimam constitutionem vindicare à calumniâ falsi. Quot enim in utroque codice Theodosiano & Justinianeo leguntur constitutiones sine die & Consule, fortè negligentiâ & incuriâ librarii, & si quæ inveniantur in Codice sine die & Consule. De his tamen dubitandum non est ex constitut. Justiniani. de nov· codic. fac. §. 2. & de Justinian. Codic. confirm. §. 3. Idemque ante constitutum observatur. Augustin. in Brevicul. collat. *Cognitor etiam interlocutus est evidentissimis legibus definitum imperialia constituta, etiam si Consules non legantur, in dubium non revocari.* Quot etiam constitutiones Constantini extant in codice Theodosiano quas Justinianus livore vel aliâ de causâ in suo codice missas fecit, quot relatæ constitutiones in priore codice Justinianeo, quæ in posteriore omissæ sunt. Nec me movet quod Innocent. III. in cap. novit. hujusce constitutionis autorem laudavit Theodosium, non enim ignarus eam esse Constantini, adduxit ex Theodosio, sed hâc de causâ quod inserta esset Codici Theodosiano, secutus Gratianum qui eandem constitutionem repetiit ex Theodosio in can. quicumque 11. qu. 1. Nimirum stultior & supinior ætas leges Theodosianas vulgo appellitabat eas omnes quæ in codice Theodosiano positæ erant, etsi alios à Theodosio haberent autores. Sidon. libr. 2. epist. 1. *Leges Theodosianas calcans Theodoricianasque proponens.* Gregorius Turonens. libr. 4. cap. 45. de quodam nomine Ardarcho· *Nam de operibus Virgilii, legis Theodosianæ libris, arteque calculi ad plenum eruditus est.* Ne prorsus dubitetur de fide, & autoritate hujusce constitutionis; Constantinum ejus conditorem celebrat Eusebius. de vit. Constantini. libr. 4. cap. 27. καὶ τὰς τῶν ἐπισκόπων δὲ ὅρκῳ, τὰς ἐν συνόδοις ἀποφαινομένας ἐπεσφραγίζετο, ὡς μὴ ἐξεῖναι τοῖς τῶν ἐθνῶν ἄρχουσι τὰ δόξαντα ἀναλύειν, παντὸς γὰρ εἶναι δικαστὰ τὰς ἱερεῖς τὰ θεῷ δοκιμωτέρας. *Jam quæ ab Episcopis in publicis conventibus editæ erant regulæ, suâ consignabat & confirmabat autoritate, ne reliquarum gentium principibus liceret, quæ ab eis decreta essent abrogare, cujusvis enim judicis sententiæ sacerdotum Dei judicium anteponendum esse.* Apertius Sozomen. libr. 1. cap. 9. τεκμήριον δὲ κἀκεῖνο μεγιστον τῆς τὰ βασιλέως περὶ τὴν θρησκείαν αἰδοῦς. τὰς μὲν γὰρ πανταχῆ κληρικὰς διάτας νόμου ἀτελεῖς ἀνῆκε. τῶν δὲ ἐπισκοπῶν ἐπικαχῆσαι τοῖς κείσιν ἐπέτρεψε τοῖς δικαζομένοις ὡς βέλωνται τὰς πολιτικὰς ἀρχοντας παραιτεῖσθαι. κυρίαν δὲ εἶναι τὴν αὐτῶν ψῆφον, καὶ κρείττω τῆς τῶν ἄλλων δικαστῶν. ὡσανεὶ παρὰ τὰ βασιλέως ἐξενεχθεῖσαν. εἰς ἔργον δὲ τὰ κεινόμενα ἄγειν τὰς ἄρχοντας καὶ

τὰς διοικουμένους αὐτοῖς στρατιώτας. *Illud porrò est planè maximum reverentiæ Imperatoris, erga religionem argumentum, quod clericos ubique per legem immunes præstitit, quodque illis qui erant in judicium vocati dedit potestatem si vellent magistratus civiles rejicere, ad Episcoporum judicium provocandi, atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum judicum sententiis plus habere authoritatis, tanquam ab ipso Imperatore prolatam statuit, quin etiam jussit ut magistratus res judicatas exequerentur, militesque eorum voluntati inservirent.* Et Nicephorus. lib. 7. cap. 46. τεκμηριῶσαι δὲ κἀκεῖνο τῆς τοῦ βασιλέως περὶ τὸν πιστὸν αἰδοῦς ἱκανὸν ὅτι κληρικοὺς νόμου θέσει πάντας ἀτελεῖς εἶναι, τὸν δὲ περὶ αὐτοῖς δίκην τοῖς ἐπισκόποις ἐπέτρεψεν. εἴγε βούλοιντο προδικεῖσθαι τὰς τὰ πολιτικὰ κρίνουσας. τὸν γὲ μὴν ἐκεῖθεν ψῆφον τὸ κύρος τῶν ἄλλων πάντων φέρειν ἐνομοθέτει. τὰ γὲ μὴν ἐκείνης κρινόμενα εἰς ἔργον ἄγειν καὶ κατισχὺν, τοὺς τὰ κοινὰ διοικοῦντας ἄρχοντας, σὺν τοῖς ὑπὸ χεῖρα στρατιώταις αὐτοῖς. *Quâ verò Imperator erga fidem observantiâ fuerit, abundè illud quoque testatur, quod clericos omnes lege latâ liberos esse permisit, judiciumque in eos Episcopis, si quidem civilium judicum cognitionem declinare vellent, mandavit, & quod Episcopi judicassent id vim sententiæ omnem habere decrevit, & quæ ab Episcopis judicata essent, ut ea à Magistratibus Respublicas administrantibus, militarique quæ sub eis esset manu executioni mandarentur, constituit.* Et ita cautius Carolus M. libr. 6. capitulor. cap. 281. hanc constitutionem inter capitula retulit, non quasi Theodosii libro, id est codice quem edidit Theodosius junior, quem secutus est Gratianus. can. volumus. 4. qu. 1. & veram agnovit Cujac. in l. 14. de dot. prælegat. Constitutionem etiam esse Constantini probat inscriptio quæ est ad Ablavium Ducem, qui præfecturam prætorii gessit sub Constantino, ut patet ex Ammiano libr. 17. & inscriptione. l. 6. C. Th. de Episc. & Cleric. Nec minus rescriptum de sententiis Episcoporum ad eum emissum à Constantino, fuisse enim Christianus probatur ex epistola Constantini ad eundem scripta, de tractoriis concedendis Episcopis Africanis vocatis ad Concilium Arelatense quæ extat inter acta Fœlicis & Cæciliani, quæ edita sunt in calce collationis Carthaginensis. Nec temporum ratio patitur hujusmodi rescriptum ad Ablavium missum tribui Theodosio, Ablavium enim sub exordio imperii Constantii necatum autor est Zosimus libr. 2.

Eodem ingenio expungendæ jurisdictionis Ecclesiasticæ Feuretius jus eligendi Episcopos judices hac constitutione dari voluit, non ut judices sed ut arbitros. Sed hac sanctione judices dari potius quam arbitros, facilè evincitur duobus argumentis petitis ex ipsâ lege : prius est quod quicumque elegerit judicium episcopale, adversarium etiam invitum

trahit ad judicium Episcopi quod proprium argumentum est judicii ordinarii, non arbitrarii, judicium enim redditur in invitum, L. inter stipulantem §. 1. ff. de vo. compromissum inter volentes tantum. Et quod judicium episcopale eligitur petente altera parte, permittitur propter autoritatem Episcoporum, ut faciliùs & sine sumptu lites dirimantur. *Multa enim*, inquit Imperator in d. L. 1. *quæ in judicio captiosæ præscriptionis vincula non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis autoritas.* Posterius est quod sententia Episcopi non potest haberi pro sententiâ arbitri, à quâ appellari potest, cum ex hâc constitutione tanta sit autoritas sententiæ episcopalis, ut non valeat retractari & eodem jure censeatur, quo sententia præfecti prætorio qui vice sacra judicat, nec arbitrorum vice fungi Episcopos dicendum est ad quorum judicium provocaretur à magistratibus civilibus, ita ut cognoscerent de sententiis judicum, ex quo eo res prolapsa est, ut clerici & monachi reos judicio addictos per vim & usurpationem eriperent, quasi non jure damnatos, quod vetitum est ab Arcadio & Honorio L. addictos. C. de Episc. audient. L. addictos. C. Th. de pœn. L. 57. C. Th. de appell. Nec hoc jus novum videri debet, ut Episcopi cognoscerent de sententiis judicum, lites ab his judicio finitas, à Pontificibus repeti & retractari tulit & Marinus Imperator. Capitolin. in ipsius vit. *Pontificibus tantum detulit, & Quindecimviris, atque auguribus ut quasdam causas sacrorum à se finitas, iterari & aliter distingui pateretur.*

## CAPUT VIII.

### *Varius status Jurisdictionis Ecclesiasticæ sub Constantio & aliis Imp. Jurisdictio præfecti urbi in clericos.*

VARIAS vices experta est Jurisdictio Ecclesiastica, aliis clara temporibus, aliis obscura, ac penè defecta, pro ingenio & religione principum, & sorte reipublicæ, quæ plerumque statum ecclesiasticum demutat. Constantinianâ lege clerici fuere liberi & immunes à jurisdictione civilium magistratuum ex Sozomeni & Nicephori locis proximè adductis. Constantino superstite legis observantiam studio autoris tutam & incolumen fuisse, non est quod dubitetur; sed eo extincto, successore Constantio tam Arrianorum laqueis irretito, lex ferè emortua concidit, & magistratus seculares spretâ lege, quæ vindice careret, amissam potestatem facilè repetiere, prout propensiores sunt omnes ma-

giſtratus, ad ampliandos & promovendos juriſdictionis ſuæ terminos. Hinc gravior querela patrum, ne magiſtratus ſeculares cognoſcerent de cauſis Clericorum. Conſtantio libellum obtulit Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, acerrimus defenſor dignitatis Eccleſiæ, ne judices ſeculares ſeſe immiſcerent cauſis clericorum· *Provideat*, inquit, *& decernat clementia tua, ut omnes ſe ubique judices, quibus provinciarum adminiſtrationes creditæ ſunt, ad quos ſola cura & ſolicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosâ ſe obſervantia abſtineat, neque poſthac præſumant, atque uſurpent, & putent ſe cauſas eognoſcere clericorum, & innocentes homines variis afflictationibus, minis, violentiâ, terroribus frangere, atque vexare. Intelligit ſingularis & admirabilis ſapientia tua, non decere, non oportere cogi & compelli invitos & repugnantes, ut ſe his ſubjiciant & addicant vi oppreſſi, qui non ceſſat adulterinæ doctrinæ corrupta ſemina ſpargere.* Quo permotus Conſtantius legem dedit, ne Epiſcopi accuſarentur, in judiciis, id eſt apud judices publicos ſeu civiles, ſed ſi qua querela deferretur adverſus eos apud alios Epiſcopos exploraretur. L. 12. C. Th. de Epiſc. & Cleric.

Hac tempeſtate magiſtratus & præſides ſolebant cognoſcere de cauſis civilibus & criminalibus clericorum. Inde ſecuta ſanctio Valentis & Gratiani quæ extat in L. 23. C. Th. de Epiſc. & Cleric. Ut qui mos erat in cauſis civilibus clericorum obtineret, in levioribus verò delictis clericorum, puta his quæ pertinebant ad diſciplinam ſeu religionis obſervantiam, cognitio ſpectaret ad Epiſcopum diœceſanum, in gravioribus criminibus ad judices ordinarios id eſt præſides in provinciis, vel præfectum urbis in urbe, vel extraordinarios id eſt ſpecialiter datos à principe. Hoc jure cum variæ cædes in urbe patratæ eſſent tempore Valentis occaſione tumultus ſuborti in electione Damaſi, ob concurſum Urſini Diaconi, reos cædis tam clericos quam laïcos pœnas dediſſe cognitione Maximi tum præfecti urbis refert Socrates libr. 4. cap. 24. καὶ διὰ τοῦτο πολλοὺς λαϊκοὺς τε καὶ κληρικοὺς ὑπὸ τοῦ τότε ἐπάρχου Μαξιμίνου πικρωθῆναι. *Quam ob cauſam complures tam laïci quam clerici à Maximino qui tum præfectus urbi fuit acerbis afficiebantur ſuppliciis.* Chronopium Antiſtitem judicio Olibrii præfecti urbi damnatum ſignat. l. 18. c. Th. quorum appell. non recip. Et hac in re licet violata fuerit emunitas clericorum, tamen aliquatenus habitam rationem eorum dignitatis non eſt negandum, quod à ſuo judice abalienati, acceperint unum è majoribus magiſtratibus, nempè præfectum urbis qui omnia crimina id eſt cognitionem criminum ſibi vindicabat in urbe L. 1. §. ff. de offic. præfect. urb. Tacit. 14. Annal. *Pari ignominiâ Valerius Ponticus afficitur, quod reos nè apud præfectum urbis arguerentur ad Prætorem detuliſſet.* Inde Juſtinum Philo-

ſophum martyrium paſſum Romæ Ruſtico Præfecto urbi. ὑπὸ ἐφπικοῦ ἡγεμόνος, non ſine re notat Epiphan. hæreſ. 46. & Agnetem Virginem judice Symphronio Præfecto urbis. Ambroſ. ſermon. 90. *Audiens hæc Præfectus Symphronius lætus efficitur, & miſſa apparitione cum ingenti ſtrepitu, ſuis eam tribunalibus præcipit ſiſti.* Ne Juriſdictio Epiſcopalis fruſtratoriâ appellatione infringeretur, Valentinianus edixit, nè à ſententiâ Epiſcopi provocaretur ante ſententiam deffinitam, adverſus provocantem indicta multa quinquaginta librarum argenti L. 2. C. de Epiſc. audient. d. C. 18. L. Th. quor. appellat.

Juriſdictiónem Epiſcopalem tam laborantem reſtituit Theodoſius ſenior, & continuâ, id eſt perpetuâ lege ſancivit, nè Epiſcopi ad judicia ordinariorum, ſive extraordinariorum judicum pertraherentur, cum haberent illi ſuos judices, nec quicquam his commune eſſet cum legibus, quantum ad cauſas eccleſiaſticas, quas decet autoritate epiſcopali decidi, ita ut præfectus cognoſceret de civilibus negotiis clericorum Epiſcopus haberet Pontificium ſacræ diſceptationis L. ult. c. Th. de Epiſc. judic. cujus prior pars interpolata eſt in Can. continua. 11. qu. 1. ait Pontificium ſacræ diſceptationis id eſt ſummam cognitionem de negotiis eccleſiaſticis clericorum, quâ analogia & fruendi Pontificium, pro jure utendi, fruendi in L. 1. C. Th. de bon. matern. & Pontificium judicandi. Arnobius in pſalm. 68. *In portis ergo hi arripiunt Pontificium judicandi & corripiendi.* Pontificium dominandi idem in pſalm. 118. *Sic per infidelitatem non ſponſa, ſed uxor eſt poteſtas incredulitatis quæ dabat Pontificium dominandi ſacerdotibus templorum.* Recentia jura tamen ſpreta à Maximo Tyranno, in cauſa Priſcilliani & Sociorum, qui ſemel hæreſis damnati in Synodo Burdegalenſi, poſtea accuſantibus primum Thacio & Urſacio Epiſcopis, tum levandæ invidiæ cauſa, ſubmiſſo accuſatore filii patrono, Treviris capite damnati ab Evodio Præfecto prætorio Galliarum, cui cauſa demandata erat à Maximo, nequicquam reclamante Martino Turonenſi Epiſcopo apud Maximum, novum eſſe & inauditum nefas, ut cauſas Eccleſiæ judex ſæculi judicaret, ut refert Severus hiſt. ſacræ libr. 2. Quod cauſam dedit aliæ conſtitutioni Theodoſii ut clerici epiſcopali audientiæ reſerventur ſublato edicto Tyranni id eſt Maximi in cauſâ Priſcilliani, quo indiſcretè ad ſeculares judices deduci cautum erat L. ult. C. Th. de Epiſc. & cleric.

Adde Gell. libr. 1. cap. 13.

Sub idem tempus cum Valentinianus junior juſſiſſet Baſilicas tradi Arrianis ſuggeſtione Juſtinæ matris, Auxentius Pſeudo Epiſcopus Mediolanenſis, ſectâ Arrianus ad diſputationem provocaſſet Ambroſium his legibus ut certaretur coram Imperatore, & Imperator reclamantem Ambroſium juberet adeſſe, diſputationis causâ, ille non eſſe principis

de cauſis fidei judicare reſpondit ſcripta ad Imperatorem. epiſt. quæ eſt 32. *Nec quiſquam contumacem judicare me debet, cum hoc aſſeram quod auguſtæ memoriæ pater tuus Valentinianus, non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit, in cauſa fidei vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis, eum judicare debere qui nec manere impar ſit, nec jure diſſimilis, hæc enim verba reſcripti ſunt, hoc eſt ſacerdotes de ſacerdotibus voluit judicare quia etiam ſi alias quoque argueretur Epiſcopus, & morum eſſet examinanda cauſa, etiam hanc voluit ad Epiſcopale judicium pertinere.* Quæ eſt ſanctio generalis, cujus meminit. L. 18. C. Th. quor. appell. non recip.

Æquiores in Eccleſiam Arcadius & Honorius Theodoſii liberi paternæ pietatis æmuli conſtitutionem Conſtantini ſecuti edixere, ut judicium epiſcopale ratum eſſet omnibus, qui Epiſcopos judices elegiſſent, & eadem vis & robur eſſet ſententiæ Epiſcopi, quæ ſententiæ præfecti prætorio, ita ut ab eâ non liceret provocare L. Epiſcopale. C. de Epiſc. audient. Pari devotione iidem alio reſcripto vetuere, nè Epiſcopi canonicè depoſiti ad Imperatorem provocarent, vel ſeculare judicium expeterent. L. quicumque. C. Th. de Epiſc. & Cleric. L. quicumque. C. eod. Nihilominus alia conſtitutione Arcadii & Honorii juriſdictioni Eccleſiaſticæ modus impoſitus eſt, ejuſque metæ poſitæ in cauſis eccleſiaſticis, ita ut Epiſcopi judicarent, in cauſis clericorum quæ ad religionem & officium pertinerent, in aliis verò cauſis id eſt in civilibus cauſis judices ordinarii. L. 1. C. Th. de religione anno 452. Juriſdictionem Epiſcopalem ferè ſuſtulit Valentinianus 3. Novell. de Epiſcopali judicio quæ eſt in calce Codicis Theodoſiani, quâ vetuit nè Epiſcopi inter clericos vel laïcos habeant poteſtatem judicandi, niſi tanquam arbitri præeunte vinculo compromiſſi, quoniam, inquit, Epiſcopi & Preſbiteri forum legibus non habent, & invidiam à ſe removeret perperam uſus autoritate conſtitutionis Arcadii & Honorii, ne de aliis cauſis judicent Epiſcopi quam de cauſis religionis. Hac enim conſtitutione juriſdictio Eccleſiaſtica non reſtringitur ad cauſas religionis quæ pertinent ad fidem, ſed ad cauſas eccleſiaſticas quæ pertinent ad diſciplinam & officium clericorum, & civiles cauſæ clericorum tantum reſervantur judicibus ordinariis. Quam dura & indigna Chriſtiano principe viſa fuerit hujuſmodi conſtitutio intelligi poteſt quod à ſucceſſore Majoriano contrariâ lege damnata fuerit, & contra eandem editus ſit Canon. 1. Conc. Andegavenſis habiti anno ſequenti. *Primum ut contra Epiſcopale judicium, clericis non liceat reſilire, neque inconſultis ſacerdotibus ſecularium judicia expetere.*

Sub idem tempus à Marciano promulgata eſt conſtitutio pro clericis Conſtantinopolitanis, ut clerici conveniantur apud Archiepiſcopum volente actore, vel ſi actor nolit ſubire judicium Archiepiſcopi apud præfectum

fectum prætorio. l. cum clericis. C. de Epiſc. & cleric. l. decernimus C. de Epiſcopal. audient. Cum conſtitutione Leonis actum eſt ut Epiſcopi & clerici convenirentur, in cauſis civilibus apud judices ordinarios, id eſt præſides in provinciis, in urbe apud præfectum prætorio. l. omnes qui. C. de Epiſc. & cleric. de quâ Theodorus lector. libr. 1. Δέων ἐνομοθέτησε τοὺς κληρικοὺς ἐπὶ τῷ ἐπάρχῳ τῷ πραιτωρείων μόνον ὑπακούειν. *Leo ſtatuit ut apud præfectum prætorii ſolum reſponderent clerici.* Nicephor. Calliſt. libr. 15. cap. 22. ὅτι καὶ, λέων πρῶτος ἐνομοθέτησαι, τοὺς ἐν κλήροις καταλεγμένους, ἐπὶ μόνῳ τῷ τῶ πραιτωρίων ἐπάρχῳ κρίνεσθαι. *Quo tempore Leo Primus etiam conſtituit, ut qui in cleri ordinem lecti eſſent à ſolo præfecto prætorio judicarentur.* In criminalibus verò & alia conſtitutione Leonis cautum eſt, ut Epiſcopi & clerici apud Præſidem Provinciæ in qua delictum commiſſum eſt reſpondeant, ita ut in poſterum Præſes non teneatur ad eos accedere ut eos audiat, quod à dignitate Prætoris nimis alienum eſt, ſed rei audienti deducantur ad Præſidem. L. jubemus. §. ult. C. de Epiſc. & cleric. Cum illuſtribus reis mitiùs actum, illuſtres rei non ſtantes audiebantur, ſed ſedentes in eâ ſecretarii parte quæ inferior erat ſubſelliis judicum, altercantibus verò ſuperior. L. 3. C. Ubi ſenator, vel clariſſim. Quod ſervatum in Arvando Præfecto prætorio Galliarum, reo majeſtatis facto. Sidon. libr. 1. epiſt. 7. *Offertur Præfectoriis ante propoſitionis exordium jus ſedendi, Arvandus jam tunc infœlici impudentiâ, concito greſſu mediis propè judicum ſinibus ingeritur.* Epiſcopi & clerici quoties rei poſtularentur, à Præſide non audiebantur publicè & pro tribunali, ſed domi & ſecretò propter dignitatem ordinis. Verum id immutatum hâc conſtitutione, quia reatus tollit dignitatem L. 2. de dignitat. Joannes Chryſoſtom. homil. 13. ad Antiochenos. εἶδον πρώην ἐν τῷ δικαστηρίῳ δεδεμένους καὶ ἀπαγομένους διὰ μέσης τῆς ἀγορᾶς τοὺς περιφανεῖς ἐκείνους ἄνδρας, ἔνθα γὰρ ἂν ᾖ καθοσιώσεως ἀξίωμα, οὐδὲν ὠφελεῖ. *Vidi nuper in judicio vinctos, & per medium forum abductos, illos illuſtres viros, ubi enim capitis devotio, dignitas nihil prodeſt.* Alias Epiſcopi non coguntur venire in judicium teſtimonii dicendi cauſa, ſed præter ad eos quoſpiam è miniſtris ſuis domum mittere debet, qui eos audiat. Nov. 123. cap. 7. & clerici non tenentur publicè ſeu pro tribunali teſtificari. Synod. Carthag. can. 63. apud Balſam. περὶ τοὺς κληρικοὺς χρεὶν διαγνώσεως τῆς οἰκείας αὐτῶν κρίσεως μὴ ἀναγκάζεσθαι δημοσίως μαρτυρεῖν. *Ut clerici pro proprio ipſorum judicio non tenentur publicè teſtificari*, in perſonis egregiis idem ſervatum, ut demum mitteretur ad jurandum L. ad perſonas §. de jurejurand. A ſenatu Prætor miſſus ad Vigilantiam clariſſimam fœminam, qui eam domi teſtem audiret, quod ſuâ ætate novum & inſolens viſum,

cum & Veſtales in foro & in curiâ teſtes audiri moris eſſet, refert Tacit. 2. Annal. *Cæterum Vigulaniæ potentia, adeò nimia civitati erat, ut teſtis in causâ quadam quæ apud Senatum tractabatur venire dedignaretur, miſſus eſt Prætor qui domi interrogaret, cum virgines Veſtales in foro & judicio audiri, quotiens teſtimonium dicerent vetus mos ſineret.* Antea tamen ſacerdotes in causâ Verris ſecretò in curiâ audiri religionis fuit. M. Tull. Verr. 6. *Sacerdotes vocantur, ex his quæritur ſecretò in curiâ quid eſſet factum, quemadmodum arbitrarentur ſignum eſſe ablatum.*

## CAPUT IX.

### *Juriſdictio Eccleſiaſtica ferè collapſa reſtituta à Juſtiniano. Eadem incolumis ſub Regibus Gothorum.*

JURISDICTIO Eccleſiaſtica quæ à conſtitutione Valentiniani III. lethaliter vulnerata, ac ferè extincta erat, à Juſtiniano ſuſcitata veſut ſacra olea à Barbaris incurſa reviruit, ſibique & dignitati reſtituta eſt ſaltem ex parte non ſine diſtinctione civilium, & criminalium cauſarum & rurſus civilium ſeu communium & Eccleſiaſticorum criminum. ex Novell. 83. inſtante Menna P. C. ſtatutum, ut in pecuniariis ſeu civilibus cauſis, clerici conveniantur apud Epiſcopum qui de plano ſeu ſummariè litem expediat ſine ſcripto, ſine damno id eſt ſine ſumptu & ſportulis, ſi verò propter ambages & difficultatem litis, Epiſcopus litem decidere nequeat, tunc liceat tranſire ad judicem civilem, in criminalibus verò cauſis ſi civile ſeu commune fuerit delictum, ut adulterium, homicidium, furtum, clerici conveniantur apud Præſidem in provinciis, in urbe apud Præfectum urbis. Qui litem finiat intra duos menſes, ita ut damnatus clericus non priùs det pœnas, quam ab Epiſcopo degradatus fuerit, ſi crimen eccleſiaſticum, ut ſacrilegium, ſimonia, conſpiratio adverſus Epiſcopum, de eo diſceptetur apud Epiſcopum ſine ullo conſortio, & participio Judicis civilis, unde ſumpta eſt auth. clericus quoque. C. de Epiſc. & cleric. ex Nov. 123. cap. 8. Specialiter cautum ne Epiſcopi quâlibet in cauſâ pecuniariâ vel criminali ad judicem civilem, vel militarem inviti trahantur ſine reſcripto Principis, unde delibata eſt auth. nullus Epiſcopus. C. de Epiſc. & cleric. nec non ex Novell. 79. conſtitutum, nè monachi conveniantur niſi coram Epiſcopo, nimirum eodem jure cenſendi fuere monachi, ac clerici, ex quo monachi in clerum allecti conſtitutione Syricij Can. monachos. 16. qu. 1.

Jurisdictionem Episcopalem in clericos intactamr eliquerunt etiam Reges Gothorum dum Italiæ incubarunt, licet Secta Arriani reverentia Sedis Romanæ, ut credibile est. Temerarios accusatores Augustini Episcopi ad Eustorgium Mediolanensem Episcopum & Metropolitanum remisit Theodoricus Rex apud Cassiodor. 1. Var. epist. 9. *Volumus enim impugnatores ejus legitimâ pœnâ percellere, sed quoniam & ipsi clericatus uomine fungebantur, ad sanctitatis vestræ judicium cuncta transmisimus ordinanda, cujus est & æquitatem moribus talibus imponere, quem novimus traditionem Ecclesiasticam custodire.* Etiam in causâ Symmachi Pontificis, qui adulterii insimulatus erat cum haberetur Synodus Romæ, consultus idem Theodoricus à patribus quid vellet agi in hujusmodi causâ, in Synodi, inquit, esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec quicquam ad se præter reverentiam de ecclesiasticis negotiis, ut ferunt acta Synodi. Eadem religione clericos Romanæ Ecclesiæ reos postulatos suo judici id est Pontifici tradidit Athalaricus apud Cassiodor. 3. Var 24. *Itaque flebili aditione causamini hoc fuisse longæ consuetadinis institutum, ut si quis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ servientem aliquâ crederet actione pulsandum, ad supradictæ civitatis antistitem negotium suum dicturus occurreret, nè clerus vester forensibus litibus profanatus, negotiis potius secularibus occupetur.* Et paulò post. *Atque ideò considerantes Apostolicæ Sedis honorem, & consulentes desideriis supplicantium præsenti autoritate moderato ordine definimus, ut si quispiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem, in quâlibet causâ probabili crediderit actione pulsandum, ad beatissimi Papæ judicium priùs conveniat audiendus, ut aut ipse inter utrosque more suæ sanctitatis cognoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam.*

## CAPUT X.

### *Status Jurisdictionis Ectlesiasticæ inconcussus sub Regibus Francorum primæ stirpis.*

Jurisdictionem Episcopalem multò fœliciùs vindicarunt Episcopi Galliarum, annuentibus Christianissimis Regibus quorum plerique magis sacerdotes visi quam Reges in criminalibus causis etiam gravioribus, puta perduellionis, homicidii & aliis, non alios judices passi sunt Episcopi quam Coepiscopos, etiam de Regum consensu. Anno Christi 580. in Conc. Parisiensi Prætextatus Rothomagensis E-

piſcopus accuſante Chilperico Rege, quod cum Meroüeo ipſius filio conſpiraſſet in ejus caput & regnum, eundemque nuptiis copulaſſet cum Brunichilde amita, relicta Sigeberte patrui ſui; ut fuſiùs narrant Gregor. Tur. lib. 5. cap. 19. & Aymoin. libr. 3. cap. 21. & 26. Et licet crimen perduellionis de quo agebatur eſſet fori Regii & civilis, ſe Epiſcopos judicet non detrectare coram patribus obteſtatum Chilpericum refert Aymoin. *Quamvis venerandi Pontifices regia poteſtas reum majeſtatis legibus condemnare poſſit, ego tamen hunc qui falſum ſibi Paſtoris nomen uſurpat, conjurationis contra me factæ authorem, ſacris non contradicens Canonibus veſtræ audientiæ repræſento.* Imò & à Rege in medium productum Codicem Canonum, ſecundum quos judicari non abnueret, ſubdit idem Turonenſis: ipſe verò ad metatum diſceſſit, tranſmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quaſi apoſtolicos, continentes hæc: *Epiſcopus in homicidio, adulterio & perjurio deprehenſus, à ſacerdotio divellatur.*

Anno 582. Salonius & Sagittarius Epiſcopi, hic Vapincenſis, ille Ebredunenſis, in Concilio Lugdunenſi coacto, permittente Guntrano Rege, Epiſcopatu dejecti ob varia crimina perduellionis, homicidii, adulterii. Gregor. Tur. lib. 5. cap. 21. *Quod cum Rex Guntchramnus comperiſſet, congregari Synodum apud urbem Lugdunenſem juſſit, conjunctique Epiſcopi cum Patriarchâ Nicetio beato, diſcuſſis cauſis invenerunt eos, his ſceleribus quibus accuſabantur valdè convictos, præceperuntque ut qui talia commiſerant Epiſcopatus honore privarentur.* Idem Aymoin. libr. 3. cap. 18.

Anno Chriſti 588. in Synodo Matiſconenſi II. coacta jubente Guntrano Rege. Viſiernus Cadurcenſis Epiſcopus vir ſimplex cujus memoria ſanctitatis laude celebratur, epiſcopali munere in triennium ſuſpenſus, quod Gundebaldum qui Clotarii filium ſeſe gloriabatur ejus dolis deceptus intra civitatis ſeptæ excepiſſet. Gregor. Tur. libr. 8. cap. 20. *Interim dies placiti advenit, & Epiſcopi ex juſſu Regis Guntchramni, apud Maticenſem urbem collecti ſunt, Viſiernus Cadurcenſis Epiſcopus excommunicatur, pro eo quod Gundobaldum excepiſſe publicè eſt confeſſus, accepto hujuſmodi placito, ut penitentiam tribus annis agens, neque capillum neque barbam tonderet, vino & carnibus abſtineret, miſſas celebrare, Clericos ordinare, Eccleſiaſque & chriſma benedicere, Eulogias dare penitùs non auderet, utilitas tamen Eccleſiæ per ejus ordinationem, ſicut ſolita erat omninò exerceretur.*

Eodem anno in Synodo Biennacenſi ſeſe purgavit Gregorius Turonenſis Epiſcopus, cum reus factus eſſet, quod famæ Fredegundis Reginæ uxoris Chilperici oblocutus eſſet, de conſuetudine cum Bertranno

Burdegalensi Episcopo. Gregor. Tur. libr. 5. cap. 47. & dd. seqq. Anno 590. Ægidius Rhemensis Episcopus in Synodo Metensi Chilperici II. jussu congregata Episcopatu depositus quod in necem Regis consilia iniisset. Gregor. Tur. libr. 10. cap. 19. Flodoard. lib. 2. Rhem. hist. cap. 2.

Per eadem tempora & Concilia Galliæ quæ Regum jussu & voluntate coacta constat, eorumque confessu sæpiùs auctorata, & quorum Canones in leges & capitula Regum transfusi Jurisdictioni Episcopali tuendæ segniùs invigilarunt. Nè in causis civilibus vel criminalibus, Clerici conveniantur apud Judicem secularem, sed tantùm apud Episcopum Diœcesanum variis Synodis una lex facta. Synod. Agathens. can. 32. *Clericum nullus præsumat apud secularem Judicem, Episcopo non permittente pulsare, & si pulsatus fuerit non respondeat, vel proponat, nec audeat criminale negotium, in seculari judicio proponere.* Unde sumptus est can. Clericum nullus. 11. qu. 1. Synod. Aurelianens. III. cap. 32. *Clericus cujuslibet gradus, sine Pontificis sui permissu, nullum ad seculare judicium præsumat attrahere, neque laico inconsulto sacerdote, clericum in seculare judicium liceat exhibere.* Can. clericus cujuslibet 11. qu. 1. Synod. Aurelianens. IV. can. 20. *Quæcumque causatio, quoties inter clericum & secularem vertitur, absque Presbytero, aut Archidiacono, vel si quis esse præpositus Ecclesiæ dignoscitur, judex publicus audire negotium non presumat, sanè si causam habentibus placuerit vel ad judicium, fortè ex voluntate communi, permittente Præposito Ecclesiæ, clerico licentia tribuatur.* Synod. Antissiodorens. can. 43. *Quicumque judex aut secularis Presbytero aut Diacono, aut cuilibet de Clero, aut de junioribus, absque voluntate Episcopi, aut Archidiaconi, vel Archipresbiteri, injuriam inferre præsumpserit, anno ab omnium Christianorum consortio habeatur extraneus.* Et Synod. Matisconens. 1. can. 8. *Ut nullus clericus ad judicem secularem quemcumque alium fratrem de clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere quocumque loco præsumat, sed omne negotium clericorum aut in Episcopi sui, aut in Presbiteri, aut Archidiaconi præsentiâ finiatur, quod si quicumque clericus hoc implere distulerit si junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat, si certè honoratior triginta dierum inclusione multetur.* Unde desumptus est can. nullus clericus. 11. qu. 1.

## CAPUT XI.

### *Status ſacræ Juriſdictionis ſub Carolo magno & aliis Regibus ſecundæ ſtirpis. A Regibus imploratur mucro Epiſcopalis adverſus perduelles.*

JURISDICTIONEM Epiſcopalem penè collapſam diutinâ vacatione Eccleſiarum, vel ſocordiâ & ſecularitate Epiſcoporum, inclinatione Merovingiæ gentis, mutatione Reipublicæ, inſtauravit Carolus M. & legem Conſtantini & alias quæ magis conducebant juriſdictioni Epiſcopali ſuas fecit, & in capitula digeſſit uti Capitular. libr. 6. cap. 111. Cum edixit ut quæcumque ad religionem pertinerent, locis ſuis & à ſuæ diœceſeos Synodis audiantur. Quod ſumptum eſt ex L. unic. C. Th. de Religion. & cap. 109. ejuſdem libri idem conſtituit, ut clerici non ſecularibus judicibus, ſed epiſcopali audientiæ reſerventur, fas enim non eſt, ut divini muneris miniſtri, temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio, quod decerptum eſt ex L. ult. C. Th. de Epiſc. & Cleric. & cap. 281. ejuſdem libr. voluit Imperator, ut per omnes ditionis ſuæ Provincias quæ lege vel conſuetudine uterentur, ſervaretur reſcriptum deſumptum ex Theodoſii libro quod eſt Conſtantini in L. 1. C. Th. de Epiſcopal. judic. cujus ſententia hujus modi eſt ut cuicumque actori, vel reo initio litis, vel in quacumque parte litis ante ſententiam, liceret petere epiſcopale judicium, & nè ſententia Epiſcopi poſſet retractari. Idemque variis aliis capitulis ſtatuit, nè inconſulto Epiſcopo clerici conveniantur apud Judicem ſecularem. 5. Capitular. 237. & libr. 6. cap. 154. 156. & 330. & libr. 7. cap. 149. 208. 251. 369. Et ut intelligamus quonam ſtudio Imperator coluerit Juriſdictionem Eccleſiaſticam & Judices ſeculares ab ea abſtinere voluerit. Idem ſtatuit ut Epiſcopi, & Comites qui erant Judices Pagenſes concordiam inter ſe foverent, nè alter alterius Juriſdictionis fines invaderet, ut Capitulari 138. libr. 5. *Ut Epiſcopi cum Comitibus ſtent, & Comites cum Epiſcopis, ut uterque pleniter ſuum miniſterium peragere poſſit.* Et idem addit 3. cap. 64. *Ut Comites & Judices, reliquuſque populus obedientes ſint Epiſcopo, ut invicem conſentiant ad faciendas juſticias*, quarum legum exemplum dedere Epiſcopi Galliarum, invitatis Judicibus ad concordiam tuendam. Synod. Cabilonenſ. 2. can. 20. *Si inter omnes fideles pax & concordia habenda eſt, multo magis inter Epiſcopos & Comites eſſe debet, qui poſt*

*imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt, ita enim inter se concordare debent ut alterutrum sibi ad Dei servitium peragendum, & ministerium suum explendum, non solum non noceant, quin potiùs adminiculo sint.* Et Synod. Moguntina I. can. 8. *Episcopi consentientes sint Comitibus & Judicibus ad justitias faciendas.* Tanta erat Principum reverentia erga Ecclesiam, ut gauderent Jurisdictionem Ecclesiasticam cum civili conciliare & Comites cum Episcopis concordes & unanimes esse vellent, & hac in re commune erat votum legum & Canonum, nec erubescebant Reges legibus suis Canones insequi, & Canonum executores potiùs videri, quam legum auctores.

Hoc seculo Reges etiam in propriis causis Ecclesiasticæ Jurisdictionis opem implorarunt, ut hostes & perduelles cohiberent. Anno 835. in Concilio habito apud Theodonis villam, Ebo Rhemensis Episcopus Episcopatu depositus quod fuisset socius conspirationis initæ in Ludovicum Pium à Lothario & aliis è liberis. Flodoard. Rhemens. hist. lib. 2. cap. 19. & lib. 3. cap. 21. Aymoin. libr. 5. cap. 16. Anno 859. in Synodo Tullensi à Carolo Caluo porrectus libellus proclamationis seu quærelæ adversus Vvenilonem Senonensem Archiepiscopum, quòd Ludovici Regis Germaniæ fratris partes adversus se secutus esset, & cum ejus sociis excommunicatis publicè communicasset, in hæc verba. *Vvenilo cum quo potuit solatio ad prædictum fratrem meum Ludovicum in meam contrarietatem venit, cum quo erant excommunicati istius regni & seditiosi, de quorum excommunicatione Coepiscoporum suorum litteras accepit, & Missas publicas fratri meo, cum quo ipsi seditiosi erant in palatio meo Attiniaco, & Parochia & Provincia alterius Archiepiscopi fidelis nostri, sine suâ licentiâ ac Coepiscoporum consensu Vvenilo excommunicatis, vel excommunicatorum participibus celebravit.* A Regibus non modo ferro, sed etiam anathemate actum adversus perduelles & hostes, implorato ad hoc Episcoporum officio. Synod. Toletana 4. can. ult. *Quicumque ergo ex vobis, vel totius Hispaniæ populis quâlibet conjuratione vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gothorum statu, vel conservatione regiæ salutis pollicitus est temeraverit, aut Regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannicâ regni fastigium usurpaverit, anathema sit.* Quod repetit Synodus Toletana V. can. 2. Hac lege Juditham filiam quæ primum nupta Edilulfo Regi Anglorum, illo extincto post reditum in Galliam enupserat Balduino Comiti inscio patre Carolus Francorum judicio damnatos, anathemate distringi ab Episcopis impetravit. Flodoard. lib. 3. Rhemens. histor. cap. 12. *Unde Rex Carolus Episcopos ac cæteros regni primores consulens, post mundanæ legis judicium canonicam in jam dictum Balduinum*

*& Judith secundum edicta Beati Gregorii, ab Episcopis depromi sententiam fecit.* De quo est Capitulare Caroli Calvi tit. 30. cap. 5. & passim Reges nostri leges, capitularia, emunitates & privilegia anathematis plena, sanxerunt, adhibitâ scilicet in eam rem Episcoporum subscriptione & auxilio, ut liquet ex formulis Marculph. libr. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 1. 2. 6. quas singularibus notis illustravit clarissimus vir Hieronym. Bignonius, etiam petitionibus regiis appetita excommunicationis pœna & quo magis cautum esset adhibiti Notarii Apostolici. Chronic. Vernaculum de reb. hist. Ludovic. XI. ad ann. 1465. *Et pour plus ample promesse, ils obligeoient ès mains de deux Notaires Apostoliques, & voulant & accordans estre incontinent excommuniez se par eux ou l'un d'eux estoit fait le contraire.* Pari & fiduciâ Thetperga à Lothario injuriâ repudiata, inducta Valdradâ Pellice, de objectis se purgatura, Ecclesiasticum judicium expetiit, rejecto monomachiæ judicio quod poscebatur à Lothario, quod placuit Nicolao I. epist. ad Carolum Caluum quæ extat apud Reginonem libr. 2. chronic. *Deinde quod Ecclesiæ refugium quærens, Ecclesiasticum judicium semper expetens submitti non debet seculari judicio.*

Denique in his quæ pertinent ad Jurisdictionem Ecclesiasticam hâc ætate concordi religione viguit observantia Canonum & legum. Hincmar. Rhemens. Archiepisc. epist. 4. ad Episcopos Franc. cap. 6. editionis Moguntinæ. *Qualiter autem ordinati ministros sibi suppositos regere debeant sacri Canones & Decreta Sedis Romanæ Pontificum; sed & sextus decimus liber legum quibus una cum sacris Canonibus moderatur Ecclesia patenter ostendunt.* Quo intelligendus est liber 16. Cod. Theodosiani, quo continetur thesaurus legum quæ spectant ad Jurisdictionem Ecclesiasticam tuendam.

## CAPUT XII.

### *Status Jurisdictionis Ecclesiasticæ sub Ludovico Crasso, Ludovico Juniore, Philippo A. & D. Ludovico.*

RERUM summa ad Capetios translata Ecclesia Gallicana non desiit salvam & incolumen tueri suam Jurisdictionem, quin ea usi sunt ipsimet Reges ad coërcendos perduelles & regni hostes. Regnante Ludovico Crasso, Thomas de Marna in Synodo generali Galliarum apud Belvacum congregato anathemate damnatus & cingulo militari licet

licet absens discinctus in schemate, quod Rege variis expeditionibus occupato Pagum Laudunensem, Remensem, Ambianensem armis prædisque vastasset, idemque conjunctis Principis & Cleri in communem hostem consiliis munitissimis castris quotquot tenebat à Rege exhæredatus Suger. in vita Ludovici Crassi. *Cujus intolerabili fatigata molestiâ cùm sederet Belvaci generali conventu Gallicana Ecclesia, ut in hostes veri sponsi Jesu Christi, hic etiam judicii primordia, & damnativam promulgare incipiat sententiam venerabilis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus Cono Prænestinus Episcopus, innumerarum pulsatus molestiâ querelarum, Ecclesiarum pauperum & orphanorum, divexationum tyrannidem mucrone Beati Petri, anathemate scilicet generali detruncatus, cingulum militare ei licet absenti decingit, ab omni honore tamquam sceleratum infamatum, Christiani nominis inimicum omnium judicio deponit. Tanti itaque Concilii Rex exoratus deploratione citissimè in eum movet exercitum &c.*

Thomam Archiepiscopum Cantuariensem Angliæ finibus exulantem, & persecutionem patientem ab Henrico II. Rege Anglorum pro jurisdictione & libertate Ecclesiastica tuenda comiter excepit Ludovicus Junior, & in Pontiniacensi primùm cœnobio, tum in monasterio S. Columbæ apud Senones suo sumptu sustentavit. Qua de re conquerente per nuntios Rege Anglorum. *Ille*, inquit, *nuntiis Regi vestro nuntiantes, quia si Rex Angliæ avitas quas vocat consuetudines, licet minùs ut dicitur legi divinæ congruas, tamen ut ad Regiam dignitatem spectantes non sustinet abrogari, multò minus mihi licet jus illius libertatis subvertere, quòd cum corona Regni mihi jure competit hæreditario. Consuevit siquidem Francia ab antiquis temporibus omnes miseros & afflictos, & maximè pro justitiâ exulantes recipere & fovere donec pacem haberent, & tueri.* Et idem audiens Regem Anglorum consilia agitare de Cantuariensi deponendo à sede sua. *Certè*, inquit, *sicut Rex Anglorum, ita & ego Rex sum, tamen minimum de clericis mei regni deponere ego non valerem*, ut ferunt acta vitæ ipsius Thomæ libr. 2. cap. 5. & 26. Et Anglus ipse agnoscens se in causâ Thomæ non posse effugere judicium Ecclesiæ, ex fuco an ex animo palam edixit sese paratum consentire judicium Ecclesiæ Gallicanæ. Matth. Paris ad ann. 1168. *Rex autem Anglorum coram Rege Francorum ut asserebat Archiepiscopo satisfacere paratus erat, vel si contendere vellet judicium in Palatio Parisiensi subire, Gallicana Ecclesia ponente partes suas, seu scholaribus diversarum Provinciarum æquâ lance negotium examinantibus.* Non dispari ingenio Philippus Augustus ab uno è Conciliorum participibus submonitus, Regiam jurisdictionem passim à clericis usurpari, respondit, se ita esse suaderi,

ſed tot acceptorum à Deo beneficiorum memorem, rem facilè condonare Eccleſiæ, ſeque malle jurium ſuorum jacturam facere, quàm cum Eccleſiâ litem ciere. Teſtis Joinvilla ſcriptor Vernaculus vitæ D. Ludovici ex fide ipſius inter noviſſima verba quibus aſſatus eſt Philippum filium & regni ſucceſſorem. Et Ludovicus ipſe avitæ virtutis tenax, ab Epiſcopis Galliarum rogatus orante Guidone Altiſſiodorenſi Epiſcopo, ut ſi quis in excommunicatione inſordeſceret, ultra annum & diem, baillivos & præpoſitos juberet excommunicatos compellere captis pignoribus, ad petendum abſolutionis beneficium, precibus Antiſtitum lubens adnuit adhibito modo ſi liqueret juſtam eſſe cauſam excommunicationis, de quo idem Joinvilla: *Et le ſaint homme reſpondit que tres-volontiers le commanderoit faire de ceux qu'on trouveroit eſtre forconniers à l'Egliſe, & à ſon preſme.* Qua de re conſtitutionem anni 1228. dedit D. Ludovicus. Quæ comprobata eſt reſcripto Philippi III. ipſius filii. Quod habetur apud Choppin. de ſacr. polit. libr. 5. cap. 8. num. 15.

Per id tempus quidem optimates Galliæ, Dux Burgundiæ, Comes Britanniæ, Comes Engoliſmenſis, Comes S. Pauli & alii libellos publicè edidere, etiam extra fines Regni obteſtationis de uſurpationibus Judicum eccleſiaſticorum in ſeculares, vario idiomate gallico & latino, ut omnibus innoteſcerent; cujus verba è libello latinè ſcripto apponere non piget ex Mattheo Paris & Mattheo Vveſtmonaſterienſi deſumpta ad ann. 1247. *Nos omnes Regni majores, attento animo percipientes, quòd regnum non per jus ſcriptum, nec per Clericorum arrogantiam, ſed per ſudores bellicos fuerit adquiſitum, præſenti decreto omnium juramento ſtatuimus & ſanximus, ut nullus clericus, vel laicus alium de cætero trahat in cauſam coram ordinario judice vel delegato, niſi ſuper hæreſi, matrimonio vel uſuris, amiſſione omnium bonorum ſuorum, & unius membri mutilatione tranſgreſſoribus imminente, certis à nobis ſuper hoc executoribus deputatis, ut ſic Juriſdictio noſtra reſuſcitata reſpiret.* Sed adversùs Eccleſiam audire querelas privatorum cujuſcumque dignitatis eſſent, nimis iniquum & exemplo periculoſum fuit, cùm fierent inſcio Principe, nec ad alium quam ad Principem deferri par eſſet. Et autores hujus libelli ſuſpectos fuiſſe συνωμοσίας cum Friderico II. Imp. ſchiſmatis reo & Eccleſiæ perſecutore non diffitetur Matth. Paris. *Multos tamen perterruit hujuſmodi tenor Eccleſiæ, credebaturque hæc à conſenſu Friderici emanaſſe, maximè cùm hujuſmodi clauſula finalis concordet epiſtolæ Friderici, quam multis miſit Principibus, in cujus fine ſic dicit, &c.* Idem Vveſtmonaſterienſis iiſdem penè verbis.

# CAPUT XIII.

## *Status Iurisdictionis Ecclesiasticæ sub Carolo* VI. *Philippo Valesio, & Carolo* VIII.

QUANTI Jurisdictionem Ecclesiasticam coluerint secuti Reges, inde æstimare licet, quòd ejus opem & auxilium sæpius imploraruni, pro tutela & defensione regni, & rescripta Apostolica impetrarunt, quibus excommunicati declararentur, qui delectum militum egissent sine autoritate Principis. Hoc jure anno Christi 1417. sub Carolo VI. diris excommunicationis proscriptus, quod Dux Burgundiæ icto cum Anglis fœdere Galliam armis pessumdaret. Jam & nefariâ Ludovici Ducis Aurelianensis nece contaminatus anno 1329. sub Philippo Valesio ejus nominis VI. Durius tentata est Jurisdictio Ecclesiastica à Petro de Cugnerio Procuratore Regio in Senatu Parisiensi edito libello, quo varia continebantur capita de usurpationibus Regiæ Jurisdictionis factis per Clericos. Ob id solemnis collatio indicta apud Principem, cujus causâ Lutetiam convenére Episcopi Galliarum. In hoc consessu Regias partes tuebatur Cugnerius, ecclesiasticas Bertrandus Eduensis Episcopus: Jurisdictio Ecclesiastica defensa lege, & consuetudine, & si quid emendandum esset statutis synodalibus vel provincialibus, aliisve idoneis remediis emendari placebat. Quis fuerit exitus concertationis non tacendum, nimirum propriæ vocis oraculo edixit Rex Christianissimus, se jura Ecclesiastica magis augere, quàm imminuere velle, & ob hoc tantum Concilium indictum ut Officialium utriusque ordinis excessus emendarentur, ut refert Vv. Nangius in Chronic. Unde gratiæ illi actæ, & Catholici nomen additum. Teste Paulo Æmilio in ejus vit., si gestis collationis credimus conscio soluta est satis ambiguo responso Principis per Cugnerium, sibi placere ut ea quæ emendanda essent emendarentur, nî id fieret intra diem præfixum, se congruam medelam rei adhibiturum. Ut ut sit nihil sævius in Jurisdictionem Ecclesiasticam actum est, ipsâ religione suâ sese propugnavit, non sine pudore & confusione Petri Cugnerii quæ ejus nomen onerat in hodiernum diem. Anno 1486. tempore Caroli VIII. captis Petrocorienſi & Montalbanensi Episcopis, & in custodiam missis, quòd interceptæ forent litteræ ab his scriptæ ad Aurelianensem Ducem & alios, qui secessérant in Britones Regis jussu evocati Officiales Archiepiscopi

Turonensis qui eos audirent. Guill. Salignius scriptor Gallicus vitæ Caroli VIII. *Et à cette cause à un matin le Roy les fit constituer prisonniers, & à chascun bailla garde & les fit mettre en lieu seur, & à interroguer les Evesques, les Officiers de l'Archevesque de Tours furent appellez, & les faisoit le Roy bien traiter pour l'honneur de l'Eglise.* Nimirum in tantum delatum ordinis dignitati, ut etsi Antistites capti essent per Regios ministros, non sustinuerit tamen Rex Christianissimus hos audiri per eosdem, sed ad hoc adhibuerit Officiales Archiepiscopi Turonensis. Etsi in hoc ipso peccaret Episcopos submittendo cognitioni Officialis Turonensis, qui Jurisdictione prorsus carebat in Episcopos.

## CAPUT XIV.

### *Varius status Jurisdictionis Ecclesiasticæ sub Regibus Anglorum.*

HAUD minori in pretio & observatione fuit Jurisdictio Ecclesiastica apud Anglos, jam ad obsequium Ecclesiæ Romanæ natos, & spontaneos vectigales. Multis seculis in Anglia ita actum cum Clericis, ut occurrentibus in via, plebes gena passim submitterent, eorumque benedictione, quasi summo beneficio gauderent. Beda hist. Anglican. libr. 3. cap. 26. *Tota enim tunc fuit sollicitudo Doctoribus illis Deo serviendi, non seculo; tota cura cordis excolendi, non ventris: unde & in magnâ erat veneratione tempore illo religionis habitus, ita ut ubicumque Clericus aliquis, aut Monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tamquam Dei famulus exciperetur, etiamsi in itinere pergens inveniretur, accurrebant, & flexâ cervice vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant*: Idem libr. 4. cap. 27. *Erat quippe moris eo tempore populis Anglorum ut, veniente in villam clerico vel Presbytero, cuncti ad ejus imperium verbum auditari confluerent, libenter ea quæ dicerentur audirent, libentiùs ea quæ audire, & intelligere poterant, operando sequerentur.* Gaudebat Anglicana Ecclesia securâ libertate clericatus & fori Ecclesiastici, donec Henricus II. vehementiùs commotus querelis, & subreptionibus secularium magistratuum Regiam Jurisdictionem in dies enervari, ac penè evacuari à Clericis, ex his impunè esse graviora crimina, colludio Episcoporum qui magis solliciti essent de tuendâ libertate clericorum, quàm de eorum correctione & emendatione, Comitia regni habuit apud Clarendonam, in quibus statutum inter cætera, ut Clerici conventi apud

Regios Judices se sisterent, judicium expectari de his quæ ad eorum forum spectarent; in causis autem Ecclesiasticis redderentur suo Judici, ita ut Regio Judici liceret quempiam imponere, qui judicis ecclesiastici gesta observaret, & confessi vel convicti traderentur curiæ seculari Matth. Paris ad ann. 1163. *Clerici accusati de quâcumque re summoniti à judiciario Regis, veniant in curiam ipsis responsuri ibidem de hoc, unde videbitur Curiæ Regis quod ibi sit respondendum, & in curia ecclesiastica unde videbitur, quod ibi sit respondendum, ita quod Regis Justiciarius mittet in curiam sanctæ Ecclesiæ, ad videndum quomodo res ibi tractabitur, & si clericus convictus vel confessus fuerit, non debet eum de cætero Ecclesia tueri.* Inde ortum grave certamen inter Regem Angliæ, & Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, quod ejus exilio, & tandem sanguine funestatum. Roger. Hovedenus ad ann. 1163. *Eodem anno gravis discordia orta est, inter Regem & Thomam Cantuariensem Archiepiscopum de ecclesiasticis dignitatibus, quas idem Rex Anglorum turbare & minuere conabatur, & Archiepiscopus ille leges & dignitates ecclesiasticas modis omnibus illibatas conservare nitebatur. Rex enim volebat Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & alios Ecclesiæ Rectores si comprehensi fuissent, in latrocinio, vel murdrâ, vel feloniâ, vel iniquâ combustione, vel in his similibus ducere ad secularia examina & punire, sicut & laïcum. Contra quòd Archiepiscopus dicebat, quod si clericus in sacris ordinibus constitutus, vel quilibet alius Rector Ecclesiæ calumniatus fuerit, de aliqua re per viros ecclesiasticos, & in curia ecclesiastica debet judicari, & si convictus fuerit ordines suos amittere, & sic alienatus fuerit ab officio & beneficio ecclesiastico, si postea satisfecerit, secundum voluntatem Regis & Ballivorum suorum judicetur.* Fusius rem Guill. Neubrigens. libr. 2. cap. 16. Radulf. de licito in imag. Histor. ad ann. 1164. Capitula seu statuta Clarendonensia tamquam avitas consuetudines tuebatur Rex Anglorum, quæ à Cantuariensi post secessum in Galliam damnata sunt. Joann. Sarisber. epist. 159. *Præterea scriptum illud in quo continentur pravitates malignantium adversùs Ecclesiam, quas avitas consuetudines dicunt, publicè condemnavit, omnes innodans anathematis vinculo, quicumque de cætero autoritate illius scripti uterentur, & nominatim de consilio Ecclesiæ Romanæ. Hæc capitula imprimis damnata sunt quòd non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui de Rege teneat sine licentiâ ipsius: quòd non valeat Episcopus coërcere aliquem parochianorum suorum pro perjurio, vel fide læsa, quòd ad secularia judicia trahantur clerici: quod laïci sive Rex sive alius causas de Ecclesiis & decimis tractent: quod non appellaretur pro causâ aliquâ ad Sedem Apostolicam, nisi Regis & Officialium suorum veniâ impetratâ: quòd non liceat Archiepiscopo, vel Episco-*

*po, & aliis perſonis venire ad vocationem Domini Papæ abſque licentiâ Regis &c.* Secutâ nece Thomæ martyris Rex ſatisfactionis & pœnitentiæ causâ, ſtatuta ſeu capitula Clarendonenſia in everſionem libertatis & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ poſita, deſiderantibus Theodino & Alberto Legatis Sedis Apoſtolicæ remiſit. Acta vitæ & proceſſ. S. Thomæ libr. 4. *Tunc injunctum eſt ei à Legatis, quod prava ſtatuta de Clarendono, & omnes malas conſuetudines, quæ in diebus ſuis in Eccleſia Dei adductæ ſunt, penitùs dimitteret: ſi quæ autem fuerint malæ ante tempora ſua, illas juxta mandatum Domini Papæ & conſilio religioſorum virorum temperaret.* Rursùs & idem Rex, mortis Thomæ martyris expiandæ causâ Petro Leonis Legato Sedis Apoſtolicæ quatuor conceſſit capitula. Primum, nè clerici conveniantur apud Judicem ſecularem pro quopiam crimine niſi pro foreſtâ, & laïco feudo; ſecundum nè Epiſcopatus, vel Abbatiæ vacantes ultra annum deponantur in manu regia; tertium ut interfectores clericorum à Judice ſeculari damnati, dent pœnas præſente Epiſcopo; quartum, nè clerici cogantur ad duellum ſcilicet purgationis causâ. Matth. Paris ad ann. 1176. *Veniente in eodem tempore in Angliam Petro Leone Legato Sedis Apoſtolicæ, Quatuor ei Rex conceſſit capitula, quæ ſequuntur in Regno Angliæ obſervanda; primò, quod de cætero clericus non trahatur ante Judicem ſecularem perſonaliter pro aliquo crimine, vel tranſgreſſione, niſi pro foreſtâ, & laïco feudo, unde Regi vel alio Domino ſeculari laïcum debetur ſervitium; ſecundò ut Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, vel Abbatiæ non teneantur in manu Regis ultra annum niſi pro causâ evidenti, vel neceſſitate urgente; tertiò, conceſſit ut interfectores clericorum convicti, vel confeſſi coram Juſticiario Regni præſente Epiſcopo puniantur; quartò, quod clerici duellum facere non cogantur.* Juſtam martyrii Thomæ lauream pro defensâ libertate & Juriſdictione Eccleſiaſtica probavit mors illuſtrata miraculis, pœnitentiâ Henrici, & religio Ludovici Junioris, qui exulantem ſuſtentavit, & martyrem coluit, & primus ad ejus tumulum voti causâ profectus eſt. Acta ejus vitæ libr. 4. cap. 4. *Primus inter cæteros & præ cæteris piiſſimus ille & Chriſtianiſſimus divinæ recordationis Rex Francorum Ludovicus poſt Martyris de mundo exceſſum, mundo citò poſt propter ſigna virtutum, & prodigia quæ fiebant, tropheum Martyris prædicante: Rex*, inquam, *ille pius exinde motus, quia inauditum eſt Reges videlicet Francorum tranſiſſe maria, niſi fortè ad exteras ſeu fidei inimicas nationes debellandas, ipſe tamen tam potens Rex ſolo pietatis amore tractus & commotus, exivit regnum, ventis ſe commiſit & undis, ut eum quem exceperat & exhibuerat exulem, adoraret vulneratum in ſepulchro dormientem adhuc, & adorans ea quæ talem & tantum Regem decebant, obtulit mu-*

*nera, vinum videlicet & aurum, aureum scilicet calicem & vini centum modios perpetuo ad natalitium diem martyris singulis annis celebrandum in lætitia, &c.* Tempore Richardi I. respiravit & Ecclesia Normannica, impetrato à Rege rescripto, nè clerici apud secularem Judicem convenirentur nisi pro graviori delicto, puta homicidio, furto, incendio. Matth. Vvestmonaster. ad ann. 1190. *Circa illos dies annuente Rege Richardo liberata est Ecclesia Normannica à longo servitutis jugo quo premebatur, quod scilicet nullâ occasione à secularibus capientur clerici potestatibus, sicut consueverant, nisi pro homicidio, furto, incendio, vel hujus modi enormi flagitio.* Anno 1344. ab Edvvardo III. non gratuitum prodiit edictum, ne Episcopi cujusquam criminis accusarentur apud Justiciarios Regni, donec aliter provideretur. Thomas Vvalsingan. in ejus vit. *Clericus Anglicanus Regi concessit decimas triennales, & Rex concessit eisdem per chartas suas, quod nullus Archiepiscopus, sive Episcopus sit accusatus coram Justiciariis suis causâ cujuscumque criminis, quo usque aliud remedium ordinetur.*

# DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA TUENDA ADVERSUS INSULTUS

*Auctoris tractatûs de Abusu, & aliorum.*

## LIBER SECUNDUS.

### CAPUT PRIMUM.

*Utraque Jurisdictio Civilis & Ecclesiastica, alia est voluntaria, alia contentiosa. Quæ sint Jurisdictionis voluntariæ & contentiosæ.*

EMENSIS Jurisdictionis Ecclesiasticæ cunabulis, & variis casibus, nunc explorandum occurrit quænam sint partes Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Jurisdictio Civilis, alia est voluntaria, alia contentiosa. Jurisdictio voluntaria est, quæ etiam de plano, extra tribunal, extra Provinciam, extra territorium, quocumque loco, etiam in transitu Prætoris exercetur, ut manumissio, adoptio, emancipatio L. 2. ff. de Offic. Proconsul. L. apud Proconsulem. de manumiss. vindict. L. emancipati de adopt. L. ult. C. de emancipat. L. servi. instit. de Libertin. Hinc servi poterant manumitti apud Proconsulem in itinere. Plin. libr. 7. Epist. 16. *Hic nunc Proconsule Provinciam Bæticam per Ticinum est petiturus*,

*petiturus, ſpero imò confido, facilè me impetraturum, ut ex itinere deflectat ad ſe, ſi voles vindicta liberare, quos proximè inter amicos manumiſiſti,* Juriſdictio contentioſa non exercetur, niſi pro tribunali cauſa cognita, intra territorium d. L. 2. in Juriſdictione contentioſa jus dicenti extra territorium, impugnè non eſt L. ult. ff. de Juriſdict. L. duumvirum. C. de decur. Præſes vel Proconſul extra Provinciam privati loco habetur L. 3. ff. de Offic. præſid. præſes non poteſt de cauſa cognoſcere in tranſitu, in itinere. Collat. Carthaginenſ. 2. Cap. 29. *Vides ergo vir nobilis juſta nos depoſcere, nec per tranſitum cauſam debere ventilari.* Ea quæ ſunt voluntariæ Juriſdictionis præſes vel Proconſul apud ſe defungi poteſt, ut Magiſtratus apud quem legis actio eſt, apud ſe adoptare, vel manumittere poteſt L. Magiſtratum. ff. de adopt. in Juriſdictione contentioſa qui præeſt Juriſdictioni, neque ſibi, neque ſuis jus dicere debet L. qui Juriſdictioni. ff. de Juriſd. Hoc diſtat etiam Juriſdictio voluntaria à contentioſa, quòd ea quæ ſunt voluntariæ Juriſdictionis, requirunt majores Judices, ut emancipatio L. 1. & ult. C. de emancipat. & manumiſſio quæ fit etiam apud Epiſcopum in Eccleſia. Conſtitutione Conſtantini quæ extat in L. 1. de his qui in Eccleſ. manumitt. de qua Sozomen. libr. 1. cap. 9. Ἔξεις ἔδοτο νόμους ψηφισάμενος πάντας τὰς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερουμένους ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι πολιτείας ῥωμαικῆς τυγχάνειν. *Ters tulit leges, quibus decrevit, ut omnes in Eccleſiis manumiſſi teſtibus Sacerdotibus, civitatem Romanam ſortirentur.* Auguſtin. Sermon de vit. Communi Clericor. *Tamen de laboribus ſuis antequàm eſſet Clericus, emerat aliquos ſervulos, hodie illos in conſpectu veſtro manumiſſurus eſt, Epiſcopalibus geſtis.* Juriſdictio contentioſa redditur etiam in invitum L. inter ſtipulantem §. 1. ff. de VO. Juriſdictio voluntaria inter volentes tantumd. L. 2. Juriſdictio Eccleſiaſtica in hoc convenit cum Civili, quòd alia eſt voluntaria, alia contentioſa. Voluntariæ Juriſdictionis ſunt collatio Ordinum, collatio Beneficiorum, & alia de quibus primùm dicturi ſumus, quia ſcilicet tribunal non requirunt, & ſolâ auctoritate & poteſtate Epiſcopi pendent: & hoc eſt quod vult Can. Epiſcopus. 15. qu. 7. *Epiſcopus Sacerdotibus & Miniſtris ſolus honorem dare poteſt, auferre ſolus non poteſt.* Hoc diſtat tamen Collatio Ordinum, à Collatione Beneficiorum, quòd Epiſcopus non poteſt conferre Ordines extra Diœceſin, ſine licentia Epiſcopi Diœceſani Conc. Antioch. Can. 13. Can. nullum. 9. qu. 2. Cap. ſi Epiſcopus. de præbend. in 6. Unde cùm Epiphanius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus, in ſuburbio Conſtantinopolis Clericum ordinaſſet ſine permiſſu Joannis Chryſoſtomi qui Sedi Conſtantinopolitanæ præerat, Joannes ei ſignificavit id geſtam eſſe contra Canones auctore Socrate libr. 9. cap. 13. Collatio autem Beneficiorum poteſt fieri extra Diæceſim cap. quâ

fronte de appellat. cap. post electionem de Concess. præbend. quia est actus minùs solemnis.

## CAPUT II.

*Episcopalis Jurisdictionis est collatio Ordinum. An de meritis Ordinationis per appellationem tamquam ab abusu valeat cognoscere Judex secularis. Refutatur error Fevretii.*

JURE communi collatio Ordinem pertinet ad solos Episcopos. Can. perlectis. vers. ad Episcopum 25. dist. Can. Presbyteri. 68. dist. cap. 1. de Ordinat. ab Episcop. qui renunc. Episcop. Concil. Trident. sess. 23. de Sacrament. Ordin. cap. 7. Hieronym. in Sophon. *Sacerdotes quoque qui dant Baptismum, & ad Eucharistiam Domini imprecantur adventum, faciunt oleum Chrismatis, manus imponunt, Catechumenos erudiunt, Levitas & alios constituunt Sacerdotes, Dominum deprecentur, & studiosè agant nè de Sacerdotibus qui violant Sancta Domini, esse mereantur.* Hinc Ecclesias Aquitaniæ destitutas Clericis, quòd furore Eorici Gothorum Regis orbatæ essent Episcopis, luget Sidonius libr. 7. Epist. 6. *Burdegala Petrogorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Elusani, Vasates, Convenæ, Auscenses, multoque jam major numerus civitatum, summis Sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec ullis deinceps Episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos utique minorum Ordinum ministeria subrogabantur, latum spiritualis ruinæ limitem traxit.* Episcoporum propria est Ordinatio Clericorum quia soli Episcopi habent manuum impositionem, tamquam successores Apostolorum quibus solis data est potestas imponendi manus, & consequenter habent penès se ordinationem, quæ fit per impositionem manuum: unde Ordinationem, manuum impositionem vocat Paulus 2. ad Timoth. 4. dum ait: *Nemini cito manus imposueris.* Hinc Chorepiscopis Presbyteros vel Diaconos Ordinare non licet, quia non habent apicem Pontificatûs. Can. quamvis. 68. dist. id est, impositionem manuum seu potestatem conferendi Spiritûs Sancti. Solus Episcopus majores seu Sacros Ordines confert, minores Ordines ab Abbatibûs conferri possunt subditis suis, id est propriis Monachis, dummodo sint Presbyteri, & benedicti. Can. 1. 69. dist. cap. 1. de Ordinat. ab Episcop. cap. cùm contingat. de ætat. & qualit. & ordin. præfic. cap. Abbates. de Pri-

vileg. in 6. Conc. Trident. seſſ. 23. de reform. cap. 10. quia in eos Eccleſiaſticam & quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem obtinent, d. cap. Abbates, Gregor. Tur. de vit. Patr. cap. 6. *Tunc Abbas iſta nunciis referentibus puerum Cleritum fecit.* Ordinatio clericorum pertinet ad proprium Epiſcopum, Epiſcopus non poteſt ordinare Clericos alienæ Dioceſis, ſine conſenſu, ſeu Litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi, & ſi alieni Clerici Ordinentur à non ſuo Epiſcopo, Ordinatio irrita eſt ex Conc. Nicen. Can. 16. Sardic. Can. 18. Can. 1. & 3. 71. diſt. Can. nullus. 9. qu. 2. id eſt quò ad effectum & executionem Ordinis, Ordinatus in à non ſuo Epiſcopo recipit quidem Characterem, ſed non habet executionem Ordinis, imo ipſo jure ſuſpenſus eſt ab executione Ordinis Can. Lugdunenſis. 9. qu. 2. Conc. Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 8. & per conſequens ei non poteſt conferri beneficium, nec reſervari penſio. DD. in cap. quod tranſlationem. de Elect. Rebuff. de pacific. poſſeſſ. num. 191. Idem de nominat. qu. 14. num. 42. Flamin. Pariſ. de reſignat. Benef. lib. 4. qu. 2. num. 58. Idemque non gaudet Privilegio Clericali cap. 1. & 2. de tempor. Ordin. in 6. Marcus. qu. 175. tom. 1. Nec non Epiſcopus Ordinans alienum Clericum ſine litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi, per annum ſuſpenditur à collatione ordinum cap. eos qui eod. tit. Conc. Tridentin. d. cap. 8. ſeſſ. 23. de reform. Epiſcopus etiam non poteſt Clericos Ordinare in aliena Diœceſi, niſi rogatus ſeu invitatus à proprio Epiſcopo. Conc. Antiochen. cap. 13. Can. nullum. 9. qu. 2. Feuret. lib. 3. cap. 13. num. 18. minus idoneam ducens in hac re providentiam ſanctorum Canonum, exiſtimat hujuſmodi ordinationem eſſe abuſivam, & ab eâ appellare licere tamquam ab abuſu. Verum ego non ſine ſtupore ſcriptum viri ætate & eruditione gravioris lectito. Quo jure enim fieri poterit ut judices Laïci velint cognoſcere de meritis ordinationis & de Sacramento Ordinis, quod eſt apex & culmen Sacramentorum, cœleſte Chariſma, ſpiritualis unctio, quâ cenfertur Spiritus Sanctus, præcipuum Sacerdotii, quod Apoſtolis reſervatum eſt, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus. Appellatio tamquam ab abuſu, eſt ſubſidiarium & ultimum remedium quod alio deficiente datur. At in hoc caſu non deeſt remedium Canonum, Sanctione Sacrorum Canonum nonnè prohibitæ ſunt hujuſmodi ordinationes, nonnè vacuæ & irritæ pronunciantur & uterque id eſt ordinatus & ordinans condignè punitur, cum ordinatus ipſo jure ſuſpendatur ab executione ordinum, & ordinans ad tempus à collatione ordinum. Quorſum ergo ad compeſcendas hujuſmodi ordinationes adeas tribunal prætoris, ubi Canones præſto ſunt, & ſi meliorum temporum diſciplinam ſpectemus, quoties hujuſmodi ordinationes à non ſuo Epiſcopo, vel in aliena Diœceſi fieri contigit, ſem per adhibitum invenies. Auxilium Canonum, & cognitoris Eccleſiaſtici, non Judicis Forenſis. Epiphanius Conſtantienſis Cypri Epiſcopus

cum missas celebrasset & Diaconum Ordinasset in æde sancti Joannis ad septimum lapidem à Constantinopoli, inscio Joanne Chrysostomo, qui tum præerat sedi Constantinopolitanæ, minimè commotus est Chrysostomus, imo Epiphanium domum invitavit, sed cum Epiphanius adversum se turbas cieret, satis duxit illi significare per missum, eum agere contra Canones. πολλὰ κανόνας παράττεις, ὦ ἐπιφάνιε, πρῶτον μὲν χειροτονεῖν ἐν ταῖς ὑπ' ἐμὲ οἰκουμέναις ποιούμενος, εἶθ' ὅτι μὴ προσῆκεν παρ' ἐμοῦ. ἐν ἀυταῖς ἐλειτούργησας, οἰκεία ἀυθεντία χρησάμενος. *Multa contra Canones agis, Epiphani, primum quod ministros Ecclesiæ Ordinas in Ecclesiis quæ sunt in mea Diœcesi, deinde quod antequam erat tibi à me potestas permissa, tua ipsius authoritate sacra mysteria celebrasti.* Ut refert Socrates libr. 6. cap. 13. quo monitu ita perculsum addit, ut illico enavigaret in Cyprum, quo non pervenit morte præventus, & Hugo Lugdunensis Archiepiscopus cum deprehendisset Clericos suæ Diœcesis, ab alieno Episcopo Ordinatos, non alium consuluit quod faceret quam Urbanum secundum summum Pontificem, à quo rescriptum est quod eos in propriis Ordinibus recipere liceret, salva in omnibus Canonum disciplina. d. Can. Lugdunensis, quo insinuatur hoc rescriptum de gratia, & ex dispensatione, non de jure. Et ante ubi Faustianus jussu Gundobaldi Pheudoregis Aquitaniæ temere Ordinatus Aquensis Episcopus ab Oreste Vasatensi, & Palladio Santonensi in Concilio Matisconensi 2. jubente Guntrano Rege Congregato, Ordinatio irrita dicta est, Ordinatus Episcopatu amotus alio suffecto, & Ordinantes damnati ut per vices eum alerent, & annuam centum numorum pensionem ei præstitarent, Gregor. Tur. libr. 8. cap. 20. *Faustianus autem qui ex jussu Gundonaldi Aquensis urbis Episcopus Ordinatus fuerat ex conditione removetur, ut Orestes sive Palladius, qui eum benedixerant vicibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent.* Denique de Ordinationibus Episcoporum & Clericorum nusquam actum apud Tribunalia Civilium judicum, & hæc omnia derelicta Conciliis Episcoporum vel summo Pontifici. Et certè cum in jure judicioque nihil frustrà fieri debeat, cur admittatur in his causis appellatio tamquam ab abusu, quæ omni effectu carebit. Ordinatio etiam à non suo Episcopo facta, suum sortitur effectum & indebilem imprimit caracterem. Augustin. de bono conjugali cap. 24. *Si fiat Ordinatio Cleri ad Plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis Ordinatis Sacramentum Ordinationis, etsi aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, Sacramento Domini semel impositio non carebit, quamvis ad judicium permanente.* Ubi Clericus Ordinatus est à non suo Episcopo esto dicatur commissus abusus. An semel defixus caracter tolletur, an Senatus decretum, quo placebit Ordinationem solemniter dici abusivam, aliquid adjiciet sanctionibus Sacrorum Canonum qui-

bus ordinatus à non suo Episcopo, vel in alienâ Diœcesi fit irregularis, & suspenditur ab executione ordinum, incapax beneficii Ecclesiastici, expers cujuscumque privilegii clericalis, ac penè in numerum laïcorum redactus. Videant & intelligant Judices seculares, quam gravem injuriam faciant Deo & Ecclesiæ, cùm de ordinationibus, id est de mero Spiritûs sancti opere judicare præsumunt, nihil aliud acturi, quàm ut secularitati indulgeant, & Spiritui sancto incarum resistant.

## CAPUT III.

### *Ut liberæ sint ordinationes Clericorum. An in his quæ sunt ordinis admittatur devolutio, vel recursus.*

Solus proprius Episcopus potest subditos sibi Clericos ordinare. can. nullum. can. Lugdunensis. 9. qu. 2. cap. cùm nullus. de tempore ordinat. in 6. Inde de ordinatione Origenis patriâ Alexandrini in Presbyterum à Theoctisto Cæsariensi, & Alexandro Hierosolymitano Episcopo graviter conquestus est Demetrius Alexandrinus Episcopus. Euseb. libr. 6. cap. 7. à Joanne Chrysostomo Constantinopolitano Episcopo reprehensus est Epiphanius Constantiæ Cypri Episcopus, quòd in suburbano templo Diaconum ordinasset se inscio. Socrat. libr. 6. cap. 13. Quòd si Episcopus propter valetudinem, vel absentiam, vel occupationes, non possit subditos ordinare, non absque prævio examine potest eos dimittere ordinandos ad alium d. cap. cùm nullus. Concil. Tridentin. sess. 23. de reformat. cap. 3. Quòd si Episcopus nolit subditos ordinare, ii non possunt ordinari ab alieno Episcopo sine speciali licentiâ summi Pontificis, vel sine litteris dimissoriis proprii Episcopi, causam rationabilem continentibus, propter quàm ipsum nolit vel nequeat ordinare. cap. 1. de tempor. ordin. in 6. Clerici possunt ordinari à non suo Episcopo de licentiâ Summi Pontificis, quia Summus Pontifex potest Clericos de quacumque Diœcesi ordinare. can. nunc verò. can. per principalem. 9. qu. 2. can. per principalem. 1. qu. 1. Quòd sit ordinarius ordinariorum, & hoc jure potest eos dimittere ordinandos à quocumque Episcopo. Facultates à Sede Apostolicâ concessæ de promovendo à quocumque, non prosunt nisi expressâ in litteris causâ ob quàm à propriis Episcopis ordinari non possint, & qui hujusmodi facultatem à Sede Apostolicâ impetravit, non potest ordinari ab alieno Episcopo, nisi in suâ Diœcesi residente, & diligentiori prævio examine. Conc.

Trident. seſſ. 7. de reformat. cap. 11. Et ſi Epiſcopus renuat quem è ſubditis ordinare, ordinatio non devoluitur ad proximum Superiorem, quia ea quæ ſunt ordinis ita cohærent perſonæ Epiſcopi, ut in his devolutio non fiat ad Superiorem. Unde ſi Epiſcopus tertio requiſitus renuat benedicere Abbatem Ciſtercienſis Ordinis, quòd eſt ordinis Epiſcopalis, benedictio non devoluitur ad Superiorem, ſed interim licet Abbati Monachos benedicere, & alia quæ pertinent ad Abbatis officium exercere, donec Epiſcopus duritiem recogitet, & Abbatem benedicere non recuſet. cap. ſtatuimus. de ſupplend. neglig. Prælat. in his quæ ſunt Juriſdictionis puta in collatione beneficiorum ob moram & negligentiam ordinarii devolutio fit ad Superiorem. cap. licet. Cod. tit. cap. nulla. cap. cum noſtris. cap. litteras. de conceſſ. præbend. quia in his quæ ſunt Juriſdictionis ob duritiem ordinarii, poteſt recurri ad Superiorem per appellationem, vel per querelam. cap. duo ſimul de offic. ordinar. & ſi Judex tertiò requiſitus, jus dicere recuſaverit, ſuam Juriſdictionem amittit. auth. ſtatuimus. C. de Epiſc. & Cleric. ſed in his quæ ſunt ordinis non datur devolutio, appellatio & recurſus, quia collatio ordinis eſt de gratiâ in quâ ordinarius habet plenitudinem poteſtatis tamquam Vicarius Chriſti, & diſpenſator gratiæ quæ eſt merum beneficium Spiritus ſancti, nec poteſt adſtringi vinculis legum, vel formulis judiciorum, ubi Spiritus Dei, ibi libertas. Delictum militum relinquitur judicio Tribunorum militum, quantò magis delictum Clericorum convenit relinqui Epiſcopo, cujus eſt ſatagere, an hi ſint idonei ad ſacram militiam, & regimen animarum, quòd eſt ars artium. cap. cùm ſit ars de ætat. & qualit. & ordin. præfic. Nec tollenda libertas ordinationum Epiſcopis, qui ſpiritùs gratiâ prædicti ſunt, & in his maximè ſpiritûs numine ducuntur, & moventur, unum ex amicis ſui ſtudioſum in Clerum non admiſit Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, quòd geſtum indecentem præferret. Alterum Clero reſtitutum vetuit ſeſe præire cùm procederet in publicum, durior videbatur Ambroſius quòd de externis judicium intimorum animi aſſereret, ſed non fefellit eum ſententiâ, & rerum eventus judicavit, non hominis, ſed numinis ſpirantis fuiſſe judicium, uterque enim ab Eccleſiâ defecit. Teſtem habemus ipſum Ambroſium offic. libr. 1. cap. 18. *Meminiſtis filii quemdam amicum, cùm ſedulis videretur ſe commendare officiis, hoc ſolo tamen in Clerum à me non receptum quòd geſtus ejus plurimùm dedeceret. Alterum quoque cùm in clero reperiſſem, juſſiſſe me ne umquam præiret mihi; quia velut quodam inſolentis inceſſus verbere oculos feriret meos, idque dixi cùm redderetur poſt offenſam muneri, hoc ſolum excepi nec fefellit ſententia, uterque enim ab Eccleſiâ receſſit, ut qualis inceſſu prodebatur, talis perfidia animi demon-*

*straretur, namque alter Arrianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio nè judicium subiret, sacerdotem se nostrum negavit.* Non morosa, sed tuta est ordinatio Clericorum, quæ ab Episcopis fit, præviâ diutinâ probatione; Apostolicus verè sacerdos est qui Clericos ordinandos mora suspendit, ut eorum vocationem altiùs experiatur, vel præcepto Apostoli scribentis ad Timotheum manus citò nemini imposueris, nec malè cogitandum de Episcopis qui difficiles & morosi videntur in ordinationibus, nè injuria sit Spiritui sancto, cujus singulari ducatu ambientes clericatum, non religionis, sed commodi temporalis studio, tædio probationis, non diù in obsequio permanent: Cùm hæc scribo lugens audio nuper tacito SC. deliberatum ab uno è nobilioribus Galliæ ordinibus, ut si ordinarius per trinam requisitionem recusaret conferre ordines, vel litteras dimissorias dare ad ordines assumendos ab alio Episcopo, liceret adire quemcumque Episcopum etiam peregrinum. Unde hæc potestas Judici laïco ut possit compellere Episcopos ut Clericum ordinent, vel dimissorias litteras concedant, ejusdem potestatis est dimissorias litteras concedere ac ordinare. d. cap. nullus. Etsi Judici seculari, post trinam requisitionem Episcopi, licet dimittere Clericum, ut à quocumque ordinetur, Senatus erit, manum imponere, vel litteras dimissorias concedere. Electionem Mediolanensis Episcopi quæ plebi cùm Clero communis erat, ab Episcopis sibi delatam à se rejecit Valentinianus. Major est, inquit, res, quàm quæ nobis conveniat, vos qui divinâ gratiâ præditi estis, multò meliùs Episcopum eligetis. Μεῖψον ἢ καθ' ἡμᾶς τὸ ἐγχείρημα, ὑμεῖς γὰρ τῆς θείας ἠξιωμένοι χάριτος, καὶ τὴν αἴγην ἐκείνην εἰσδεξάμενοι, ἄμεινον ψηφιεῖθε. Ut tradit Theodoret. libr. 4. cap. 6. Ordinationem Clericorum quæ nihil civile habet, nihil nisi sacrum, & spirituale, ita nè ad suum Tribunal revocabit Senatus, ut ordines à quocumque peti concedat, deluso trinâ requisitione proprio Episcopo, quæ causa Senatusconsulti, infracta inquiunt durities Episcoporum, durior certè & iniquior est conditio Episcoporum, quorum fama tot patet calumniis & suspicionibus laïcorum. Hac de re conquærentem audi Chrysostom. de Sacerdot. libr. 5. cap. 82. ἀνάγκη τὸν προεστῶτα μέμψεις ὑπομένειν ἀλόγους. *Necesse est Antistites absurdas querelas sustinere.* Vix audiendi in Episcopos laïci, quia oppido eis plerumque infesti existunt. can. laïcos. can. laïci. 2. qu. 7. asperior videbatur Basilius Libanio epist. 154. inter eas quæ sunt Basilii. Πᾶς μὲν ἐπίσκοπος πρᾶγμα δυσχρηπίστον. *Episcopus difficilis est ad donandum.* Sed Pagani Sophistæ vituperio nihil de laude Basilii deteri, nec ejus laude quid accedere potuit. In ordinationibus duritiem Episcoporum arguis, id est justum disciplinæ Ecclesiasticæ modum, quin

multò convenientius est, quod vituperetur remissio vel indulgentia quorumdam qui sine delectu ordines conferunt, & quasi spargunt in plebem. Zozimus epist. 1. *Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hâc turbâ aliquid sibi dignitatis acquiri, hinc passim numerosa popularitas etiam his locis, ubi solitudo est talium reperitur, dùm Parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præstare non possunt divinos ordines largiuntur, quòd oportet districti semper esse judicii.* Can. si officia 59. dist. Hieronym. in Esaiæ cap. 58. *Plerique nostrorum χειροτονίαν, id est ordinationem Clericorum, quæ non solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus, nè scilicet ut in quibusdam risimus, vocis imprecatio clandestina Clericos ordinet nescientes, sic intelligunt ut assumant testimonium Pauli scribentis ad Timotheum, manus citò nemini imposueris neque communicaveris peccatis alienis, non est enim peccatum leve mittere margaritas ante porcos, & dare sanctum canibus, & ordinationem Clericatus nequaquàm sanctis, & in lege Dei doctissimis, sed assectis suis tribuere, & vilium officiorum ministris, quòdque his dedecorosius est mulierc ularum precibus. Væ illis qui malè dispensant ordines, apud supremum mortalium judicem de his rationem reddituri.* Sed cùm sacerdotes à Deo constituti sint, & potestatem conferendi ordines à Spiritu sancto acceperint, laïci quorum nullæ sunt partes in spiritualibus, minimè debent se immiscere ordinationum negotio. Non licet Clericos statuendi in Ecclesiâ habere aliquam potestatem, quos obsequendi manet necessitas, non autoritas imperandi. can. benè. 96. dist. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de constitut. Propter duritiem Episcoporum addunt & iidem, laboramus penuria Clericorum, Ecclesiæ singulæ vix unum habent Presbyterum, messis multa, operarii pauci, sed meliùs est sacerdotes, pauciores bonos quàm plures malos vel inutiles habere ministros. can. tales. 23. dist. d. cap. cùm sit ars. & in promotionibus Clericorum maximè cavere debet Episcopus, nè per occasionem supplendæ penuriæ clericalis, vitia potiùs id est pravos Clericos divino cultui ingerat, quâm familiæ Domini compendium procuret. can. Monachos. 77. dist. Duriùs & diutiùs probantur Monachi quàm Clerici, ut caret religio viris, immò totus orbis plenus est Monachis, probentur Clerici antequam promoveantur, nec timeatur probationibus tædio defuturum numerum Clericorum; plures melior disciplina provocat ad amplectendos ordines, quàm moretur; immò fastidio vilescit gradus, quo faciliùs acquiritur. Meritò igitur Episcopis permittenda est libera potestas ordinationis Clericorum, quæ est tota Spiritûs sancti, & ut adversariorum testimonio utamur Petrus ipse Cugnerius quo nemo secularior, & offensior Ecclesiæ liberam potestatem ordinationis Clericorum non attigit,

git, de hoc unò conqueſtus eſt, quòd Epiſcopi ordines conferrent indignis, ut ampliarent numerum ſubditorum, damno Juriſdictionis ſecularis. Epiſcopus Clericos ordinat ſuo periculo, de his rationem redditurus Deo: nunc igitur æquum eſt Epiſcopo liberum eſſe judicium de his quos ordinaturus eſt, peccat Epiſcopus ſi ordinandos non probet, quia in ordinandis non ſufficit ſi criminis labe careant, ſed deſideratur, ut vitæ & morum meritis polleant. Ambroſ. in 1. ad Timoth. cap. 5. *Probat enim ſi non probat, & ſic ordinat, melior enim cæteris debet probari, qui ordinandus eſt, non enim ſufficit, ſi ſine crimine ſit, quia merita ejus debent præire bonorum operum, ut dignus habeatur ad ordinationem.* Relinquamus igitur Epiſcopo plenum arbitrium ordinationum, è quibus pendet ejus ſalus, nè infœlix alieni delicti pœnam ſuſtineat, in tremendo Dei judicio.

## CAPUT IV.

### *Ordinis Epiſcopalis eſt conſignatio ſeu confirmatio baptizatorum. Notatur error Vicecomitis.*

AD Epiſcopum ſolùm pertinet & confirmatio ſeu conſignatio baptizatorum in fonte cùm chriſmate. can. Preſbyteris. de conſecr. diſt. 4. can. de his can. manus. can. noviſſimè. V. ſeqq. de conſecr. diſt. 5. Conc. Trid. ſeſſ. 7. de ſacr. Confirm. can. 3. Eſt enim ordinis Epiſcopalis, quia per eam confertur plenitudo gratiæ Spiritûs ſancti. d. can. Preſbyteris & aliis. Unde eadem dicitur confirmatio ſancti Spiritus per Chriſma. can. pervenit 30. qu. 1. Adeò verò propria Epiſcoporum eſt confirmatio, ut Chorepiſcopis non liceat baptizatos conſignare, quia non habent apicem Pontificatus. can. quamvis 68. diſt. Hæc fuit conſtans & perpetua conſuetudo Eccleſiæ Romanæ, ut ſoli Epiſcopi baptizatos ſignarent, & hoc eſt eſt quòd dicitur à Gregorio I. lib. 3. epiſt. 26. ad Januarium Epiſcopum Calaritanum Sardiniæ ſe vetuiſſe Preſbyteris Calaritanis nè baptizatos in fonte ſignarent, ſecutum veterem conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ. can. pervenit. 95. diſt. Et inde Novatum damnavit Cornelius Pontifex, quòd Preſbyter ordinatus eſſet, omiſſo ſignaculo dominico, quo poſt baptiſmum obſignandus erat ab Epiſcopo priuſquàm Preſbyter ordinaretur. Euſeb. libr. 6. cap. 35. ἐμὴν οὐδὲ τὴν λοιπὴν ἔποχε ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν, καὶ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, οὐδὲ τὰ σφαγιθῆναι ὑπὸ τὸ ἐπισκόπου. *Neque cætera ſor-*

*titus est, quæ secundùm Ecclesiæ Canonem accipere potuerat, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit.* Alia fuit consuetudo aliarum Ecclesiarum, ut liceret etiam Presbyteris baptizatos obsignare, ut Calaritanæ quam rejecit Gregorius I. secutus consuetudinem Ecclesiæ Romanæ lib. 3. epist. 9. ad Januarium. can. Presbyteri. de consecr. dist. 4. Idem posteà restituit motus querelis Calaritanorum, annuitque ex dispensatione Apostolicâ, ut absente vel deficiente Episcopo etiam Presbyteris liceret baptizatos consignare. d. can. pervenit. Eadem fuit consuetudo Ecclesiæ Alexandrinæ, totiusque Ægypti, de quâ testatur Hilarius Diaconus apud Ambros. in epist. ad Ephes. cap. 4. *Apud Ægyptum*, inquit, *Presbyteri consignant, si Episcopus non est.* Auctor quæst. utriusque testam. cap 100. *Nam in Alexandriâ & per totam Ægyptum, si desit Episcopus consignat Presbyter.* Moribus Hispaniæ eodem jure usos Presbyteros etiam præsente Episcopo, saltem eo mandante auctor est Martinus Bracharens. in can. omni tempore, de consecr. dist. 4. Apud Græcos idem fuit mos ut Presbyteri baptizatos chrismate linirent, de quo Latinos insimulasse quòd hujusmodi usum non ferrent, testis est Nicolaus 1. epist, 70. *Et insimulare tentant quoniam eosdem Presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus.* Cùm vitio schismatis mos iste perduravisset apud Græcos, sopito schismate, & Ecclesiâ Constantinopolitanâ restitutâ Ecclesiæ Romanæ. Innocent. III. qui tunc Apostolicam Sedem fœliciter tenebat, sanctionem promulgavit, nè Presbyteris liceret baptizatos consignare, nihil obstante consuetudine, quia ea quæ sunt ordinis Episcopalis consuetudine, vel præscriptione acquiri non possunt. cap. quantò de consuetud. His demptis, unà cum Ecclesiâ Romanâ fuit consuetudo Ecclesiarum, ut solus Episcopus ministraret Confirmationem. Hieronym. ad Luciferianos. *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus, per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat.* Et idem in Sophon. *Sacerdotes quoque qui dant baptismum & ad Eucharistiam Domini imprecantur adventum, faciunt oleum chrismatis, manus imponunt, cathecumenos erudiunt Levitas & alios constituunt sacerdotes.* Idem in Marc. cap. 1. *Quod consummatur per sponsum initiatur per Paranymphum, unde Catechumeni, hoc est instructi, incipiunt per Sacerdotem, & chrismantur per Episcopum.* Ejusdem consuetudinis fidem facit Jacob. à Vitriac. hist. Occident. cap. 37. *Licet autem in eminentiori parte homini ab eminentioribus personis prædictum conferatur sacramentum, aliquando tamen propter defectum vel paucitatem Episcoporum, minoribus sacerdotibus dispensativè est concessum. His autem temporibus cessante dispensatione, si contra institutionem Ecclesiæ à simpli-*

*cibus ſacerdotibus attentaretur irritum haberetur*, &c. Inde nè baptizati jam excreſcente plebe fidelium, Confirmationis ſigno diutiùs carerent, ſecutus eſt mos ut Epiſcopi quorum erat id munus, Confirmationis causâ Diœceſim obirent, & hoc eſt quod inſinuat Hieronym. ad Luciferanos, cùm ait hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut Epiſcopus propter impoſitionem manuum excurrat, ſed quia hac occaſione nimis gravabantur Preſbyteri, vetuit Gregorius I. nè Epiſcopi graves ſint Preſbyteris, nimirum exactione annonarum, quoties ad conſignandos infantes procedunt can. relatum. 10. qu. 3. Ex quo ſatis liquet quàm ſupinè lapſus ſit Vicecomes de Baptiſmo libr. 5. cap. 32. cùm credidit hunc ritum ut Epiſcopi Diœceſim luſtrarent Confirmationis adminiſtrandæ causâ, cœpiſſe poſt tempora Caroli Magni, cùm jam notus eſſet à temporibus Hieronymi & Gregorii.

## CAPUT V.

### *Ordinis Epiſcopalis eſt conſecratio Eccleſiarum & Altarium. Novus intellectus cap. 1. de religioſ. domib. Solemnia conſecrationis Eccleſiarum. Ordinis Epiſcopalis etiam eſt confectio Chriſmatis, benedictio Campanarum.*

ECCLESIA vel monaſterium ædificari non poteſt ſine conſenſu Epiſcopi, nec priuſquàm Epiſcopus locum dedicaverit ſolemni oratione, & fixione Crucis, quàm Greci σταυροπήγιον. Nov. Juſtin. 67. & 131. cap. 7. Synod. Chalced. can. 4. can. quidam. 18. qu. 2. Conſtantinopolit. 1. & 2. can. 1. Balſam. in can. 86. Synod. Carthag. & in can. 17. Synod. Nicen. 2. Beda hiſt. Anglic. lib. 3. cap. 23. *Cedd. Epiſcopus Orientalium Saxonum conſtruxit Monaſterium quod Leſtingen vocatur ope Ediluadi filii Oſualdi Regis, cujus ſolum priuſquàm ædificium moliretur, precibus & jejuniis per totam Quadrageſimam dedicavit, dicebat enim hanc eſſe conſuetudinem eorum à quibus normam diſciplinæ regularis didicerat, ut accepta nuper loca ad faciendum monaſterium vel Eccleſiam, priùs orationibus ac jejuniis Domino conſecrent.* In Eccleſiis ædificandis requiritur conſenſus Epiſcopi, nè Eccleſia ædificetur ſine dote, quia Eccleſia non eſt ædificanda ſine idonea dote. can. nemo. can. placuit. de conſecr. diſt. 1. can. placuit 1. qu. 2. can. ſic quidam. can. noverint 10. qu. 1. cap. cùm ſicut de conſecr. Eccleſ. vel Altar. Nov. 67. & Nov. 123. cap. 18. Imò Eccleſia non eſt ædificanda, priuſquàm fundator

Episcopo offerat dotem Basilicæ, & obsequium per traditionem chartulæ. d. can. placuit. 1. qu. 2. Conc. Vvormac. can. 4. Postquàm verò Ecclesia constructa est, consecranda est à proprio Episcopo. d. can. nemo. d. can. placuit. 1. qu. 1. can. perlectis. 25. dist. Conc. Arausic. 1. can. 14. & Arelat. 2. can. 36. iisdem verbis. *Dedicatio illius est in cujus territorio Ecclesia adsurgit.* Quòd Nicolao perperam tribuit Gratianus in can. si quis Episcoporum 16. qu. 5. iisdem enim verbis desumptum esse patet ex Conc. Arausic. & Arelat. 2. Gregorius Turonensis Episcopus de vit. patr. cap. 8. de se ipso. *Factum est autem ut post dies plurimos, ad benedicendum Ecclesiam in Parochiâ Paternacensi urbis Turonicæ invitaremur.* Hoc jure Capellam à Conrado Imperatore fundatam in proprio fundo, haud procul Colonia à Colonienſi Episcopo consecratam refert Otho Frisingens. de gest. Frideric. I. lib. 1. cap. 62. Ecclesia, inquam, consecranda est à proprio Episcopo, non ab alieno, nisi de licentiâ proprii Episcopi d. can. placuit. vel de consensu Capituli, sede vacante, & ita Rutenensi Ecclesiâ vacante infœlicitate Gothici dominatus, Sidonius Arvernorum Episcopus baptisterium id est baptismalem Ecclesiam consecravit in Ruthenis, ab Elaphio fundatore invitatus. Auctor est ipse libr. 4. epist. 15. ad Elaphium. *Nam baptisterium quod olim fabricabimini, , scribitis jam posse consecrari, ad quæ festa vos vota, nos ministerii, officii multos fidei totos causa sollicitat.* Ideòque si Episcopus ipse Ecclesiam ædificet in alienâ Diœcesi non potest eam dedicare, dedicatio illius est in cujus territorio Ecclesia adsurgit d. can. si quis Episcoporum. Hoc jure cùm Remigius Lincolnienſis Episcopus Ecclesiam suo sumptu ædificatam dedicare disponeret, Thomas Eboracensis Episcopus intercessit, appellatione interposita ad Sedem Apostolicam, sed lis morte Lincolnienſis exempta. Matth. Vvestmonaster. ad ann. 1091. Consecratio Ecclesiarum & Altarium est ordinis Episcopalis, quam ob causam Chorepiscopis & Presbyteris utraque vetatur, can. perlectis. 25. dist. & exempti quoque, quoad consecrationem Ecclesiarum, confectionem Chrismatis, ordinationem Clericorum, & alia quæ sunt ordinis Episcopalis non liberantur à Jurisdictione Episcopi Diœcesani cap. veniens de præscript. Dedicatio est propria Diocesani Episcopi, ob id quòd dicitur in cap. 1. de religios. domib. ex Gregorio, cùm quæritur de dedicanda Basilica spectandum esse quisnam Episcopus baptizaverit incolas loci, & ad cujus consignationem sub annua devotione concurrerint, non habet locum in Ecclesiis Diœcesis, quæ non habet certos & distinctos limites, ut stultè Glossa comminiscitur, singulæ enim Diœceses habent suos limites, & quæstio erat de Ecclesia sita in Diœcesi de quâ non dubitabatur quin proprios haberet limites, nec in eo spectatur jus-

proprietatis, id est cujus Diœcesis sit Ecclesia quæ est dedicanda, & hoc est quod subiungitur. *Non enim terminis hæc aut Locis convenit deffiniri*, sed spectatur nuda possessio, nè diutius dedicatio differatur, id est ad dedicationem vocandus est, Episcopus qui est in possessione administrandi huic plebi, Baptismum & Confirmationem Ecclesiarum consecrationem ad sedem Apostolicam revocavit Gelasius 1. Can. de locorum. Can. præcepta. Can. Basilicas. de Consecr. dist. 1. rationem instituti aperuit Luitprandus Ticinensis in ejus vit. *Item arguit eos, qui novas Basilicas, sub defunctorum nomine, absque præcepto sedis Apostolicæ præsumebant sacrare, quòd ideò facit, quia multi eo in tempore, etiam in nomine infidelium defunctorum constructiones ædificabant, & sacris processionibus audacter instituebant.* Hoc jure usus est sæpius Gregorius 1. Testem ipsum habemus libr. 2. cap. 9. libr. 5. cap. 122. libr. 4. cap. 18. Novum & insolens visum in Gallia Legatum peti à sede Apostolica, Basilicæ dedicandæ causâ. Cùm Fulco Comes Andegavensis Lucacense Monasterium exædificasset, renuente Hugone Turonensi Archiepiscopo eam consecrare, quod illius votum non esset acceptandum, qui res & mancipia Matricis Ecclesiæ subripuisset. Joannem Ro. Pontificem adiit, & ab eo Legatum Ecelesiæ consecrandæ causâ impetravit, is fuit Petrus Cardinalis per quem Ecclesia est consecrata, ægrè ferentibus Episcopis Galliæ causam Legationis damnavit eventus. Proximè sercuito casu Ecclesiæ, quæ turbinis impetu solo afflicta est, rem narrat Glaber libr. 2. cap. 4. Olim solemnior fuit dedicatio Ecclesiarum, etiam indicto conventu Episcoporum per tempora Constantini, memorantur varia encænia, seu dedicationes Ecclesiarum, & hac de causâ celebriores consessus Episcoporum Euseb. lib. 10. cap. 3. ἐγκαινίων ἑορταὶ κατὰ πόλεις καὶ τῶν ἄρτι νεοπαγῶν προσευκτηρίων ἀφιερώσεις. *Dedicationum solemnitates per urbes, templorum nuper exadificatorum consecrationes, frequentes Episcoporum in unum Conventus.*

Athanasium criminantibus Arrianis quod Synaxin celebrasset in Ecclesia non consecrata, is sese excusavit, quod id factum esset die Paschæ vigente plebe, ob angustias aliarum ædium, neque enæniorum solemnitas celebrata esset, neque Episcopus quisquam vocatus, neque Synaxis celebrata ex denunciatione Auctor ipse Apolog. ad Constantium. οὐ ἐγκαινίων ἡμέραν ἐπετελέσαμεν, οὐδὲ ἐπίσκοπος τις οὐδὲ ἄλλος κληρικὸς, τὶς τοῦτο κίκληται, ἀλλ' οὐδὲ ἐκπαραγγελλίας γέγονεν ἡ σύναξις. *Non encæniorum diem celebravimus, neque Episcopus quispiam aut ullus Clericus eo nomine evocatus est, neque ulla ex denuntiatione synaxis celebrata est.* Sub iisdem Temporibus congregata Pheudosynodus Antiochena adversus Athanasium occasione arrepta dedicationis Ecclesiæ quæ à Constantino exædi-

ficata erat περιλάσει τῶν ἐγκαινίων τῆς ἐκκλησίας. Auctor est Socrat. lib. 2. cap. 5. Ecclesia consecratur ab Episcopo non sine sanctuariis seu reliquiis id est illatione reliquiarum sanctorum Can. de fabrica. de consecr. dist. 1. Gregor. lil 2. epist. 9. & libr. 5. cap. 122. de oratorio, vel Baptisterio consecrando. *Sanctuaria vero suscepta, sui cum reverentia collocabis.* Hinc plebe Mediolanensi dedicationem Basilicæ urgente, quòusque invenisset reliquias Martyrum rem moratus est Ambrosius, testis ipse epist. 85. *Nam cum Basilicam dedicassem, multi tamquam uno ore interpellare cœperant dicentes, sic in Romana Basilica dedices, respondi faciam si Martyrum reliquias invenero.* Ejusdem ritus solemnis locuples testis Paulin. Epist. ad Sever. *Testis est autem Dominus, quod sivel sc upulum sacri cineris habuissemus, supra quam nobis ad Basilicam quæ proximè in nomine Domini consummabitur dedicandam necessarium erat, misissemus una nimitati tuæ.* Gregor. Tur. de vit. patr. cap. 15. *Erecto altari, loculoque in eo ad recipiendas Sanctorum reliquias præparato, ad benedicendum invitat Episcopum.* Idem de Miracul. libr. 1. cap. 33. *Ac plerumque & ipse Pontifex de eo sudario decerpens pignora ubi Ecclesias consecrabat, fideliter collocavit.* Et Anastas. in Adriano 1. *Hic idem sanctissimus præsul in domo culta quam Capracorum vocant Beato Petro Apostolorum Principi à solo fundavit atque ædificavit Ecclesiam, & in nomine ejusdem Deo factori suo dedicavit, recondens in ea reliquias ex vestimentis salvatoris Domini Nostri Jesu Christi &c.* Dedicationi Ecclesiæ accessere solemnes epulæ; Cedren. in Leone Philosoph. Ἰουνίῳ δὲ μηνὶ περιεκλήθη λέων ὁ βασιλεὺς ὑπὸ Κωνσταντίνου τοῦ λιποὺς, εἰς τὸν καινουργηθεῖσαν παρ' αὐτοῦ μονὴν ἕνεκεν τῆς ἁγίων ἀποστόλων ἐφῶ τὰ ἐγκαίνια ἐπιτελήσαι, καὶ ἀριστήσαι. *Junio mense Constantinus Aser in Monasterium suum, quod propè fanum Apostolorum condiderat, Imperatorem invitavit, ut dedicationi ejus, & prandio interesset.* In dedicatione Radingensis Basilicæ, solemnem procurationem per triduum ab Henrico II. Rege Anglorum Monachis præstitam narrat Robert. Montensis in supplem. Sigiberti ad ann. 1165. *Circa Octavas Paschæ Rex Henricus, fecit dedicari Ecclesiam Beatæ Mariæ de Radingis, & per tres dies Regaliter procuravit Conventum Monachorum & Hospites, data etiam dote non minima eidem Ecclesiæ*, in dedicatione Sacrarum ædium solemnem ritum epularum jam olim in Anglia tulit Gregor. 1. lib. 9. epist. 71. de commutandis fanis idolorum in Ecclesias. *Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria confirmantur, reliquiæ, ponantur & mox ut die dedicationis, vel natalicio sanctorum Martyrum quorum illic reliquiæ ponuntur Religiosis conviviis solemnitatem celebrent.* Cujus meminit Beda libr. 1. Hist. cap. 16. in consecratione Ecclesiæ captivi manumissi. Continuat. Bed æ

libr. 1. cap. 16. *Kenulphus Rex Merciorum apud Uvincelcumbam ubi Ecclesiam quæ adhuc supereſt Deo ædificaverat, ipsa dedicationis die Regem captivum* fuit Edbrithus Rex Cantii. I. *Manumittens libertate papavit.* Nec omittendum ante consecrationem non dici Ecclesiam sed Basilicam d. Can. Basilicas Gregor. Tur. libr. 5. cap. 11. *Cum Sacerdos de Ecclesia, ad Basilicam Psallendo procederet.* Et idem ejusd. libr. cap. 26. *Post hæc Chilpericus Rex de Pauperibus, & junioribus Ecclesiæ vel Basilicæ bannos jussit exigi.* Solemnitates dedicationis perpetuum argumentum est, quòd anniversarius dies dedicationis Ecclesiarum solemni religione celebratur. Can. solemnitates de Consecr. dist. 1. Augustin. de Tempor. Sermon. 255. *Sicut optimè novit sanctitas vestra, fratres, consecrationem altaris hodiè celebramus, & justè ac merito gaudentes celebramus festivitatem, in qua benedictus vel unctus est Lapis, in quo nobis divina Sacrificia consecrantur.* Et in consecratione Ecclesiæ Episcopus potest sibi reservare partem oblationum, quæ die dedicationis, vel natalis Martyrum quorum reliquiæ ibi coluntur, à fidelibus offeruntur, vel si hac de re nihil convenerit, auctoritate Sedis Apostolicæ diffiniendum est, quid Episcopo pro consecratione, eulogiæ seu benedictionis nomine offeratur. Can. Eleutherius. 18. qu. 2. præter ordinationem Clericorum, consecrationem Basilicarum & altarium, ad Episcopum pertinet etiam confectio sacri Chrismatis d. Can. perlectis. Can. Presbyteris si quis de alio. Can. omni tempore de Consecr. dist. 4. Can. 1. Can. Presbyter. 26. qu. 6. Hieronym. in Sophon. *Sacerdotes quoque qui dant Baptismum, & ad Eucharistiam Domini imprecantur adventum, faciunt oleum Chrismatis, manus imp. unt, Cathecumenos erudiunt, Levitas & alios constituunt Sacerdotes.* Frodoard. in Chronic. ad ann. 967. de Adalberone Laudunensi Episcopo. *Remis denique postea Kal. Aprilis Episcopus est Ordinatus, in Sancto Palmarum die, exin Laudunum rediens Sacrum Chrisma sacravit, Ecclesiastico more, die vero Paschæ primum in propria resedit sede.* Infelicitatem vacantis Ecclesiæ Moguntinæ, his maximè quòd non esset Episcopus qui Clericos ordinaret, Chrisma conficeret, & alia quæ sunt Ordinis Episcopalis defungeretur Luget Conradus in Chronic. Moguntin. *Non erat qui Clericos in ipsa Diœcesi Ordinaret, Chrisma conficeret, Pœnitentes admitteret, moniales velaret, Capellas & Ecclesias consecraret.* Ac etiam exempti in petitione Chrismatis, consecratione Ecclesiarum vel altarium, & aliis quæ sunt Ordinis subjiciuntur Episcopo d. cap. veniens.

In censu Episcoporum est etiam benedictio Sacrorum Vasorum ut Patenæ, Calicis & aliorum, & Sacrarum vestium cap. unic. §. Ungitur. de Sacra Unct. Pallas altaris vocat Can. altaris. Can. nemo. de

conſecr. diſt. 1. Ad Epiſcopum ſpectat etiam Benedictio Campanarum Paul. Langius in Chronic. Citizens. Anno Dom. 1247. *Theodoricus Epiſcopus noſte campanam maximam Erphordiæ tunc fuſam conſecravit & benedixit ibidem.* Signa Monaſterii S. Albani in Anglia benedixit & Godefridus Epiſcopus S. Aſaph. His Abbas Albani in Roberto Albe. *Benedixit quoque ſigna Eccleſiæ S. Albani tam minora quam majora.* Antiquiorem uſum benedictionis ſignorum ſeu campanarum tradit Helgald. in vit. Roberti Regis. *Capella hujus piiſſimi, prudentiſſimi, potentiſſimique Regis Roberti talis fuit ſigna quinque unum ex his ſatis mirabile, in quo undecim millenaria metalli, & ſexcentæ libræ fuerunt, cui imprimi juſſit ſignum Baptiſmi de oleo & Chriſmate facti, ſicut ordo depoſcit Eccleſiaſticus, & ut vocaretur Robertus, attribueret Spiritus Sanctus.*

## CAPUT VI.

### *Epiſcopalis Ordinis eſt benedictio Abbatum.*

INTER ea quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis ad Epiſcopum pertinet & benedictio Abbatum cap. ſtatuimus de ſuppl. neglig. prælat. cap. cùm contingat. de ætat. & qualit. præfic. cap. cùm inter R. de Elect. Can. quoniam 69. diſt. & Abbatiſſarum cap. meminimus. de Accuſat. Clem. Attendentes. de ſtat. Monach. Ordo Roman. ex Canone Theodori. *In Ordinatione Abbatis Epiſcopus debet Miſſam cantare, & cùm benedicere inclinato capite, cùm duobus vel tribus de fratribus ſuis, & dat ei baculum & pedules &c.* Et pro benedictione Abbatis Epiſcopo palefridum vel aliud quicquam exigere non licet cap. ſicut tuis. de Simon. Conc. Lateranenſ. habitum ſub Innocent III. cap. 63. & ipſe Innocent. libr. 1. epiſt. 198. & 326. olim Abbates omnes ante benedictionem tenebantur Epiſcopo edere ſolemnem proffeſſionem ſubjectionis obedientiæ & reverentiæ, ſalvo ordine ſuo, quæ eſt formula profeſſionis fieri ſolitæ ab Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis cap. nè Dei Eccleſiam. de Simon. Hujuſmodi proffeſſionem ægié, & non ſinè contradictionè præſtabant Abbates, ſubjectionis impatientes. De ea recipienda ab Abbate, ſi in eam quam ab initio detrectabat conſenſerit, Cœpiſcopum horatur Fulbertus. epiſt. 41. *Igitur ſi Abbas Sancti Benedicti de veſtro contemptu culpam ſuam recognoverit & illam deinceps ſubjectionem promiſerit quæ vobis Canonicè debetur,*

*hortor*

*hector & suadeo ut recipiatis &c.* Bernardo Abbati majoris Monasterii culpæ datum à suis Monachis quòd benedictionem accepturus, Turonensi Archiepiscopo subjectionem promisisset, de quo eum tuetur Ivo Carnot. epist. 73. *De cætero quòd calumniantur non rectè vos fecisse, quòd ante benedictionem promisistis obedientiam sedi Metropolitanæ, vana, vel nulla calumnia est, quomodò enim connexa sibi ad invicem poterunt esse membra Corporis Christi, nisi dispensatores Canonicarum, vel Monasticarum Congregationum, eam obedientiam exhibeant prælatis suis, quam sibi exhiberi volunt à subditis suis.* Non tenentur Abbates exempti hujusmodi professionem edere Episcopo, quia jus professionis est contrarium libertati cap. Cùm olim propter. de Privileg. A Goffrido Abbate Vindocinensi etsi exempto professionem extorsit Ivo Carnotensis Episcopus, post multas concertationes, de quibus ipse Ivo epist. 195. non jure elicitam professionem irritam pronunciavit Urbanus 2. & post eum Paschalis 2. de quo Goffrid. ipse libr. 2. ep. 7. 4. & 27. Benedictionem sine professione ab Archiepiscopo Cantuariensi accepit Abbas S. Augustini Cantuariensis tanquam exemptus, sed in Ecclesia suâ benedici voluit, in argumentum exemptionis Matth. Paris ad ann. 1163. *Eodem anno Clarembaldus sancti Augustini electus, benedictionem à Thoma Cantuariensi Archiepiscopo accipere quærebat, sed in sua Ecclesia & sine professione, ut suspicio subjectionis, in posterum prorsus adempta esset.* Anno 1177. eadem lis recruduit inter Richardum Archiepiscopum Cantuariensem & electum Abbatem Monasterii S. Augustini, Abbate electo contendente se benedicendum à Cantuariensi in propria Ecclesia, non in Metropolitana, hac de causa ab Abbate appellatum ad sedem Apostolicam, & ab Alexandro 3. impetratum rescriptum ut ipse & successores in propria Ecclesia benedictionem acciperent à Metropolitano, sine professione obedientiæ, rescripto significato Cantuariensi quâdam die, captato tempore absentiæ Abbatis, accessit ad Monasterium S. Augustini, contestatus se eo venisse electi Abbati benedicendi causâ, cumque is non appareret appellavit as sedem Apostolicam, Electus Romam Profectus, ab Alexandro III. munus benedictionis accepit. Rem fusius narrat Hoveden in Henrico II. Aliquando si Episcopus renuat benedicere Abbatem, maximè exemptum summus Pontifex ei benedictionis munus impendit, ut in Abbate Sancti Augustini Cantuariensis actum est ab Alexandro III. De jure si Episcopus tertio requisitus, benedicere Abbatem sine causâ renuerit, potest ipse Abbas proprios Monachos benedicere & alia quæ pertinent ad ffcium exercere, donec ipse Episcopus duritiem recogitet & Abbatem benedicere non recuset cap. statuimus de Supplend. neglig. prælat. quòd pertinet ad Cistecienses,

& commune factum Præmonſtratenſibus Innocent. III. d. epiſt. 326. libr. 1. *Si quis etiam ex vobis Canonicè electus in Abbatem, Diœceſano Epiſcopo ſemel & iterum, per Abbates veſtri Ordinis præſentatus, benedictionem ab eo non potuerit obtinere, ne Eccleſia ad quam vocatus eſt deſtituta Concilio periclitetur, officio & loco Abbatis plenariè ſecundum Ordinem fungatur in ea, tam in exterioribus providendis, quàm in interioribus corrigendis, donec aut interventu generalis Capituli veſtri aut præcepto Romani Pontificis ſeu Metropolitani, benedictionem ſuam obtineat.* Epiſcopo recuſante benedicere Abbatem, benedictio non devoluitur ad Metropolitanum quia in his quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis quorum in cenſu eſt benedictio Abbatum non fit devolutio ad Superiorem, ſed propter duritiem Epiſcopi, in pœnam nimiæ auſteritatis, Abbati conceditur auctoritate Apoſtolica, ea omnia facere, quæ Abbates benedicti facere ſolent, quia trina requiſitio habet vim & effectum benedictionis, & propter moram Antiſtitis Abbas quaſi tacitam benedictionem nanciſcitur auctoritate Apoſtolica, ut in caſu non abſimili, ſi Epiſcopus præter debitam obedientiam contra libertatem Ordinis, ab Abbate quid exigat, liberum eſt Abbati auctoritate Apoſtolica quòd petitur denegare cap. Sanè de Exceſſ. prælat. Neque adverſatur quòd confirmatio electionis Abbatis, vocante ſede Epiſcopali devoluitur ad Metropolitanum d. cap. ſicut tuis, vel ad Capitulum cap. Cùm olim. de majoris. Et obedient. quia hoc verum eſt in confirmatione electionis, quæ eſt Juriſdictionis, non in benedictione electi quæ eſt ordinis Epiſcopalis. Neque etiam obſtat quòd conſtitutum eſt ab Innocentio III. in Præmonſtratenſibus ceſſante Epiſcopo in benedictione Abbati impertienda poſt alteram præſentationem, Abbatem pleno jure fungi officio donec ab Epiſcopo benedictionem obtineat, præcepto ſummi Pontificis, vel Metropolitani, quia præceptum Metropolitani non inducit devolutionem, imò excludit, juſſus ſeu præceptum judicis non eſt ſententia, ſed nuda comminatio L. quòd juſſu. ff. de re judicat. L. ſi opus de oper. & Metropolitano quidem datur poteſtas præcipiendi Epiſcopo ut Abbatem benedicat, ſed Epiſcopo non imponitur neceſſitas parendi, vel eo ceſſante, non devoluitur poteſtas ad Metropolitanum. Benedictio Abbatis fit per manuum impoſitionem ab Epiſcopo Synod. Nicen. 2. Can. 14 Can. quoniam. 69. diſt. & cap. Cùm contingat. ſed hujuſmodi benedictio non eſt ordinatio, ſed nuda ſuper Abbatem oratio, Ivo Carnot. epiſt. 73. *Quid ergo eſt diſceptandum de benedictione Abbatis, à quocumque Epiſcopo eam fuerit conſecutus, in qua nec fit manus impoſitio, nec conſecratio, ſed ſimplex oratio*, id eſt non fit manus impoſitio quæ confetat ordinem, ſed nudam benedictionem, & idem Ivo

epist. 88. *Cùm Abbatis benedictio nulla sit Sacramenti repetitio.* Unde beneficia promoti in Abbatem vacant post adoptam possessionem ante benedictionem, secus atque in Episcopo, in quo priora beneficia non vacant ante consecrationem, vel lapsum temporis consecrationi præfixi cap. cùm in cunctis. §. cùm verò. de Elect. can. si qui Episcopi. 92. dist. Oldrad. Consil. 14.

## CAPUT VII.

### *Episcopalis ordinis est velatio Virginum.*

EPISCOPI est etiam consecratio seu velatio Virginum can. perlectis. vers. ad Episcopum. 23. dist. Hieronym. ad Demetriad. *Scio quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale sanctum operuit caput.* Ad Ambrosium Mediolanensem Epispopum famâ sanctitatis confluxére virgines velandæ etiam de transmarinis partibus. Auctorem ipsum habemus de Virginib. libr. 1. *Denique de Placentino sacrandæ virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritaniâ veniunt ut hic velentur.* Arborii Præfecti prætorio Galliarum natam virginem consecravit Martinus Turonensis Episcopus offerente patre. Paulin. de vit. S. Martin. libr. 2.

*Consecrat Antistes, pater offert, virgo sacratur.*

Genovefam virginem numo æreo Cruce insigni collo appenso in sponsam Christi subarravit Germanus Altissiodorensis Episcopus, ut legitur in utriusque vit. apud Surium 3. Januar. & 31. Julii. & apud Stephan. Tornacens. epist. 178. Etiam Donatistæ suas habebant virgines, quæ velabantur ab ipsorum Pseudoepiscopis. Optat. Milevit. libr. 2. *Supra memoratus Fœlix, inter crimina sua & facinora nephanda ab eo comprehensa, puellam cui mitram ipse imposuerat, à qua paulò ante pater vocabatur, nefariè incestare minimè dubitavit.* Consecratio seu benedictio virginum est ordinis Episcopalis, quia imitatur Ordinationem Clericorum & per eum puella fit sponsa Christi, unde olim virgines in consecratione ungebantur in vertice. Synod. Romana II. sub Sylvestro can. 10. *Uncta vertice introducatur ad nuptias Christi, velamen capitis ferens non cordis.* Et pro consecratione Virginum certi dies solemnes constituti erant, ut pro ordinatione Clericorum. can. devotis. can. Virgines. 20. qu. 1. Hinc Chorepiscopis vetita est virginum consecratio, quia non habent apicem Pontificatûs. can. quamvis. 68. dist. Conc. Hispal. II. can. 7.

Idem juris est in Presbyteris can. si jubet. can. Presbyter. 26. qu. 6. nè Episcopi viduas velare attentent, vetuit Gelasius in can. devotis 20. qu. 1. can. viduas autem. 27. qu. 1. Concil. Paris. sub Ludovic. & Lothar. libr. 1. cap. 40. Inde emendandus est can. 27. Concil. Arausic. I. ubi perperam legitur viduitatis servandæ professionem coram Episcopo factam non esse violandam pro coram Presbytero. can. viduitatis 27. qu. 1. Presbyteris non licet velare virgines, sed viduas tantum. can. vidua 20. qu. 1. Viduæ recipiebant velum à Presbyteris non inconsulto Episcopo. Conc. Paris. d. can. 40. vel ipsæmet velum sibi assumebant ab altari can. viduas. quæ. 27. qu. 1. Hoc pacto intelligendum quòd refert Regino 2. chronic. Vvillam viduam Berengarii Regis Italiæ statim post mortem viri sibi velum sanctimoniale assumpsisse. Abbatissis etiam viduas vel virgines benedicere non licet, & graviter damnantur Abbatissæ, quæ hoc præsumpserint. cap. nova quædam. de pœnitent. & can. 43. d. Conc. Paris. Etiam Abbatibus non sine privilegio Sedis Apostolicæ licuit benedicere Virgines. Hoc jure usus est Abbas S. Albani in Joanne Abbat. *Iste Abbas Joannes anno prælationis ejus septimo decimo, die Sanctæ Trinitatis juxta privilegiorum Beati Albani tenorem apud Sopvvelle benedixit novem sanctimoniales Kalendis Junii. Item idem in eadem solemnitate, ut ad consuetudinem & memoriam excellentiam privilegii S. Albani revocaret.* Igitur Episcopi proprium est consecrare seu benedicere Virgines, sed solemnis consecratio Virginum desiit esse in usu: Hodièque Presbyteris licet recipere professionem Monialium, non sine autoritate Episcopi. Adeòque olim etsi Presbyteris non liceret consecrare Virgines, si tamen consecratio Virginis è Presbytero facta esset per præsumptionem, ab Episcopo non esse iterandam existimavit Ivo Carnotens. epist. 41. *Unde nec consecratio Virginum quæ ex autoritate Apostolicâ Episcoporum privilegio reservatur, si aliquando à Presbyteris usurpetur, propter Sacramentum Christi & Ecclesiæ, quòd ibi continetur, nullatenùs ab Episcopis iteratur.*

## CAPUT VIII.

### *Ordinis Episcopalis est solemnis benedictio. Benedictio major & minor. Benedictionis vis & gratia.*

INTER ea quæ sunt ordinis Episcopalis, magis quàm Jurisdictionis, censetur & jus solemnis benedictionis, quòd Episcopus accipit in con-

secratione, virtute chrismatis. Episcopi proprium jus solemnem benedictionem fundere super plebem. can. denique 21. dist. Ambros. in psalm. 40. *Sicut enim cùm Sacerdos benedicit, populus respondet, Amen, confirmans benedictionem sibi, quam plebi Sacerdos à Domino deprecatur.* Et Chrysostom. in homil. 38. ad Antiochen. *οἱ γὰρ λαϊκοὶ παρὰ τῶν ἱερέων εὐλογοῦνται. Etenim laïci à Sacerdotibus benedictionem accipiunt.* Episcopi, inquam, propria est solemnis benedictio, quæ post sacra peracta concipitur hâc formulâ; Sit nomen Domini benedictum. Et hæc est benedictio quam Episcopus è cathedrâ solemniter mittit in plebem. Isidor. Pelusiot. libr. 1. epist. 122. *εἰρήνην ὁ ἱερεὺς, ἀπὸ ὕψους τῆς καθέδρας τῆ ἐκκλησίᾳ ἐπιφθέγγεται. Pacem Sacerdos è fastigio cathedræ Ecclesiæ pronuntiat.* Abbatibus verò non licet mittere benedictionem super plebem post sacra, nisi in Ecclesiis pleno jure ad eos spectantibus, idque non aliter quàm ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ cap. Abbates. de privileg. in 6. Presbyteris seu Parochis solemnem hujusmodi benedictionem, super plebem mittere omnino non licet, & de hâc velim accipias can. 44. Conc. Agathens. *Benedictionem quoque super plebem in Ecclesiâ fundere aut pœnitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero penitus non licebit.* cani ministrare. 26. qu. 6. Minorem id est minùs solemnem benedictionem Presbyteris emittere sui juris est can. ecce ego. 95. dist. absente scilicet Episcopo can. cùm ad celebrandas. de consecr. dist. 1. Et hæc est benedictio, quæ dicitur Presbyteralis cap. 3. de offic. Archipresb. Diaconis non licet majorem aut minorem benedictionem super plebem mittere, *μὴ εὐλογίαν μικρὰν, μὴ μεγάλην*, ut tradit Auctor Constitut. Apostolicar. libr. 8. cap. ult. Laïcis quantò minùs eidem libr. 3. cap. 10. Benedictionis Episcopalis quàm mirabiles sint virtutes, silentio præterire fas non est, nimirum hæ sunt curationes morborum insanabilium, varias curationes feciſſe Martinum Turonensem Episcopum, olei à se benedicti chrismate. Locuples testis Sulpitius Severus ejus discipulus dialog. 3. de ejus vit. *Dein pusillum olei cum exorcismi præfatione benedicit, atque in os puellæ sanctificatum liquorem, cùm & linguam illius digitis teneret infudit, nec fefellit sanctum virtutis eventus.* Depulsio plagarum cœlestium. Flodoard. in chronic. ad ann. 944. *In iisdem partibus per quosdam pagos ignei globi ferri videbantur in ære, quique nonnullas istic circumvolantes incenderent domos & villas, à quibusdam verò locis crucibus oppositis cùm benedictione Episcopali, & aquâ benedictâ repellebantur.*

## CAPUT IX.

*Episcopi est pœnitentia id est pœnitentiæ publicæ impositio, & reconciliatio pœnitentium. Hœnitentiæ publicæ modus. Ejus usus seriùs obsolevit. Ejusdem usus restitutus à Patribus Conc. Tridentini. Suadetur institutio pœnitentiæ publicæ.*

PROPRIUM juris Episcoporum est pœnitentia id est pœnitentiæ publicæ impositio, & reconciliatio publicè pœnitentium. Conc. Carth. 2. can. 3. Carth. 3. can. 32. can. si jubet. can. Presbyter. 26. qu. 6. cap. conquerente. de offic. ordinar. cap. accedentibus de excess. Prælat. Hinc Chorepiscopis non licet publicè pœnitentes reconciliare can. quamvis. 68. dist. Hispalens. 2. can. 7. Abbatibus quoque non licet imponere publicam pœnitentiam, quia prohibentur manum mittere ad ea quæ sunt ordinis Episcopalis. d. cap. accedentibus. *Et Presbyteris etiam non licet* reconciliare publicè pœnitentes d. can. si jubet. d. can. Presbyter. Conc. Agathens. can. 44. can. ministrare. ead. caus. & qu. Synod. Carthag. can. 46. apud Balsamon pœnitentia publica ea erat, quæ imponebatur per Episcopum pro publico crimine, puta pro homicidio, adulterio, raptu mulieris. d. can Presbyter. can. raptor. can. statutum. 27. qu. 2. can. quicumque. can. admonere. can. tutorem. 33. qu. 2. Pœnitentes publicè pœnitentiæ causâ stabant in foribus Ecclesiæ, cilicio amicti, nudis pedibus, supplices Deum orantes, sesequè commendantes precibus fidelium can. in capite 50. dist. d. can. admonere. Cassian. Collat. 18. cap. 15. *Sed cùm duabus fermè hebdomadibus ità se omni conditione carnis, ac Spiritus subjecisset, ut die Sabbati, vel Dominico, non ad percipiendam Communionem sacram, sed ad prosternendum se in limen Ecclesiæ, atque ad veniam suppliciter postulandam, matutinus accurreret.* Promittentes publicè vestem mutabant, capillum radebant. Augustin. de tempore sermon. 58. *Quasi nos quandò pœnitentiam suademus, hoc dicamus, ut unusquisque magis sibi capillos studeat auferre, & non peccata dimittere, & vestimenta potiùs evellat quàm mores.* Gregor. Turoneos. libr. 6. cap. 28. *Marcus quoque Referendarius, post congregatos de iniquis descriptionibus thesauros subito lateris dolore detentus, caput totondit, atque pœnitentiam accipiens spiritum exhalavit.* Capitulare Carol. M. lib. 5. cap. 52. *Et ut quandò unicuique quisquam Sacerdos sibi scelera sua confitenti, juxta prædictum Canonum modum,*

*pœnitentiam tribuit, nisi comam dimiserit, aut habitum mutaverit, manus ei secundùm canonicam autoritatem imponat.* Iidem vino & carne abstinebant, pane & aquâ vitam tolerantes d. can. admonere. d. can. tutorem. Nec modo carne & vino, sed etiam conjugio abstinuisse pœnitentes signat Ambros. de pœnitent. libr. 2. *An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus.* Publicè pœnitentes etiam cingulum militiæ deponebant d. can. quicumque. d. can. latorem. can. de his. 26. qu. 7. cingulo militiæ depositio publicam pœnitentiam subiisse Ludovicum P. referunt Theganus & alii scriptores ejus vitæ. Nec non pœnitentium erat mortuos efferre & sepelire Conc. Carth. 4. can. 74. can. Sacerdos. 26. qu. 7. Reconciliatio publicè pœnitentium fiebat in Cœna Domini ab Episcopo per manuum impositionem Conc. Agathensis. can. 9. d. can. in capite. Ditmarus libr. 4. de funere Othonis III. *Et justis ei factis ab Heriberto Archiepiscopo Colonienſi, quarta die in cœna Domini ad Sanctum Petrum, ubi pœnitentibus more Ecclesiastico introductis, & indulgentiâ resolutis, animæ præsentis corporis ab Archipræsule remissio datur.* Et in decursu pœnitentiæ frequens fiebat manuum impositio d. can. in capite. Nimirum virgis tunso capite, & hoc est quòd significabat Purpurius Donatista apud Optatum Milevitan. libr. 1. cùm vellet Cæcilianum quasi malè ordinatum Carthaginensem Episcopum, redigi in ordinem pœnitentium. *Et quasſetur illi caput de pœnitentiâ.* Pœnitentiæ publicæ locus fuit in laïcis duntaxat, eam non subiére Presbyteri & Diaconi, ut sacri ordinis pudori consuleretur Conc. Carthag. 5. can. 11. & Leo ad Rustic. Narbonens. epist. 90. can. confirmandum. & dd. seqq. 50. dist. Concil. Hybernens. can. Presbyter 82. dist. Pœnitentia publica unica erat post baptismum, id est non iterabatur. Si fortè qui semel susceperat pœnitentiam publicam, iterum lapsus esset in casum obnoxium pœnitentiæ publicæ. Conc. Eliberit. can. 7. Toletan. 3. can. 11. Ambros. de pœnitent. libr. 2. *Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent, quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia quæ tamen publicè agitur, nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Et Augustin. epist. 54. *In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem vel similia, vel graviora committant, & tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum, nec minùs tribuit quàm ante tribuebat, largissima munera vitæ ac salutis, & quamvis eis in Ecclesiâ locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur.* Et hoc est quòd ait Syricius in epist ad Himerium can. de his verò. 33. qu. 2. Pœnitentem qui acta pœnitentia, ite-

rum lapsus est, non habere suffugium pœnitendi, quia publica pœnitentia non iteratur, salvâ Communionis gratiâ in extremis.

Melioribus Ecclesiæ seculis viguit in Ecclesia pœnitentiæ publicæ usus, tamquam præsentissimum remedium salutis & fortissimum vinculum disciplinę Ecclesiasticæ. Hâc de causâ in Ecclesiâ Constantinopolitanâ institutus Pœnitentiarius Presbyter qui præesset pœnitentibus, subsidio futurus Episcopo, cujus erant primariæ partes in his quæ pertinent ad pœnitentiam, maximè ad solemnem & publicam. Socrat. libr. 5. cap. 19. *οἱ ἐπίσκοποι τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι τὸν πρεσβύτερον, τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας προσέθεσαν ὅπως ἂν οἱ μετὰ τὸ βάπτισμα πταίσαντες, ἐπὶ τοῦ προβληθέντος τούτου πρεσβυτέρου ἐξομολογῶνται τὰ ἁμαρτήματα. Episcopi Ecclesiarum Canoni id est matriculæ adiecere Presbyterum, qui præesset ut post Baptismum coram Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur.* Ejusdem instituti fuit, quòd in singulis Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, fuit impositus Pœnitentiarius cap. inter cætera de offic. ordinar. Quòd usu receptum in plerisque Ecclesiis maximè in Galliâ, unde memoratur Pœnitentiarius Lemovicensis in cap. proposuit de Cleric. excommunicat. ministrant. Sed pœnitentiæ publicæ usum cùm officio Presbyteri Pœnitentiarii sustulit Nectarius in Ecclesiâ Constantinopolitanâ, commotus scandalo inde suboto, ob stuprum à Diacono illatum mulieri pœnitenti de quo Socrates fusius loco modo laudato & Sozomen. lib. 7. cap. 16. Nicephor. Callixt. libr. 12. cap. 28. In aliis Ecclesiis etiam Orientis non desiit pœnitentiæ publicæ usus, Joannem quemdam reum nefariæ necis Æmilii ad pœnitentiam publicam ineundum hortatus est. Synes. epist. 44. *ἕλξῃ σιγῶν, καὶ ἐκκείσῃ τῇ δικῇ, καὶ σὺ κἀγὼ, καὶ πᾶς ὃν οὐ προκαθαίρει μετανοία δημοσιευθεῖσα. Tacens ac mutus protraheris, judicioque proponeris, tuque & ego & quemcumque publica pœnitentia, non priùs expiaverit.* In Ecclesiâ Romanâ tenaciùs retentus est usus pœnitentiæ. Innocent. I. ad Decentium. *De pœnitentibus qui sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interacuiat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis dimittendum Ecclesiæ Romanæ consuetudo demonstrat.* Per hæc tempora consuetudinem Romanæ Ecclesiæ secuta Fabiola clarissima fœmina, publicam pœnitentiam non horruit ob secundas nuptias contractas superstite priore viro, à quo non sine causâ diverterat. Auctor est Hieronym. ad Occeanum. *Quis hoc crediderit ut post mortem secundi viri in semet reversâ errorem publicè fateretur, & totâ urbe spectante Romanâ, ante diem Paschæ, in Basilicâ quondam Lateranensi, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbiteris, & omni populo collachrymantibus sparsum crinem, ora lurida, & squalidas manus sordida colla submitteret.*

In

In Mediolanensi Ecclesiâ singulari exemplo indicente Ambrosio ejus Ecclesiæ Episcopo, pœnitentiam publicam subiit Theodosius pro nefariâ cæde Thessalonicensium. Theodoret. libr. 5. cap. 17. Hoc exemplo erubescentes pœnitentiam publicam acerbiùs corripit Augustin. Homil. 49. *Fortassis immò quod non dubitatur, propterea Deus voluit ut Theodosius Imperator ageret pœnitentiam publicam, in conspectu populi, maximè quia peccatum ejus celari non potuit, & erubescit Senator quod non erubuit Imperator, erubescit nec Senator, sed tantùm Curialis, quod non erubuit Imperator, erubescit plebeius, sive negotiator, quòd non erubuit Imperator.* Eadem tempestate solemnem pœnitentiæ publicæ usum pari religione coluére Africanæ Ecclesiæ, pro adulterio pœnitentiam publicam indixit Augustin. d. homil. 49. *Agite pœnitentiam qualis agitur in Ecclesiâ, ut oret pro vobis Ecclesia.* Unde desumptus est can. agite. 32. qu. 3. Idem moris obtinuit in Galliâ solemnem pœnitentiæ publicæ ritum, quæ fiebat in Cœna Domini diligentiùs expressit Conc. Agath. can. 9. d. can. in capite. In publicis criminibus pœnitentiam publicam probavit Carolus M. secutus Canones Africanos, & Constitutionem Leonis de quo extat non unum Capitulare libr. 5. cap. 52. 53. Eodemque tempore pœnitentiam publicam plerisque locis ferè desuetam restitui, implorato etiam auxilio Principis placuit Patribus Concil. Cabillonens. II. can. 25. *Pœnitentiam agere juxta antiquam Canonum constitutionem, in plerisque locis ab usu recessit, & neque excommnicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur, ut à Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publicè peccat publica mulctetur pœnitentia, & secundum ordinem Canonum, pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.* Et recenti harum legum memoriâ Ludovicum P. ad pœnitentiam publicam adactum credibile est. Quòd in Germania pœnitentiæ publicæ quæ fieret in Cœna Domini solemne institutum in Ecclesia Colonienſi jam perdurasse sub exitu Othonis III. modò observatum est ex Ditmaro. In Anglia præter memorabilia quæ nimis nota sunt, exempla solemnis pœnitentiæ Henrici II. & Joannis Regum, non tacenda videtur hoc loco pœnitentia publica civium Oxonienſium Nicolao Legato Sedis Apostolicæ judice, ob duorum Clericorum suspendium: acta sub annum 1213. de qua Mattheus Paris. *Venerunt autem ad eum Oxoniæ Burgenses: quorum instinctu, & præsumptione, duo Clerici suspensi fuerunt absolutionem postulantes, quibus indicta pœnitentia inter cætera præcepit ut ad singulas civitatis Ecclesias depositis indumentis, pedibusque nudis, flagella portantes in manibus euntes, à Presbyteris Parochianis absolutionis beneficium cum psalmo quinquagesimo impetrarent.* Proximioribus etiam temporibus vetus disciplinæ memor Gregorius IX. blasphemos pœnitentia publica per Episcopos multari vo-

luit adhibito etiam poteſtatis ſecularis auxilio, ſi neceſſe eſſet ex cap. ſtatuimus de Maledic. Denique per tempora penes Epiſcopos relictum eſt publicæ pœnitentiæ arbitrium in atrocioribus & publicis criminibus. Ac noviſſimè Conc. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 8. publicè peccantibus publicam pœnitentiam ab Epiſcopis pro modo delicti infligendam ſtatuit. Secularibus durius videtur conſilium & ſtudium ſanctiſſimorum Antiſtitum, inſtaurandæ pœnitentiæ publicæ in gravioribus delictis, ipſis diſplicet ſeveritas veteris diſciplinæ; quaſi non conveniens ſæculo, & moribus iſtis, facilè contemnitur ſanctio Concilii Tridentini, quaſi non admiſſi in Gallia, denique rejicitur pœnitentia publica; quaſi ſcandalum potiùs quàm fructum paritura, & totis viribus explodenda, nè inde aſſurgat poteſtas Epiſcoporum in laïcos: ſed quâ fronte improbatur reſtitutio veteris diſciplinæ, eadem fides, eadem religio, non iiſdem moribus? qui ſperandum eſt eam ſalvam & incolumen futuram nonnè juſtum eſt votum omnium fidelium, Eccleſiam ſibi & ſuæ dignitati reſtitui, per totum orbem effuſa eſt Eccleſia autoritate diſciplinæ & pœnitentiæ, nonnè iiſdem modis tuenda eſt quibus fœliciter crevit. Non admittetur Concilium Tridentinum, fortaſſis hoc ferendum ſit, ſi quid hac in re novi induxerit, at verò id nihil aliud ſtatuit, quàm quòd pridem conſentiens omnium Concîliorum & Patrum autoritas, nec illud contemnere fas erit, quin convellantur Canones Africani, quos religiosè ſemper coluit Eccleſia Gallicana, multis ſeculis ante Tridentinum Concilium. Pœnitentiam publicam reſtitui placuit Patribus Concilii Cabillonenſis II. Et ob eam rem imploratum auxilium Principis, is erat Carolus M. vota & ſententiam lubens audiit religioſiſſimus Imperator, & ſuâ lege comprobavit pœnitentiæ publicæ uſum nixus Concilio Carthaginenſi & conſtitutione Leonis. Horreſcis pœnitentiam publicam tamquam incivilem, contumeliæ plenam, eam non horruit Theodoſius, & poſteris exemplo ſuo amplectendam propoſuit. Nullum eſſe credis fructum pœnitentiæ publicæ, at ſanior Theodoſius, per pœnitentiam immane ſcelus ſe intellexiſſe ſenſit, ſeque ad ſanam mentem rediiſſe conteſtatus eſt. Hujuſmodi pœnitentiæ fructus eſt quòd erubeſcentia ipſa partem habet remiſſionis Auguſtino de verâ & falsâ pœnitent. cap. 10. pudore publicè pœnitendi, contrahitur pudor peccandi, & quos metus ſupplicii non terret, pudor ſtandi inter pœnitentes ſæpiùs continet & qui exemplo ſceleris quaſi contagio lapſi ſunt, emendationis exemplo ad bonam frugem revocantur, non invidioſa in pœnitentiæ tribunali poteſtas Epiſcopi, quæ prodeſt ad ſalutem hominum, in quâ Epiſcopus manum imponit pœnitenti, non ſine lachrymis, & judex nullo diſcrimine cùm reo humi proſtratus pro ejus ſalute Deum ſupplex exorat alieni pu-

doris, & luctus particeps. Conc. Agathens. d. cap. 9. d. can. in capite. *Et cum omni Clero septem Pœnitentiales Psalmos in terra prostratus, Episcopus cum lachrymis pro eorum absolutione decantet.* Denique si sapis publicè interest Episcoporum potestatem foveri disciplinæ tuendæ causâ, quo fideles in officio contineantur, tollantur schismata & hæreses quibus Respublica pariter atque Ecclesia scinditur, & labefactatur. Hieronym. ad Luciferianos. *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.* Nec salva esse potest disciplina, si Episcopi antiquum vigorem remittant. Cyprian. epist. 55.

## CAPUT X.

### *Ordinis Episcopalis reconciliatio Ecclesiarum pollutarum. Ritus reconciliationis.*

AD Episcopum pertinet & reconciliatio Ecclesiarum pollutarum sicut consecratio, quia utraque est ordinis Episcopalis, & requirit ministerium ordinis, ita ut per simplicem Presbyterum expediri non possit, non obstante quacumque consuetudine religionis. cap. aqua. de consecr. Eccles. vel altar. quia ea quæ sunt ordinis Episcopalis, per inferiores carentes ordine præscribi non possunt cap. quantò. de consuetudin. & hoc juris usu perpetuum fuit; Chartagine nondum recepta à Vandalis, Basilicam Divi Cypriani per Sacerdotes Arrianos id est Episcopos, quorum proprium est nomen Sacerdotis expurgatam solemniter, seu reconciliatam fuisse Auctor est Procopius de bello Vandalic. libr. 1. ὁι μὲν τὴν ἀρειανῶν ἱερεῖς τότε ἱερὸν ἐκαθήραν ἅπαν, καὶ τὴν ἐντεῦθεν ἀναθημάτων τὰ κάλλιστα ἐκρέμων. *Sacerdotes Arriani templum omne purgarunt, & donaria quæ essent pulcherrima suspenderunt.*

Et in Galliâ cùm Basilica S. Dionysii Martyris esset polluta tempore Chilperici, ex conflictu in ea suborto ob purgationem mulieris adulterii insimulatæ, pro qua in Ecclesiam conventum erat, eam reconciliavit Ragnemodus Parisiensis Episcopus. Rem narrat Gregor. Tur. libr. 5. cap. 32. de reconciliatione Ecclesiæ expressiùs Aymoin libr 5. cap. 29. *Interea Ecclesiâ sine officiis manente, dùm hæc ad Regem delata fuissent, interminatus est nulli eorum prorsus fore benevolum, donec Ragnemodi Parrhisiaci Antistitis, in cujus Diœcesi hæc acta fuerant, reconciliatione veniam merentur, quos Episcopus facinus confitentes, pœnitentia indicta communioni restituit, Ecclesiamque reconciliavit.* Et in Aquitaniâ sub annum 1010.

cùm Basilica S. Martialis Lemovicensis esset polluta, quinquaginta circiter viris aut fœminis prætubâ oppressis in introitu Ecclesiæ, eam per Arnaldum Petragoricensem Episcopum, absente Girardo proprio Episcopo, solemni ritu lustratam refert Ademarus quem olim rerum Aquitanicarum studio totum exscripsi ex Codice Thuano. *Quadragesimâ verò mediâ ad nocturnas vigilias multitudine populi in eâdem Basilicâ ad tumulum B. Martialis intrante, viri cum mulieribus plus quinquaginta invicem conculcati intra Ecclesiam expiraverunt, & die crastinâ sepulti sunt, tùm Episcopus Girardus abierat Romam, idcircò per Arnaldum missum est Episcopum, qui post tertium diem, cum aquâ Episcopali Ecclesiam reconciliavit.* Ecclesiam licet exemptam reconciliavit Episcopus alienus vice proprii Episcopi, ideòque rectè subnotatur ejus absentia ab Ademaro; quia Ecclesiæ exemptæ in his quæ sunt ordinis Episcopalis puta in petitione chrismatis, consecratione Ecclesiarum, collatione Ordinum & aliis similibus subjiciuntur Episcopo Diœcesano. cap. veniens de præscript. Ecclesia semel polluta non potest reconciliari per simplicem Presbyterum, etiam de mandato Episcopi, quia Episcopus quidem potest mandare inferioribus ea quæ sunt jurisdictionis, sed ea quæ sunt ordinis Episcopalis, nequaquam potest demandare inferioribus cap. aqua de consecr. Eccles. vel altar. Ratio differentiæ est quòd ea quæ sunt Jurisdictionis, non ita hærent personæ Episcopi, at ea quæ sunt ordinis quæ Episcopus assequitur in consecrarione, ita propria sunt Episcopi, ut ab eo cedi non possint alii quàm Episcopo, & cedantur Coepiscopo non ut alii, sed ut alteri ipsimet propter vinculum & necessitudinem Sacerdotii, quæ Episcopos omnes velut unum habet, Ecclesias omnes velut unam colligit. Ambros. epist. 25. *Posset etiam illis videri suspecta necessitudinis sacerdotalis gratia.* Aliter jure veteri Pontificio si quidem dedicatio fiebat à Principe, sed ea alii mandari poterat. Hujus juris singulare argumentum est quòd in L. sacra. §. 1. ff. de rer. divis. locus sacer dicitur, cùm Princeps, cùm dedicavit, vel dedicandi dedit potestatem. Si Ecclesia consecrata polluta fuerit reconcilianda est per Episcopum aquâ benedictâ cum vino & cinere cap. proposuisti de consecr. Eccles. vel altar. quàm aquam Episcopalem vocat Ademarus. Quòd si Ecclesia non consecrata polluatur non negatur posse reconciliari per simplicem Presbyterum aquâ exorcisatâ, id est aqua benedicta cum sale Gloss. in cap. ult. cul. vit. solemnem exorcismum seu reconciliationem Ecclesiarum sine causâ affectasse Donatistis notat Optatus libr. 2. *Exorcisastis & Lanistis sine causâ parietes, ut hoc nequitiæ genere subrueritis simplissimorum hominum mentes.*

# CAPUT XI.

## *Episcopalis Ordinis fuit Canonizatio sanctorum. Quo tempore translata ad S. Pontificem. Adhuc penes Episcopum est translatio reliquiarum.*

AB initiis surgentis Ecclesiæ Canonizatio Sanctorum fuit penes Episcopos, in sua quemque Diœcesi, tamquam apex & fastigium eorum, quæ sunt Ordinis Episcopalis & ea fuit minùs solemnis, nec aliam solemnitatem desideravit, quàm quòd Episcopus, cognita vitæ sanctitate & miraculis defuncti, votis & concursu populi ad ejus tumulum, ipsius nomen in Diptycha, seu sacras Tabulas referret, quò ejus memoriâ quot annis solemni die coleretur. Cyprian. epist. 37. *Denique & dies eorum quibus excedunt annotate, ut communicationes eorum, inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Tumulis Martyrum imponebat Episcopus altare, & sacram ædem, vix è vita migravit Nilamnon inclusus, quàm Theophilus Alexandrinus Episcopus super illius sepulchrum templum construxit. Sozomen. libr. 8. cap. 19. Zebina vita functo in eremo, ejus tumulo ædes sacra inædificata apud Cittam vicinum oppidum Theodoret. de vit. patr. cap. 24. ὁ δὲ θεσπέσιος ζεβινᾶς ἀροτελευτήσας, εἰς τὴν πελάξουσαν αὐτῷ κιώμην Κίττα δὲ αὕτη καλεῖται τῶν νομιζομένων ἀπήλαυσε, καὶ σηκὸν δὲ τῇ θήκῃ μέγιστον ὡκοδόμησαν. *Divino autem Zebina ante illum vita functo, vicinam apud Cittam justa facta sunt templumque loculo ejus maximum inædificarunt.* Ob id locum sepulturæ B. Antonii cælatum ex ipsius præcepto, nè sublato corpore Martyrium inædificaretur refert. Hieronym. in vit. Hilarion. causam occultandi juxta præceptum Antonii fuisse referentis nè Pergamius sublato ad villam suam sancti corpore Martyrium fabricaretur. Sanctitatis laude Clariores Monachos Ægyptios à Sarracenis Latrunculis interemptos ab Episcopis regionis in Sanctorum numerum relatos memorat Cassianus Collat. 6. cap. 1. *In hac summæ vitæ ac sanctitatis Monachi commorantes, repentè sunt à discurrentibus Sarracenorum Latrunculis interempti, quorum corpora licet sciremus, tam à Pontificibus regionis illius, quàm ab universa plebe Arabum tanta veneratione prærepta, & inter reliquias Martyrum condita, ut innumeri populi à duobus oppidis concurrentes, gravissimum sibi certamen indixerint, & usque ad*

*gladiorum conflictum, pro ſancta rapina ſit eorum progreſſa contentio &c* Et quòd Martyri conſtruebatur oratorium Martyrium dicebatur. Conc. Calced. & an. 8. l. 7. C. Th. de ſepulchr. violat. Pallad. Hiſt. Lauſiac. cap. 105. Εἰσάλθεν εἰς τὸ μαρτύριον ἑαυτοῦ ὃ ᾠκοδομήσει αὐτὸς ἐν ᾧ κατέκειτο λείψανα τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ. *Ingreſſus eſt in ſuam Martyrium quòd ipſe ædificarat, in quo locavit reliquias S. Joannis Baptiſtæ.* Et Martyrarii Clerici qui præerant oratoriis dicatis in honorem Martyrum Conc. Aurelianenſ. 2. Can. 13. *Abbates Martyrii recluſi, vel Presbyteri Apoſtolica dare non præſumat.* Gregor. Tur. de Miracul. libr. 2. cap. 46. *Eo tempore cùm poſt obitum Martyrarii, Urbanus Diaconus hujus Baſilicæ ordinatur Ædituus.* Et Id. libr. 4. Hiſt. cap. 11. *Unde factum eſt ut conjuncti Clerici cùm Leubaſte Martyrario & Abbate cùm magno apparatu Arvernum properarent.* Cùm quis Martyrio occubuerat, Epiſcopus cujus in Diœceſi Martyr paſſus erat, ea de re referebat ad Primatem, à quò convocatis Epiſcopis, re plenius cognitâ, an is Martyres inter cooptandus eſſet, decernebatur. Tempore Diocletiani, Menſurius Carthaginenſis Epiſcopus, conſultus à ſecundo Tigiſitano Epiſcopo illos qui ex edicto ſacros codices tradere recuſaſſent, & eam ob cauſàm Martyrii agonem ſubiiſſent, in Martyrum album referendos cenſuit, facinoroſos vero vel fiſci debitores, qui reatus eluendi cauſâ, vel ære alieno ſe liberandi, ſeſe ultro deferebant, eis denegandum eſſe nomen & honorem Martyrum judicavit Auguſtin. in Brevicul. Collat. *Quidam etiam in eadem Epiſtola facinoroſi arguebantur, fiſci debitores qui occaſione perſecutionis, vel carere debent oneroſa multis debitis vita, vel purgare ſe putarent, & quaſi abluere facinora ſua vel certè acquirere pecuniam, & in cuſtodia deliciis perfrui de obſequio Chriſtianorum.* Erant Hæretici maximè Donatiſtæ qui æmulatione fidelium, Martyrii gloriam affectabant, ideòque nè hujuſmodi Martyres dicerentur, vetuit Conc. Cartaginenſ. 1. Can. 2. *Martyrum dignitatem nemò prophanus infamet neque ad paſſiva corpora, quæ ſepulturæ tantùm propter miſericordiam Eccleſiaſticam commendari mandatum eſt redigant, ut aut inſaniâ præcipitatos, aut aliquos tali pacto, aut aliâ ratione peccati diſjunctos, non ratione vel tempore competenti quo Martyria celebrantur Martyrii nomine appellet.* Hac de cauſâ etiam nè fideles deciperentur falſa religione pſeudo Martyrum, ſancitum fuit nè priùs colerentur reliquiæ Martyrum, quàm vindicati eſſent, id eſt probati & affecti judicio Epiſcoporum, à Cæciliano tùm Archidiacono, poſteà Epiſcopo Carthaginenſi reprehenſa eſt Lucilla, potens ſed factioſa fœmina, quòd ante ſacram communionem os neſcio cujus Martyris nondum vindicati libaret, id eſt oſculo delibaret. Optat. Milevit. libr. 1. *Hoc apud*

*Carthaginem post ordinationem Cæciliani factum esse, nemo est qui nesciat, per Lucillam scilicet nescio quàm fœminam factiosam, quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dùm adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cùm correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritalem cibum & potum os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libere dicebatur, & cum præponeret Calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed necdum vindicati, correpta cùm confusione irata discessit.* Sed cùm sæpius obrepente zelo contingeret fideles decipi, falsorum Martyrum cultu, ut tempore Alexandri III. in quodam qui in temulentia necatus ferebatur, Alexander III. constitutionem edidit, ne liceret quem pro sancto venerari absque autoritate Romanæ Ecclesiæ cap. audivimus de reliquiis & vener. sanct. ab eo tempore Canonizatio sanctorum fuit solemnior, nec aliter facta est quàm prævia diligenti inquisitione per testes de vita & miraculis Canonizandi, quæ fit auctoritate sedis Apostolicæ cap. venerabili de testib. Adhuc Episcopo integra est translatio & probatio reliquiarum sanctarum pridem receptorum, inventas Gervasii & Protasii Martyrum reliquias transtulit & in Basilica Ambrosiana collocavit Ambrosius, in loco quem destinaverat propriæ sepulturæ, Testis ipse epist. 85. ad Marcellinam Sororem. *Nam cùm Basilicam dedicassem multi tamquàm uno ore interpellare cœperant dicentes, sic in Romana Basilica dedices, respondi faciam si Martyrum reliquias invenero quid multa Dominus gratiam dedit, formidantibus etiam Clericis jussi eruderare terram, eo loci qui est ante Cancellos Sanctorum Felicis atque Naboris, inveni signa convenientia, adhibitis etiam quibus per nos manus imponenda fore, sic sancti Martyres eminere cœperunt ut adhuc nobis silentibus arriperetur urna, & sterneretur prona ad locum sancti Sepulchri, invenimus miræ magnitudinis viros duos ut prisca ætas ferebat, ossa omnia integra, sanguinis plurimum, ingens concursus populi per totum illud Biduum quid multa condivimus integra, ad ordinem transtulimus vespere jam incumbente ad Basilicam Faustæ, ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio, sequenti die transtulimus ea in Basilicam quam appellant Ambrosianam, & in fine hunc ego locum prædestinaveram mihi, dignum est enim ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit, sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste Martyribus debebatur.* Corpora Sanctorum transferri sine consilio Principis & Episcopi licentia vetuit Conc. Moguntin. 1. Can. 51. *Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat sine Consilio Principis, vel Episcoporum Sanctæque Synodi licentia.*

## CAPUT XII.

*Episcopalis Jurisdictionis est canonica obedientia, subjectio, & reverentia Clericorum. Solemnis precursus Episcopis, relatio nominis Episcoporum in Diptycha Ecclesiæ, dies anniversarius Ordinationis Episcoporum.*

EMENSIS his quæ sunt Ordinis Episcopalis, sequuntur ea quæ sunt Jurisdictionis strictius sumptæ, id est quæ speciali nomine appellatae stlex Diœcesana, quòd competat Episcopo ratione potestatis quàm habet in variis causis per universam Diœcesim, alias enim lex Diœcesana labius sumitur, pro universa Jurisdictione Episcopi, uti cùm Comutam Cantabrisiensem Episcopo Lincolniensi ademptum, & Episcopo Eliensi lege Diœcesana subditum fuisse refert Matth. Paris. ad ann. 1109. *Nam defuncto Richardo qui ultimus fuit Abbas in insula & Comitatu de Cantabrigge, Episcopo Lincolniensi subtracto, huic novo Pontifici lege Diœcesanâ subiicetur Comitatus.* In censu horum quæ sunt legis Diœcesanæ primùm locanda est canonica obedientia, subjectio, & reverentia, omnes Clerici & Monachi qui sunt intrà Diœcesim sunt in potestate Episcopi, & si ei recusent parere, si quidem Clerici deponuntur, si Monachi excommunicatione cum Laïcis plectantur Conc. Calendonens. Can. 8. Can. quidam Monachorum. 18. qu. 2. Eâ se ætate Monachi erant extra clerum. Ideòque pœnis canonicis id est depositione non puniebantur ut Clerici, sed excommunicatione ut Laïci. Inde Clerici & Monachi lege Diœcesana subditi sunt Episcopo, eique præstant debitam obedientiam & reverentiam cap. Quòd super his. de major. & obedient, & quicumque ordinantur, tenentur Episcopo edere professionem fidei, & promissionem subjectionis obedientiæ & reverentiæ, proprio Chirographo consignatam Conc. Toletan. XI. Can. 10. Can. quamquam. 23. dist. Et ordinati vinculo ordinationis fiunt subditi ordinantis. Petrus Cellens. lib. 8. epist. 16. *Præ cæteris hoc unum ad præsens postulat, ut de manu vestra primitias Clericatus, id est coronam accipiat, hoc etenim signo accepto, magis se obligatum erga obsequium vestrum non immerito deinceps arbitrabitur, & vos tamquam plantæ vestræ bonum jure providebitis,* & idem epist. 18. ejusd. libr. *Habeat itaque vos Dominum,*

&

*& signo Clericatus à vobis susceptо, patronum & auctorem hujus ordinis habeat.* Hoc jure etiam semel ordinatis à suo Episcopo, & constituto in quapiam Ecclesiâ, non licet ab ea discedere, & aliam ad Diœcesim migrare, quin prius à suo ordinatore, vinculo obedientiæ quo ligati sunt absolvantur. Ob id Aymericus Claromontensis Episcopus cum Clerico Cœnomanensi Vvillelmo de Longeio nomine, Archidiaconatum in propria Ecclesia contulisset; quò ritè res fieret eum à suam potestate absolvit. Hildebertus Cœnomanensis Episcopus Auctor est ipse epist. 55. *Gratias igitur beatitudini vestræ de collato agens beneficio, eundem Vvillelmum vobis & vestræ commodo Ecclesiæ, ab ea quam consecrarori suo debet obedientiam liberum omnino & absolutum.* Clerici inquam debent parere Episcopo ut Domino. Ignatius epist. ad Trallianos. τῷ ἐπισκοπῳ ὑποτάσσεσθε, ὡς τῷ κυρίῳ. *Episcopo subjecti estote ut Domino*, vel quæ mitior est sententia, ut Patri, non ut Domino Hieronym. ad Nepotianum. *Sta subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe*, & Paulo post *sed Episcopi sacerdotes se esse noverint, non Dominos, honorent Clericos quasi Clericos, ut & ipsis à Clericis, quasi Episcopis honor deferatur, scitum est illud oratoris Domitii, cur ego te, inquit habeam ut principem, cum tu me non habeas ut Senatorem.* Unde libatus est Can. sta subjectus. 95. dist. Clerici debent Episcopo Canonicam obedientiam, id est qualem Canones desiderant, Episcopus enim non debet gravare Clericos talliis vel exactionibus, vel inhonestè eos tractare, memor præcepti Apostoli, neque Dominantes in clero, sed forma id est typus facti gregis cap. 1. de Excess. prælat. id est non debet eis imponere operas serviles Can. placuit. 10. qu. 3. Can. nullus Episcopus. 1. qu. 1. Conc. Meldens. Can. 37. Ambros. II. officior. 27. *Episcopus ut membris suis utatur Clericis, & maximè ministris, qui sunt verè filii, quem cuique viderit aptum muneri ei deputet.* Notatur Henricus Archiepiscopus Moguntinus quòd Clericos militum ludibrium faceret, & in solemni epulo, cùm Clerici ante milites consedissent, jusserit ut bini quique milites singulos Clericos sibi pro pulvinari subjicerent, cujus facti memoriâ ejus sepulchro inscripti hi versus referuntur ab Alberto Argentinensi in Chronic.

*Nudipes Antistes non curat Clerus ubi stes.*
*Dùm non in cœlis stes ubicumque velis.*

Item Episcopus non potest exigere juramentum fidelitatis à Clericis, nisi ab his quibus rerum Ecclesiasticarum administratio credita est. Can. ult. 22. qu. 5. cap. nullus de jurejurand. Eo nomine Archidiaconum, penès quem erat dispensatio ærarii Episcopalis Episcopo jurejurando caviisse de rebus rectè administrandis colligere est ex eo quòd

Fulbert. epist. 34. Lysiardi Archidiaconi Senonensis in Archiepiscopum suum contumaciam perstringens : *Quid dicemus*, inquit, *de juramento fidelitatis quòd ita contaminat, ut Episcopo suo non corde, nec verbo, nec opere fidelis existat.*

Præter subjectionem & obedientiam Clerici debent reverentiam Episcopo. In argumentum reverentiæ Episcopalis, in altari in quo Episcopus Missam celebravit, Presbytero non licet eodem die Missam celebrare. Conc. Antissiodor. can. 10. can. ult. de Consecr. dist. 2. Et Vicariis Presbyteris non licet offerre, id est Missæ solemnia celebrare in Dominico seu in Cathedrali Ecclesiâ, præsente Episcopo. Conc. Neocæsar. can. 13. ult. 95. dist. Nec fas est Presbyteris ante Episcopum ingredi, & sedere in sacrario, sed simul cum Episcopo. Concil. Laodic. can. 56. can. non oportet ead. dist. Episcopo procedente in Ecclesiam, moris fuit Clericos & Virgines quæ castitatem professæ erant, ei occurrere. Epiphanio Constantiæ Cypri Episcopo Constantinopolim adventanti solemni cum processione Cleri occurrit Joannes Chrysostomus qui tum Ecclesiæ C. P. præerat. Sozomen. libr. 8. cap. 14. ὁ δὲ ἰωαννης εἰσιόντα αὐτον τῇ ὑπαντησει τε πληρους κλήρου ἐτίμησεν. *Joannes ingredientem totius Cleri processione veneratus est.* Occursum Virginum observavit Augustin. epist 203. *Transit honor hujus sæculi, in futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium, atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, quæ hîc honorant, ibi onerant.* Episcopis etiam à Clericis & Monachis cum thuris suffitu, & facibus, occurri solitum. Cùm in Proconessum exilio deportaretur Nicephorus C. P. monasterii magni agri Præfectus eum navigio prætervehi, revelante numine sentiens, eum suffitu & coreis prosecutus est θυμιάμασι, καὶ κηροῖς προύπεμπεν αὐτον Auctor est Cedren. in Leone Armenio. Episcopis etiam tamquam Præsidibus verbi Dei, à Clericis & Monachis cum Codicibus Evangeliorum occurri antiqui moris fuit. Ekkeard. Junior de casib. Monaster. S. Galli cap. 1. *Parat illicò Basilicam, & aram parat tapetis, & pallio dorsili caminatam Evangelio Episcopum, aliquos qui aderant Presbyteros recipere jubet.* Et sub finem ejusd. capit. *Post non multum quoque temporis accidit Petrum etiam Veronensem Episcopum, à Palatio redeuntem, simili loci gratiâ inopinatum venire, fratres autem suscipientes illum, quod melius quidem habebant Evangelium ei offerebant.* Et idem cap. 9. *Ad recipiendum enim Episcopum cum Evangelio, etiam si frater conscriptus non fuerit, æquum esse ut pariter occurrant omnes concordant, & mox suscipitur Episcopus Victor Evangelium obtulit ipsi, quod ubi ille osculatur, Victor revertitur.* Nec recens institutum in solemni processu Episcoporum, super eorum caput pallium de-

Athanasio redeunti, Alexandrini occurrunt variis agminibus per sexus ætates & artes divisis. Nazian. orat. 21.

portari. Id honoris delatum Joanni Vincentio Ordinis Prædicatorum à Bononienſibus, non ſine calumniâ apud Gregorium IX. quaſi ſeſe pro Apoſtolico gereret. Thomas Cantipratenſ. libr 2. cap. 1. *Ut autem Civitas Bononienſis approximantem audivit, occurrit ei Nobilium & Magnatorum, civium & populorum innumerabilis multitudo, qui neſcientes aliquid majoris honoris impendere pannum ſericum in quatuor haſtis, ſupra ſanctum virum in magno laudis jubilo deportabant. Hæc vidit Diabolus & invidit, inſtigatque quemdam nefarium, qui hæc Gregorio Papæ velociſſimè nunciaret, addens quòd ſe frater Joannes pro Apoſtolico gereret, qui equo albo incederet, & ſuper ſe pannum ſericum faceret deportari.* Reverentiæ Epiſcopalis inſigne argumentum eſt & illud, quòd nomen Epiſcoporum tam ſuperſtitum quàm defunctorum refertur in Dyptichis Eccleſiæ, & eorum memoria celebratur in precibus publicis, inter jura Epiſcopalia refertur ἀναφορὰ τῷ ὀνόματος τότε. Balſamon. in can. I. Synod. Conſtantinopolit. 1. & 2. Et in pœnis canonicis ſi Epiſcopus extraneos vel hæreticos hæredes inſtituerit, nomen ejus de Epiſcoporum memoriâ tollitur, id eſt inter Epiſcopos non recitatur. Synod. Carthag. can. 84. apud. Balſamon. African. can. 48. Joannis Chryſoſtomi nomen tabulis Eccleſiæ reponi juſſit Atticus C. P. Socrat. libr. 7. cap. 25. μνείαν ἰωάννου ἐν ταῖς εὐχαῖς ἐκέλευσε ποιεῖσθαι, ὡς δὲ τῶν ἄλλων ἐπισκόπων τῶν κεκοιμημένων εἰώθει γίνεσθαι. *Præcepit ut Joannis mentio fieret in precibus, ſicut de aliis Epiſcopis ſolet.* Etiam extranei Epiſcopi ex conſuetudine nominati inter Miſſarum ſolemnia ut Archiepiſcopus Ravennæ in Eccleſiâ Mediolanenſi, de quo conſultus Gregorius à Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi ei reſpondit conſuetudinem inquirendam libr. 3. indict. 12. epiſt. 37. *Quòd autem ſcripſiſtis, quia ſcandalizantur plurimi eorum, quia fratrem & Coepiſcopum noſtrum Joannem Ravennatis Eccleſiæ inter Miſſarum ſolemnia nominetis requirenda vobis conſuetudo antiqua eſt.* Nec illud omittendum teſtimonium Eccleſiæ certantis in obſequium & honorem Epiſcoporum, quòd dies natalis id eſt anniverſarius ordinationis Epiſcoporum, ſolemniter celebratur can. ſolemnitates de conſecr. diſt. 1. De natali Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi. Auguſtin. de verb. Domin. Sermon. 32. *Dies anniverſarius ordinationis Domini ſenis Aurelii craſtinus illuceſcit, rogat & admonet per humilitatem meam charitatem veſtram, ut ad Baſilicam Fauſti devotione venire dignemini.* De natali ſuæ ipſius ordinationis idem homil. 24. *Veruntamen cùm dies anniverſarius noſtræ ordinationis exoritur, tunc maximè honor hujus officii tanquam primo imponatur, attenditur.* Ità & natalis ordinationis Romanorum Pontificum concelebratur, ſolemni cum invitatione Epiſcoporum. Paulin. epiſt. 16. ad Delphinium, de natali Anaſtaſii I. Pontificis. *Poſteà quoque*

*interpoſito tempore, etiam ad natalem ſuum, quod Conſacerdotibus ſuis tantum deferre ſolet, invitare dignatus eſt.*

## CAPUT XIII.

### *Thronus Symbolum Juriſdictionis Epiſcopalis. An liceat Epiſcopo per ſe mutare ſedem in Eccleſiâ. Feuretius reprehenſus.*

EPISCOPUS ſolus in Eccleſiâ habet jus throni: Concil. Carth. IV. can. 34. *Epiſcopus in Eccleſiâ & in conſeſſu Preſbyterorum ſublimior ſedeat.* can. Epiſcopus 95. diſt. Sedem Epiſcopi Græci θρονον vocant propter dignitatem. De cathedra Jacobi Euſeb. libr. 7. cap. 14. τον γὰρ ἰακωβον θρονον τὸν ἀποστολικὸν, τὸν πρωτον τῆς ἱεροσολυμων ἐκκλησίας, τῷ ἐπισκοπῷ πρὸς αὐτὸ τὸ σωτῆρος, καὶ τῶν ἀποστόλων ὑποδεξαμένοις εἰς δεῦρο πεφυλαγμένον, οἱ τῇ δὲ κατὰ διαδοχὴν παρελθόντες ἀδελφοὶ σαφῶς τοῖς πᾶσιν ἐπιδεικνυσι. *Jacobi enim Apoſtoli cathedram, qui primus ad Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum electus à Servatore & ejus Apoſtolis, ad iſtud tempus ſervatam Epiſcopi qui illic ordine ſucceſſerunt, omnibus oſtendunt.* Et Epiphan. hæreſ. 78. num. 7. καὶ πρωτος ἐκεῖνος ἐλιπε τῷ καθέδραν τῆς ἐπισκοπῆς ᾧ πεπιστευκε Κύριος τὸν θρόνον αὐτὸς, ὅπερ τῆς γῆς πρώτου. *Et primus ille Epiſcopalem cathedram cœpit, cui primo ſuum in terris thronum Dominus tradidit.* Nec invidioſum nomen throni in Epiſcopo, quod conveniat & Regum ſolio; Græcis enim thronus nihil aliud eſt quàm ſella cum ſubſellio, quâ uſi ſunt eriam privati: Atheneuſ. libr. 5. cap. 6. θρόνος αὐτὸ μονον ἐλεύθερος ὅτι καθέδρα σὺν ὑποποδίῳ. *Thronus eſt ſella cum ſubſellio, in quâ ſedent liberi tantùm.* Sedes Epiſcopi debet eſſe ſublimior propter dignitatem. Auguſtin. epiſt. 234. *Oportet ergo ut in congregatione Chriſtianorum Præpoſiti plebis eminentiùs ſedeant, ut in ipſa ſede diſtinguantur, & eorum officium ſatis appareat; non tamen ut inflentur de ſede, ſed ut cogitent ſarcinam undè reddituri ſint rationem.* Et Ambroſ. de dignit. Sacerdot. cap. 3. *Nè habeatur in Eccleſiâ cathedra ſublimior, & conſcientia Sacerdotis reperiatur humilior.* Et idem eod. libr. cap. 6. *Nam quid aliud interpretatur Epiſcopus, niſi ſuperinſpector, maximè cum ſolio in Eccleſiâ editiore reſideat, & ita cunctos reſpiciat, ut & cunctorum oculi in ipſum reſpiciant.*

Dignitatis causâ ut thronus Epiſcopi collocetur in medio ſacrario ſeu Preſbyterio, ſanxit auctor Conſtitut. Apoſtolicar. libr. 2. cap. 57. κείσθω δὲ μέσος ὁ τῦ ἐπισκόπυ θρόνος παρ' ἑκατερα δὲ αὐτὸ καθεζέσθω τὸ πρεσβυ-

τέριον, καὶ οἱ διάκονοι παριστάθωσαν. *Sit solium Episcopi in medio positum, & ex utroque ejus latere sedeant Presbyteri, & adstent Diaconi.* In medio locatur thronus Episcopi propter dignitatem & autoritatem, quia est Symbolum Episcopalis Jurisdictionis & potestatis: Unde installatio Episcoporum fit solemniter per cathedræ impositionem. Gregor. Tur. libr. 8. cap. 5. *Cùm viderem eum à te tonsuro capite quasi Episcopum ordinari, deinde super cathedram puram, solâ fuligine tectam impositum ferri, prælucentibus coram Lychnis & cereis.* Et Ademar. in Chronic. de installatione Giraldi Lemovicensis Episcopi: *Primò ad S. Martialem venerunt simul & recepti sunt à Monachis; inde Monachi duxerunt cum antiphonis ad Ecclesiam Cairohensem, ibi in cathedrâ sedit, & humeris populi vectus, Canonicis antiphonas concinentibus textum Evangelii à Grimoardo legendum sumpsi, & ita legens, & assiduè dextrâ benedicens, ad ostium Basilicæ S. Stephani sedens cum gloriâ deductus est: Grimoardus tradidit ei portas Ecclesiæ, Arnaldus cordas signorum, & ambo in sede Sancti Martialis inthronizaverunt eum, & altâ voce, Te Deum laudamus Arnaldus Episcopus intonuit, Episcopum sedentem osculati sunt omnes.* Ideòque Episcopus non potest cathedram collocare in Monasteriis, & aliis locis exemptis. can. Luminoso. 18. qu. 2. sed in propriâ Ecclesiâ omnia agit è cathedra; ut reconciliatio pœnitentium, quæ fiebat ab Episcopo per manuum impositionem, solebat fieri ante absidem, seu tribunal Episcopi. Conc. Carthag. III. can. 32. can. Presbyter. 26. qu. 6. In docendi officio maximè elucebat dignitas cathedræ Episcopalis; solebant Episcopi orare ad populum é suggestu pro gradibus altaris: Augustin. de civit. Dei libr. 22. cap. 8. *Quòd cùm ex Dominico Paschæ die tertiò fieret in gradibus exedræ, in quâ de superiore loquebar loco.* Et idem de verb. Domini serm. 62. *Quamquàm & nos qui vobis videmur de superiore loqui loco, cum timore sub pedibus vestris sumus quoniam novimus quàm periculosa ratio de istâ, quasi sublimi sede reddatur.* Hinc pacis causâ, abdicatâ sede Constantinopolitanâ Gregorius Nazianzen. in oratione habitâ in Synodo 150. Episcoporum quæ est 32. valedixit cathedræ sublimi & cancellis suggestûs; è quo solebat orare: χαῖρε μαὶ ᾧ καθέδρα τὸ ἐπιφθονον ὕψος, τοῦτο κ' ἐπικίνδινον & paulò post, καὶ ἡ βιαζομένη κιγκλὶς αὐτὴ τοῖς περὶ τὸν λόγον ὠθιζομένοις. *Vale cathedra, invidiosum hoc & periculosum fastigium, atque hujus suggestús cancelli, vim passi ab auditoribus impellentibus.* Cathedra Episcoporum erat gradibus elevata, & velo adornata, & hoc est quòd ait Augustin. epist. 203. perstringens pompam Episcoporum, *nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ.* Et hæc omnia instituta sunt propter dignitatem & autoritatem Episcoporum, & propter mysticam rationem ut Episcopus noscat se versari in loco sublimi, sed periculoso, ut è speculâ

ſubditis invigilet, & ſine reprehenſione vivat tamquàm poſitus coram omnium oculis.

Feuretius libr. 3. cap. 3. num. 12. quo ſolet ingenio dignitati, & poteſtati Epiſcoporum inſultare, & ad invidiam in ipſos nomen Principis ciére, cenſuit Epiſcopum non poſſe mutare ſedem, vel altiùs tollere, ſine conſenſu Metropolitani, Principis & Capituli. Ego non ingratiis fatear Epiſcopo non licere ſublimiùs tollere cathedram, quàm par ſit, nec eam transferre in locum incongruum & incommodum Epiſcopali miniſterio. Notatur inter cætera Paulus Samoſatenus Antiochenus Epiſcopus quòd ſublimiorem thronum ſibi poſuiſſet. Euſeb. libr. 7. cap. 24. Βῆμα τε θρόνον ὑψηλον ἑαυτῷ κατασκευασάμενος, οὐχ ὡς χριστοῦ μαθητὴς σηκρητον δὲ ὥσπερ οἱ τῷ κόσμῳ ἀρχοντες ἔχον τὸ τε ὀνομαζων. *Tribunal & thronum ſublimem ſibi comparans non ut Chriſti diſcipulus, ſecretum ſive ſecretarium, ut ſeculares magiſtratus vocans.* Admiranda magis quàm imitanda humilitas S. Martini Turonenſis Epiſcopi qui in ſecretario Eccleſiæ numquam viſus eſt ſedere in cathedrâ, ſed tantùm humiliore ſellulâ, cujus comparatione faſtum cujuſdam Epiſcopi qui ſublimiori ſede velut regio ſolio conſedebat, meritò reprehendit Sever. Sulpit. de virtutib. B. Martin. dialog. 3. *Illud non præteribo, quòd in ſecretario ſedens numquam cathedrâ uſus eſt, nam in Eccleſiâ nemo umquam illum ſedere conſpexit, ſicut quemdam nuper teſtor Dominum, non ſine meo pudore vidi, ſublimi ſolio quaſi regio tribunali, celsâ ſede reſidentem. Sedebat autem Martinus in ſellulâ ruſticanâ ut eſt in uſibus ſervulorum, quas nos ruſtici Galli Tripetias, vos Scolaſtici, ut certè tu qui de Græciâ veniſti tripodes nuncupatis.* Sed nimis durum eſt legem ignotam Patribus, & Canonum regulis dari Epiſcopis, nè poſſint mutare Sedem in Eccleſiâ, ſi ita rationabiliter viſum fuerit, non expectato conſenſu Principis, vel Metropolitani, vel Capituli. Baſilica Epiſcopalis, ut cæteræ, eſt in poteſtate Epiſcopis. Conc. Aurelianenſ. I. can. 19. omnes Baſilicæ. 16. qu. 7. Epiſcopi eſt ornare & inſtaurare Eccleſiam, ſi quid igitur Epiſcopus novi ædificet in Eccleſiâ, quo locus deformior vel deterior fiat, poteſt conveniri interdicto, nè quid in loco ſacro fiat. L. 1. ff. nè quid in loc. ſacr. vel poteſt ei novum opus nunciari, & ſi nuntiationi non deferat, poteſt provocari ad Metropolitanum vel proximum Superiorem. cap. dilecti. de appellat. cap. cùm ex injuncto. de novi oper. nunciat. Satis idonea ſunt hæc remedia juris, ut deformitati vel incommodo Eccleſiæ conſulatur, fruſtrà ei occurritur ſine neceſſitate, accerſito præmaturè & extra ordinem auxilio Metropolitani, vel Principis. Non poteſt adiri Metropolitanus ante gravamen, nec cognoſcit de cauſis Epiſcoporum niſi per appellationem. cap. duo ſimul. de offic. Ordinar. can. conque-

ſtus. 9. qu. 3. nimiſque invidioſum eſt in re leviori, cui juris communis providentia patet, peti auxilium Principis. Fruſtrà poſtulatur à Principe quòd de jure communi obtineri poteſt. L. Imperatores. ff. de reb. auctor. judic. poſſid.

## CAPUT XIV.

*Epiſcopalis Juriſdictionis eſt inſtitutio & deſtitutio Clericorum. De jure collatio Beneficiorum ſpectat ad Epiſcopum, ex conſuetudine vel privilegio ad inferiores. Collatio facta ab Epiſcopo poſt jus devolutum ad Superiorem eſt nulla & irrita. An detur locus appellationi tamquam ab abuſu: reprehenditur Feuretius. An collatio Beneficiorum devolvatur à Vicario ad Epiſcopum: notatur error Feuretii. Concurſus Summi Pontificis in collatione Beneficiorum.*

AD Epiſcopum pertinet inſtitutio & deſtitutio Clericorum cap. conquerente. de offic. Ordinar. cap. cùm ex injuncto. in fin. de hæretic. Cujus eſt Ordinatio, ejuſdem eſt inſtitutio; Ordinationem ſtatim ſequebatur inſtitutio; Ordinatio non fiebat ἀπολελυμένως, abſolutè ſine titulo; quemquam ſine titulo ordinari vetitum eſt Conc. Chalced. can. 6. & conſtitutione Urbani II. can. neminem. can. Sanctorum 70. diſt. Cùm quis ordinabatur Preſbyter vel Diaconus, vel Clericus, ordinabatur ſub titulo certæ Eccleſiæ; quod ſuâ ætate in deſuetudinem abiiſſe teſtatur Zonaras in d. can. 6. ἔτως τὸ παλαιὸν πᾶς χειροτονέμενος τῆς δὲ τῆς ἐκκλησίας ἱερεὺς, ἢ διάκονος ἢ κληρικὸς ἁπλῶς ὠνομάζετο, εἰ καὶ νῦν τοῦτο πᾶσι κατεφρόνηται. *Sic olim quicumque ordinabatur Sacerdos vel Diaconus, vel Clericus, hujus Eccleſiæ nuncupabatur, quamvis hoc totum poſtea ſit neglectum.* Antiqui juris obſervantiâ Hilduinus Abbas Cœnobii Sancti Dionyſii, priuſquàm conſecraretur in Epiſcopum Colonienſem, Preſbyter ordinatus eſt ad titulum Eccleſiæ Colonienſis: Regino 2. Chronic. *Porrò Coloniæ Agripinæ Rex Hilduinum Abbatem præponere tentavit, in Pontificali cathedrâ, fecitque à Francone Epiſcopo Tungrenſis Diœceſis, in Aquispalatio Preſbyterum ordinari, ad titulum Sancti Petri prædictæ Metropolis.* Inde diviſis Parochiis in ſingulis Eccleſiis, ſinguli Preſbyteri inſtituebantur. Conc. Sardic. can. 6. Conc. Rhemenſe can. 9. can. ſicut in unaquaque. 21. qu. 2. Dionyſ. epiſt. 2.

can Eccleſias. 13. qu. 1. De Alexandrinis Eccleſiis. Epiphan. hæreſ. 68. art. 4. καθ' ἑκάστην γὰρ εἷς πρεσβύτερος ἦν ὑποτεταγμένος. *Nam unicuique Eccleſiæ unus attribuebatur Preſbyter.* Aliquandò de gratiâ Ordinatorum fiebat, ut Preſbyteri ordinarentur ſine certo titulo, poſtulante ordinando, ſic à Lampio Barcinonenſi Epiſcopo, ſine titulo ſe ordinatum memorat. Paulin. epiſt. 6. ad Severum. *Nam ea conditione in Barcinonenſi Eccleſiâ conſecrari adductus ſum, & ipſi Eccleſiæ non alligarer, in Sacerdotium tantùm Domini, non etiam in locum Eccleſiæ dedicatus.* Sed hoc vix fiebat, ut quiſquam ordinaretur ſine titulo; pro Clericis non habebantur qui ordinati eſſent ſine titulo, & notæ causâ Acephali, id eſt ſine capite dicebantur, hujuſmodi Clericos velut monſtra horreſcebat Eccleſia. Concil. Moguntin. I. can. 22. *De Clericis vagis, ſeu de Acephalis, id eſt, de his qui ſunt ſine capite, neque in ſervitio Domini noſtri, neque ſub Epiſcopo, neque ſub Abbate, ſed ſine canonicâ vel regulari vitâ degentes, hos neque inter laïcos ſecularium officiorum ſtudia, neque inter Clericos religio tenet divina, &c.* Quòd paucioribus repetitur ex Conc. Pariſienſ. can. nulla 93. diſt. Hâc analogiâ quemdam Clericum Acephalum id eſt ſine titulo à ſe non diſceſſurum Lundenſi Arch. ſpondet Stephan. Tornacenſ. epiſt. 153. *Abſit ut Acephalus exeat à vobis, & tamquam ventis expoſitus ſine titulo Clericus, &c.* Ex quo inſtitutio ſeparata eſt ab ordinatione, & collatio Eccleſiarum fuit in merâ & liberâ poteſtate Epiſcoporum; unde natum eſt Beneficii nomen. Collatio Eccleſiarum ſeu Beneficiorum manſit etiam penès Epiſcopos. can. decretum. can. regenda. can. quæcumque. 10. qu. 1. can. omnes Baſilicæ. can. nullus. 16. qu. 7. can. quidam. 18. qu. 2. cap. ex frequentibus de inſtitut. Et collatio Beneficiorum pertinet ad electum poſt confirmationem, ante conſecrationem. cap. noſti. cap. qualiter. cap. tranſmiſſam, de elect. cap. cùm jam dudum. de præbend. quia electus per confirmationem aſſequitur ea quæ ſunt Juriſdictionis, quorum in cenſu eſt collatio beneficiorum. Gloſſ. in d. cap. transmiſſam, & in cap. aqua de conſecr. Eccleſ. vel altar. Etſi beneficium ſit liberum, collatio mera pertinet ad Epiſcopum, quæ dicitur propriè collatio; ſi verò beneficium ſit juris Patroni, inſtitutio dicitur pertinere ad Epiſcopum, ad præſentationem Patroni, & in hoc diſtinguitur inſtitutio à collatione. cap. ſi quando. de offic. delegat. cap. cum in illis. §. cùm autem. de præbend. in VI. In Eccleſiis ſeu Capellis unitis Monaſteriis, quoad temporalia, id eſt quoad decimas, oblationes, vel alias obventiones, præſentatio Preſbyteri pertinet ad Monachos, inſtitutio ad Epiſcopum. can. ſanè quia. 16. qu. 2. can. Capellani. 13. qu. 2. cap. 1. de Cappell. Monachor. cap. cùm & plantare. §. in Eccleſiis. de privileg.

vileg. cap. ſicut nobis. de ſuppl. neglig. Prælat. In Eccleſiis verò quæ pleno jure, id eſt quoad temporalia & ſpiritualia, quoad decimas & alios reditus, & quoad curam animarum pertinent ad Monachos, inſtitutio pertinet ad Monachos: cujus enim eſt poſſeſſio, id eſt res poſſeſſa, ejus eſt inſtitutio. can. viſis. 16. qu. 2. cap. cùm inter. de re judicat. & hoc jure uſi etiam Templarii. d. cap. cùm & plantare. §. in Eccleſiis. Joann. Saliſber. Policratic. libr. 7. cap. 22. *Mirabile eſt in oculis noſtris: Milites namque ſui favore Eccleſiarum diſpoſitionem vendicant, occupant perſonatus, & quodammodo ſanguinem Chriſti fidelibus miniſtrare præſumunt; quorum ferè profeſſio eſt humanum ſanguinem fundere.*

De jure collatio beneficiorum pertinet ad ſolum Epiſcopum, ſalvo jure patronatûs: ſed ex conſuetudine, vel privilegio eadem poteſt pertinere ad alios inferiores Epiſcopo; ut ad Capitulum, cap. cùm Eccleſia Uvlterana. de Elect. vel ad unum è Canonicis ratione ſuæ hebdomadæ; cap. mandatum. de præbend. in 6. vel ad Archidiaconum, quod obtinet in Archipreſbyteratu; can. ſi in plebibus. 63. diſt. de quo Arnulf. Lexov. epiſt. 37. vel ad Abbates vel Abbatiſſas, cap. cùm olim de præſcrip. cap. dilecta. de major. & obedient. cap. dilecta. de exceſſ. Prælat. vel ad Cardinales in ſuis titulis, quia in his habent jura Epiſcopalia; cap. his quæ. de major. & obedient. cap. dilectus. de Capell. Monachor. Malè ſibi ſuadet Jo. Andreas in cap. quamquàm. de Elect. in 6. collationem beneficiorum non propriè eſſe Juriſdictionis Epiſcopalis, quòd multi etiam non Epiſcopi beneficia conferant: quòd enim beneficia conferuntur ab inferioribus Epiſcopo, non eſt de jure, ſed ex privilegio, vel conſuetudine preſcriptâ; & licet de jure collatio beneficiorum ſpectet ad ſolum Epiſcopum, tamen Abbas vel inferior, eam longo tempore præſcribere poteſt adversùs Epiſcopum, quia eſt ſolùm Juriſdictionis Epiſcopalis; d. cap. cùm olim. Ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, ab inferioribus nullo tempore præſcribi poſſunt, cap. quantò de conſuetud. ſed ea quæ ſunt Juriſdictionis præſcribi nihil vetat, d. cap. cùm olim. Epiſcopus poteſt conferre beneficia etiam extra Diœceſim, quia collatio beneficiorum eſt Juriſdictionis voluntariæ; cap. poſt electionem. de conceſſ. præbend. Gloſſ. in cap. novit. de offic. Legat. Ea quæ ſunt voluntariæ Juriſdictionis, quocumque loco expediri poſſunt; ut adoptio, emancipatio, manumiſſio, L. 2. ff. de offic. Proconſ. L. emancipari de Adopt. Dubitatum eſt an idem juris eſſet in Vicario Epiſcopi: Baldus in d. L. 2. & Barbutias in d. cap. novit. cenſuerunt Vicarium Epiſcopi non poſſe conferre beneficia extra Diœceſim, quia Juriſdictio delegata non poteſt exerceri extra territorium delegantis; Bartol. in L. cunctos populos C. de ſumm. Trinit. quorum ſententiam juvat cap. ſtatutum de

præbend· in 6. in verb. per ſuos Vicarios generales, in eorum Diœceſibus exiſtentes. Tamen verius eſt etiam Vicarium Epiſcopi poſſe conferre beneficia extra Diœceſim, quia unum eſt tribunal Epiſcopi & Vicarii cap. referente de præbend. cap. non putamus de conſuetud. in 6. cap. Romanâ de appellat. eod. libr. Vicarius in collatione beneficiorum eodem jure utitur quo Ordinarius, quia una & eadem Eccleſia ſeu res non debet diverſo jure cenſeri, cap. cùm in tuâ de decim. cap. quia circa de privileg. & hæc eſt ſententia Boer. quæſt. 30. Covarruv. 3. variar, cap. 20. Rebuff. in prax. part. 1. in form. Vicariat. n. 227. Flamin. de reſignat. benefic. libr. 7. qu. 24. n. 32. Gloſſ. in Pragm. tit. de collat. §. & quia unſ. Vicario. Eadem ratione collatio beneficii quocumque tempore fieri poteſt, etiam die feriato vel de nocte, quia eſt voluntariæ Juriſdictionis L. 2. actus. C. de Feriis. Frideric. Senenſ. conſil. 11. Rebuff. de nominat. qu. 14. num. 27. & 31. Gomeſ. in regul. de infirm. qu. 38. Flamin. de Reſignat. benefic. libr. 12. qu. 8. num. 38. Navarr. Concil. 8. num. 1. Barboſa in cap. conſuluit de offic. delegat.

Collatori ordinario dantur ſex menſes ad conferendum: ceſſante Ordinario intra tempus collatio devolvitur ad ſuperiorem gradatim, & collatio facta ab Ordinario poſt jus devolutum ipſo jure nulla & irrita. cap. licet. cap. litteras. cap. ult. de ſupplend. neglig. Prælat. cap. nulla. cap. cum noſtris, de conceſſ. præbend. cap. cùm acceſſiſſent. de Conſtitut. Fevretius tamen qui rimulas ubique ſectatur, ut appellationi tamquam ab abuſu aditum inveniat, ab hujuſmodi collatione tamquam ab abuſu appellari poſſe voluit libr. 2. cap. 6. n. 11. Quod nimis abſurdum eſt, non unâ ratione: Primò, non licet appellare tamquam ab abuſu, vel quomodocumque, niſi à ſententiis Judicum; appellatio non admittitur niſi à Judice, & ab actu judiciali. L. ſcire oportet. ff. de excuſſ. tutor. Appellatio iniquitatis ſententiæ querelam continet. L. Præfecti. ff. de minorib. At collatio beneficii eſt quidem actus Juriſdictionis, non contentioſæ, ſed voluntariæ; eſt actus extra judicialis qui non recipit appellationem: nimirum eſt mera donatio. d. cap. ult. de ſuppl· neglig. Prælat. cap. poſtulaſtis. de conceſſ. præb. Secundò, à collatione facta jure devoluto ad Superiorem appellare haud neceſſe eſt, quia collatio beneficii facta poſt devolutionem, ipſo jure eſt nulla & irrita, tamquàm facta à non habente poteſtatem cap. ex frequentibus de inſtitut. Lapſu temporis collatio devolvitur ipſo jure ad Superiorem, devolutio fit ipſo jure, & transfert poteſtatem conferendi vel eligendi ad Superiorem cap. nè pro defectu de Elect. cap. quamquam. eod. tit. in 6. Rebuff. in prax. part. 1. tit. de devolut. n. 27. Molin. in regul. de infirm. reſignantib. num. 52.

Fruſtrà igitur deſideretur appellationis auxilium, maximè appellationis tamquam ab abuſu, quod eſt ſubſidiarium; nec datur niſi deficiente toto jure, cùm ratio nullitatis ſufficiat: Fruſtrà Pontifices tot vigiliis remedia juris excogitarunt, pro ritè ordinandis & componendis collationibus beneficiorum, ſi ea tamquam vacua & inania, indigent auxilio Prætoris: fruſtrà denique poſtulatur à Principe quod de jure communi obtineri poteſt. L. Imperatores. ff. de reb. auctor. judic. poſſidend.

Epiſcopus poteſt conferre beneficia per ſe, vel per Vicarium; quia collatio beneficiorum eſt Juriſdictionis, & quæ ſunt Juriſdictionis mandari poſſunt inferioribus Clericis cap. aqua. de conſecrat. Eccleſ. vel altar. Sed Vicarius Epiſcopi non confert beneficia, ſine ſpeciali mandato cap. final. de offic. Vicar. in 6. cap. dudum de præbend. eod. Quòd ſi Vicarius conferat beneficium incapaci vel indigno, quæſitum eſt an collatio devolvatur ſeu redeat ad Epiſcopum. Fevret. libr. 3. cap. 3. num. 18. exiſtimavit collationem devolvi ad Ordinarium, motus hac ratione, quòd Vicarius conferendo indigno vel incapaci, non poteſt privare Ordinarium jure propriæ collationis. Sed parum meretur de Epiſcopis, qui hoc loco aliena & indebita jura eis tribuit, non idoneum habitura auctorem, & paſſim propria eis eripit, variis technis & artibus: à Vicario enim ad Ordinarium devolutionem admitti, omninò à jure abhorret; quia unum eſt auditorium Ordinarii & Vicarii, à Vicario ad Epiſcopum non admittitur appellatio; ergo nec devolutio, nè ab eodem ad eundem admittatur devolutio, vel appellatio. d. cap. referente. d. cap. non putamus. d. cap. Romana. & ita placuit Garciæ de beneficiis. part. 5. cap. 8. Nec valet ratio quæ movet Fevretium quòd dolo Vicarii Ordinarius non poteſt privari jure collationis, quia Ordinarius ſibi imputare debet quòd non idoneum Vicarium, vel Procuratorem elegit, C. denique Suit. L. cum mandatu in fin. ff. de minoribus. L. fin. C. de acquir. poſſeſſ. Vicarius quidem poteſt revocari ad nutum, Clem. & ſi principalis de reſcrip. ſed ejus geſta ante notitiam revocationis rata erunt, propter fidem publicam. L. ſi fortè. ff. de offic. Præſid. Etſi Vicarius Epiſcopi antequàm revocaretur, beneficium contulerit indigno, vel incapaci, jus conferendi beneficii quaſi vacantis non devolvitur ad Ordinarium, ſed ad Summum Pontificem, qui ſolus confert beneficia vacantia per incapacitatem jure devoluto; Epiſcopus verò confert beneficia vacantia per mortem vel renunciationem.

Collatio beneficiorum pertinet ad Epiſcopum tàm de jure communi, quàm de conſuetudine generali. cap. cùm veniſſent de inſtitut. Sed poteſtas conferendi quæ datur Epiſcopis, non impedit præventionem Summi Pontificis, qui concurrit cum omnibus Ordinariis in collatione be-

neficiorum, & in concursu per præventionem confert quæcumque beneficia vacantia cap. si à sede. de præbend. in 6. quia est Ordinarius ordinariorum, can. cuncta per mundum. 9. qu. 3. cap. antiqua de privileg. Tamen jure novissimo, & secundùm decreta Senatûs Paris. concurrentibus in datâ provisione Apostolicâ & provisione Ordinarii, præfertur jus ordinarii collatoris. Constitutione D. Ludovici anni 1268. Ordinariis restituta est collatio libera beneficiorum, sublatis reservationibus Apostolicis beneficiorum nondùm vacantium quas gratias expectativas vocant. Hanc secuta est constitutio Caroli VI. anni 1418. edita occasione schismatis quo tum laborabat Ecclesia sciſſa in partes Benedicti & Joannis 24. Jo. Juvenal de Ursinis in ejus vit. ad ann. 1398. *Et fut conclud que l'Egliſe de France ſeroit reduite à ſes anciennes libertez, & franchiſes; c'eſt à ſçavoir, que les Ordinaires donneroient les Benefices eſtans en leurs collations, & que toutes graces expectatives & reſervations ceſſeroient, & que aux benefices on procederoit par voie d'élection, & en appartiendroit la collation aux Ordinaires, &c.* Sed constitutio regia brevi sublata propter abusus Ordinariorum, quòd pleraque beneficia conferrent proximis & vernaculis, contemptis viris benè meritis, non sine querela Universitatis Parisiensis. Idem Ursin. ad ann. 1399. *Pourceque par les Ordonnances Royaux, qui avoient eſté miſes ſur l'Egliſe de France avoit eſté remiſe en ſes libertez & franchiſes, & ordonné que les Ordinaires donneroient les Benefices; ils en diſpoſerent à leurs valets & ſerviteurs, & de ce ceux de l'Univerſité s'en plaignirent, & non ſans cauſe.* Et idem ad ann. 1414. *Et ce qui meut le Roy & ſon Conſeil à non uſer deſdites Ordonnances, ce fut pource qu'on diſoit communement que les Ordinaires uſoient tres-mal de la collation des Benefices, & les donnoient à leurs parens & ſerviteurs, ſans en faire proviſion aux Gens notables, Clers graduez ou Nobles.*

# CAPUT XV.

*Episcopalis Jurisdictionis est erectio Parochiarum. Justitiæ Ecclesiarum. Creatio dignitatum Ecclesiasticarum de novo est summi Pontificis.*

AD Episcopum pertinet novorum titulorum, seu Ecclesiarum Parochialium erectio. Nova Ecclesia seu Capella non potest substrui intra fines alterius, nè antiquiores Ecclesiæ propter novas suam justitiam amittant, id est decimas, oblationes & alia jura canonica can. quicumque. can. de decimis. 16. qu. 1. Justitiæ Ecclesiæ sunt decimæ, & oblationes quæ jure communi debentur Ecclesiæ Parochiali, vel quarta funeraria ut in cap. certificari. de sepulturis. Hac significatione justitias Ecclesiarum Aquitaniæ, à Vvaffario Duce armis vindicasse dicitur Pipinus. Annales Pithœani. ad ann. 760. *Tunc Pipinus Rex cernens Vvaffarium Ducem Aquitaniorum minimè consentire justitias Ecclesiarum, partibus quæ erant in Francia, consilium fecit cum Francis, ut iter ageret supradictas justicias quærendo in Aquitania.* Ita Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus Adeboldo petenti, ut sibi liceret oratorium ædificare, in finibus matricis Ecclesiæ, quæ sita erat in Rhemensi Diœcesi, in loco cui nomen Turris, petita concessit, salvo jure antiquæ loci ipsius Ecclesiæ, & Presbyteri ejusdem. Flodoard. lib. 3. Rhemens. Hist. cap. 20. Ecclesia nova potest exædificari in finibus alterius, causâ cognitâ justa de causa, putà excrescente multitudine plebis can. præcipimus. 16. qu. 1. Innocent III. lib. 2. epist. 6 vel ob distantiam locorum, vel difficultatem Parochianorum accedendi ad Ecclesiam, propter transitum obvii fluminis, maximè per hyemem. cap. ad audientiam. de Eccles. ædificand. Capitul. Carol. Calu. tit. 5. cap. 7. *Ut Episcopi Parochias Presbyterorum, propter inhonestum & periculosum lucrum non dividant. Sed si necessitas populi exegerit, ut plures fiant Ecclesiæ, aut statuantur altaria, cum ratione & auctoritate hoc faciant. Scilicet ut si longitudo, aut periculum aquæ vel sylvæ, aut alicujus certæ rationis, vel necessitatis causa poposcerit, ut populus & sexus infirmior, mulierum videlicet vel infantum, aut etiam debilium imbecillitas, ad Ecclesiam principalem non possit occurrere, & non est sic longè villa, ut Presbyter illic sine periculo ad tempus & congruè non possit venire, statuatur altare; & si ita populo complacet, & commodum fuerit, nè sine*

*ratione ſcandalizetur, Parochia maneat indiviſa. Sin autem præfatæ cauſæ poſtulaverint, & populus non conductus, nequè cupiditate vel invidiâ excitatus, ſed rationabiliter adclamaverit, ut Eccleſia illis fieri & Presbyter debeat ordinari, hoc Epiſcopi Epiſcopaliter teſte Deo, in conſcientiæ puritate, tum ratione & auctoritate, ſine intentione turpis lucri, maturè conſilio Canonico tractent, & utilitati ac ſaluti ſubjectæ plebis quæque agenda ſunt peragant, & ſecundùm quod ſubtaxerint cuilibet Presbytero de Parochia, de diſpenſa quoque debita ab illo minus accipiant, & alteri, qui quod dividitur à Parochia ſuſcipit, ſub hac eadem menſura imponant.*

Sola tamen excreſcentia populi non eſt idonea cauſa erigendi novam Eccleſiam; quod huic caſui conſulatur alio remedio, nimirum adjunctis Clericis, qui ſufficiant ad implendum munus: ſed gravior cauſa deſideratur, nempè diſtantia locorum, & difficultas Parrochianorum accedendi ad percipienda Sacramenta Eccleſiaſtica, & divina Officia audienda. Conc. Trident. ſeſſ. 21. de reform. cap. 4. Farinac. deriſ. 288. vol. 2. Parochio non ſunt præpagandæ quæſtûs cauſâ, puta ut procurationes & alia jura Epiſcopalia augeantur, vel ambitionis cauſâ, ut numerus ſubditorum accreſcat: quam ob cauſam de propagatione Parochiarum Epiſcopos ſuæ ætatis increpat Zozimus epiſt. 1. ad Iſichium. *Facit hoc nimia remiſſio conſacerdotum noſtrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hac turba aliquid ſibi dignitatis acquiri. Hinc paſſim numeroſa popularitas etiam his locis ubi ſolitudo eſt talium reperitur, dum Parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præſtare non poſſunt, divinos Ordines largiuntur*, can. ſi officia 59. diſt. Juſtis de cauſis nova Eccleſia poteſt ædificari in finibus alterius, deſertâ ejuſdem parte ſi ſit pinguior, & habeat unde alia Eccleſia dotari poſſit, ſalvo honore matricis; d. cap. ad audientiam. Sic Hieroſolymitanam ſedem in Patriarchalem erectam, ſalvo honore Metropolitani, is erat Cæſarienſis, patet ex Conc. Nicen. can. 7. can. quoniam. 65. diſt. In conſtructione novæ Eccleſiæ reſervatur competens honor matrici, puta annuus cenſus in argumentum ſubjectionis; cap præterea 2. de Tranſact. Hoc pacto Theodoricum Monaſterienſem Epiſc. Eccleſiam ſancti Pauli fundaſſe, & fratribus in ea inſtitutis dediſſe novem Eccleſias, quæ annuum cenſum ſolverent matrici, & Capitulo refert Albert. Krantz. Metropol. libr. 8. cap. 5. Matrici Eccleſiæ reſervatur & pars oblationum quæ à fidelibus offeruntur die dedicationis Eccleſiæ, vel alio die ſolemni; can. Eleutherius. 18. qu. 2. Ivo Carnotenſ. epiſt. 172. *Noverit ergo præſens ætas omniumque ſecutura poſteritas, quod Mauricius Bleſenſis Cœnobii Launomari Abbas, intra terminos cujuſdam Parochiæ ſuæ quæ dicitur, Ulcha Capellam quandam noſtrâ*

*auctoritate munitus cœpit ædificare, ad quam quidam Parochiani, qui remoti erant à matrice Ecclesia, suis temporibus debitas oblationes reddituri possent convenire.* Et in fine epist. *Unde eum à causa cecidisse intelligentes, Capellam quam Blesensibus ædificare concessimus de cætero confirmamus, & omnes oblationes Capellarum adjacentium Parochiæ quæ dicitur Ulcha, illibatas tenere sancimus.* Matrici servatur & in diebus solemnibus litæ vel processûs solemnis officium, quod est idoneum argumentum subjectionis cap auditis. de præscript. cap. Cùm inter. de re judicat. Anselm. Leodiens. de Gest. Leodiens. Pontif. cap. ult. *Cùm nedum in Episcopali Cathedra, sed etiam in rusticanâ qualibet Parochia, illud jus sibi mater Ecclesia defendat, ut in majoribus solemnitatibus filiarum suarum frequentiâ visitetur: quod si neglectum fuerit, judicio suorum Synodalium in sua Synodo vindicetur.* Matrici Ecclesiæ vel Rectori ejusdem servatur & jus præsentandi unà cum fundatore, in præmium dotationis quòd delibata sit de ejus sinu, & dotata de ejus censu; d. cap. ad audientiam. Ecclesia filialis dicitur, quæ de novo oritur, quasi ex utero matricis Ecclesiæ. Ex justa verò causa nova Ecclesia potest excitari in finibus alterius per Episcopum, etiam invito Rectore matricis Ecclesiæ, servatis solemnibus d. cap. ad audientiam, & Conc. Trident. loco laudato. Ecclesia simplex vel Capella potest erigi ab Episcopo in curatam sed solius summi Pontificis est Ecclesiam erigere in Collegiatam. De eis Rebuff. in prax. par. 1. Tit. de erectio. in curat. & Parochial. & seq. de erect. in Collegiat.

Creatio vero dignitatum Ecclesiasticarum de novo in Ecclesia pertinet ad summum Pontificem. can. 1. 22. dist. cap. cùm olim. de Consuetud. Idem dicendum de suppressione & extinctione dignitatum cap. cùm accessissent. cap. ex parte de Constitut. Innocent III. lib. 2. epist. 36. Marcus. qu. 383. tom. 1. Suppressio verò & extinctio præbendarum potest fieri ab Episcopo, non sine magnâ necessitate, puta ob tenuitatem, ubi præbendæ ita tenues sunt, ut non sufficiant sustentationi Canonicorum. Conc. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 15. quod sancitum est constitutione Aurelianensi Art. 23.

## CAPUT XVI.

*Episcopalis Jurisdictionis est unio beneficiorum. Unionis solemnia. Cur in unione non requiratur consensus plebis. Laudatur fides plebis.*

EPISCOPUS ex justis causis potest unire beneficia suæ Diœcesis non exempta cap. sicut unire. de Excess. Prælat. cap. exposuisti. de præbend. cap. consultationibus. cap. Pastoralis. de donat. Clem. si una. de reb. Eccles. non alienand. Cle. nè in agro. §. ad hæc de stat. Monach. quia unio beneficiorum, perinde at collatio est Jurisdictionis Episcopalis. Etiam reservata seu devoluta sedi Apostolicæ unire potest Episcopus, tamquam Apostolicæ sedis delegatus, nec devolutio impedit unionem, quæ sine præjudicio obtinentium, id est cujus effectus suspenditur ad mortem usque provisi Pontificii. Conc. Trident. sess. 21. de reform. cap. 5. Rebuff. in prax. part. 1. de unionib. num. 31. Episcopus potest unire beneficia, etiam Monasteriis vel aliis locis piis, etiam exemptis d. cap. consultationibus. d. cap. Pastoralis. d. Clem. si una. Ordinarius potest admittere resignationem ad effectum unionis, licet aliâ, non admittat resignationem in favorem, quia unio non fit in gratiam personarum, sed propter necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ Molin. in Reg. de publicand. num. 137. 138. Sede vacante Capitulum an potest unire beneficia spectantia ad collationem Episcopi, videretur posse, quia ea quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis transeunt in Capitulum sede vacante. cap. cum olim. de Majorit. & obedient. cap unic. eod. tit. in 6. tamen verius est non licere Capitulo unire, quia vacante sede nihil est innovandum; cap. unico, ne sede vacant. Rebuff. d. tit. de unionib. num. 36. Et unio est alienatio quædam quæ tollit Episcopo potestatem conferendi & jura Episcopalia, minuitque numerum subditorum nec valere potest sine consensu Episcopi.

Vicarius Generalis Episcopi non potest unire beneficia sine speciali mandato, etiam si ei data sit facultas conferendi cum clausula generali, & ad omnia alia etiam requirentia speciale mandatum, quæ non extenditur ad majora expressis cap. qui ad agendum, de procur. in 6. Rebuff. d. tit. de unionib. num. 37. & in form. Vicariat. num. 102. Inferior Episcopo, puta Abbas vel prior non potest unire beneficia, etiam si habeat potestatem

potestatem conferendi, nisi hoc specialiter ei competat ex privilegio Apostolico, vel præscriptione immemoriali. d.cap.sicut unire, & d. Clem. Nè in agro §. ad hæc. Rebuff. d. tit. de unionib. num. 32. & in forma Vicariat. num. 102.

Unio beneficiorum per Episcopum facienda est, causâ cognitâ, vocatis quorum interest, putà Capitulo Cathedralis Ecclesiæ; quia unio est alienatio quædam, quæ consensum Capituli desiderat. d. Clem. si una. Conc. Tridentin sess. 7. de reformat. cap. 6. Boer. qu. 345. idque etiamsi unio fiat ab Episcopo tanquam Apostolicæ sedis delegato; quia etiam hoc casu unio fieri debet secundùm formam juris. Conc. Trident. sess. 21. de reform. cap. 5. In unione faciendâ requiritur etiam consensus Patroni, sive Laïci, sive Ecclesiastici d. cap. Pastoralis. Conc. Trident. sess. 24. de reform. cap. 5. quia status Ecclesiæ non potest immutari sine consensu Patroni. cap. suggestum. de jure Patronat. cap. pervenit. de Censib. cap. dilecta de Excess. prælat. Can. Monasterium 16. qu. 7. Panormitan. in cap. Cùm accessissent de Constitut. Jo. Sarisber. epist. 126. *Non assentiente nedum reluctante fundatore, status Ecclesiæ mutari non potest, aut subjici servituti.* In unione faciendâ requiritur etiam consensus inferioris Collatoris d. Clem. nè in agro. §. ad hæc. Beneficia etiam Regii Patronatûs vel collationis non possunt uniri sine consensu Regis. Chopin. 2. Monastic. tit. 2. num. 21. Non requiritur tamen consensus Rectoris Ecclesiæ cùm & fraus non fiat, & unionis effectus in pendenti sit quoad vixerit d. Clem. si una. d. cap. consultationibus. Conc. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 5. 10. Gallus. qu. 134. Rebuff. in prax. part. 1. in Regul. de unionib. gloss. 11. num. 8.

Nec requiritur vocatio vel consensus plebis in unione facienda, quia Laïci nihil juris habent in rebus Ecclesiasticis, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. Can. benè quidem. 96. dist. & in his Episcopi judicium plebs sequi debet. Ignat. epist. ad Philadelph. τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ διακόνοις. *Episcopo attendite & Presbyterio & Diaconis.* Et idem epist. ad Trallian. ἀναγκαῖον ἐστιν, ὥσπερ ποιεῖτε καὶ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράσσειν ὑμᾶς, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ. *Necesse igitur est, quemadmodum facitis sine Episcopo nihil operari vos, sed subjici & Presbyterio.* Ariciam urbem solo æquavit Henricus V. quòd oppidani Ecclesiam S. Donati extra muros, nè sedes Episcopalis ibi haberetur distraxissent. Otto Frisingens. 7. chronic. cap. 14. Plebs tamen auditur, si habeat justam causam contradicendi; non contemnenda vox plebis, quæ plerumque zelo domûs Dei tenetur: ea est plebecula quæ sinceram & antiquam fidem tuetur. Ambros. in Psalm. 118. *Plerumque Cle-*

*rus erravit, Sacerdos mutavit sententiam, divites cum sæculi istius terreno Rege senserunt; populus fidem propriam reservavit.* Plebis Romanæ fidem. Similibus verbis commendat Hieronym. in procœmio libr. 2. in epist. ad Galat. *Usque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent, vel errorum; Romanæ plebis laudatur fides. Ubi alibi tanto studio & frequentiâ, ad Ecclesias & ad Martyrum sepulchra concurritur? Vbi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur?* Unio beneficiorum non debet fieri nisi ex causâ necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, putà propter tenuitatem, si duæ Ecclesiæ sint tenuiores, ita ut singulæ non sufficiant sustentationi proprii Presbyteri. cap. proposuisti. de præbend. d. Clem. nè in agro. §. ad hæc. Synod. Aquisgranensis. Can. 49. *Statuimus ut singulæ Basilicæ plebes & res quibus consistere possint habentes, singulos habeant Presbyteros; si vero plebes habuerint, & res quibus consistere possint ruerint, in arbitrio Episcoporum pendet, utrum ita consistere debeant aut possint, necnè, &c.* Vel ob viciniam Ecclesiarum; & decrementum populi. Can. & temporis. 16. qu. 1. Can. temporis. 7. qu. 1. puta si Ecclesiæ minùs quàm decem mancipia, id est, decem familias seu colonos habuerint Can. unio. 10. qu. 3. Vel ubi Ecclesia destructa est, vel desolata hostili vel Barbaricâ clade. Can. postquam. 16. qu. 1. Balsamo in Can. Synod. Constantinopolit. 1. Vel ob pœnam publici delicti, quando Ecclesia ob nefariam cædem Episcoporum amittit dignitatem, & prærogativam sedis Episcopalis, & Parochiæ vice adjungitur proximæ Diœcesi. can. ita nos Scyllacenorum. 25. qu. 2. Unionibus modum imposuit Concil. Tridentinum; Ex eo beneficia unius Diœcesis non possunt uniri beneficiis, Monasteriis vel aliis locis piis alterius Diœcesis, nè Ecclesiarum status confundatur, & una eademque Ecclesia duarum quodammodò Diœcesum fiat. sess. 14. de reformat. cap. 9. Beneficia curata non uniuntur Monasteriis, dignitatibus, præbendis, aliisve beneficiis simplicibus. ejusd. Concil. sess. 24. de reform. cap. 13. nè magis dignum uniatur minùs digno, contra Regulam juris: Magis dignum trahit ad se minùs dignum cap. per tuas de Arbitr. cap. quod in dubiis de consecrat. Eccles. vel alt. Beneficia libera non possunt uniri quibuscumque beneficiis etiam simplicibus juris Patronatûs, nè status beneficiorum confundatur sess. 25. ejusd. Conc. de reformat. cap. 9. & beneficia unius ordinis non possunt uniri beneficiis alterius ordinis. d. sess. 24. de reform. cap. 13. Uniones beneficiorum vetitæ Conc. Constantiensi cap. 43. sed lex valet in futurum, non in præteritum; nec enim audiuntur appellationes tamquam ab abusu ab unionibus factis ante Concil. Constantiense, ita judicatum audio in senatu Tolosano 16. Januar. ann. 1620. in causa appellationis tamquam

ab abusu interpositæ ab unione Parochialis Ecclesiæ Castrinovi de Vallibus apud Cadurcos, facta Monasterio Virginum de Pojeto, imò non provocatur tamquam ab abusu ab unionibus factis à 40. annis, antè Conc. Trident. ejusd. sess. 7. de reform. cap. 6. sess. 25. ord. cap. 9.

## CAPUT XVII.

### *Episcopalis Jurisdictionis an sit commendatio Ecclesiarum. Origo Commendarum. Earum usus damnatur.*

Ordinarius potest Ecclesias Parochiales ob evidentem necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ commendare, non ultrà sex menses. Can. qui plures. 21. qu. 1. cap. nemo deinceps. de Elect. in 6. Commendatio Ecclesiarum fit ab Episcopo ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ dumtaxat, d. cap. nemo. putà ut detur tempus ad eligendum idoneum Rectorem, & interim Ecclesia Pastore destituta damnum non patiatur. Qua propter commendatarius non facit fructus suos, quia est nudus minister & depositarius. Commendare nihil aliud est, quam deponere. L. Lucius. ff. depositi. L. commendare. de US. Hinc Episcopo licet tantùm beneficia commendare ad tempus sex mensium, quia hoc tempus satis idoneum visum est, ad deliberandum de eligendo idoneo Rectore, cùm Ordinario non longius detur tempus ad conferendum cap. nulla. de concess. præbend.

Commendatio Ecclesiarum originem cœpit ex necessitate Ecclesiæ; labente enim imperio Romano, Siciliâ & majori parte Italiæ à Sarracenis armis occupatâ, Ecclesiæ ut quæque destituebantur pastore, commendabantur vicinioribus Episcopis ut eas curarent; & qui constituebantur in hujusmodi Ecclesiis vacantibus, dicebantur *incardinari*, *id est*, imponebantur his Ecclesiis tamquam Cardinales Sacerdotes. can. relatio. can. illud quoque. 21. qu. 1. can. Pastoralis. 7. qu. 1. can. fraternitatem. 71. dist. Vel Episcopi sede suâ pulsi constituebantur in aliis Ecclesiis vacantibus Cardinales Sacerdotes, ut eas administrarent, donec eis pateret securus reditus ad suam Ecclesiam d. can. Pastoralis. Vel vacantibus Ecclesiis destinabatur Visitator, ut electionem faciendam promoveret, nè diutius Ecclesia vacaret can. obitum. can. Catinensis. 61. dist. can. constitutum. 7. qu. 1 can. ita nos. 25. qu. 2. cap. dilectas. de rescript. Commendarum usus antiquior est, quàm vulgò creditur; jam enim ab ætate Gregorii I. usu frequentatum id scimus ex variis epistolis ejusdem Pon-

tificis, è quibus desumpti sunt can. relatio & alii modò laudati. Sed ut pleraque optimè instituta, sequior usus depravat; cùm specie commendationis beneficiorum, licentia plura beneficia retinendi irreperet, Commendis modus impositus est constitutione Leonis IV. quâ edictum est, ut qui plures Ecclesias obtineret, unam in titulum, aliam sub commendatione obtineret. d. can. qui plures. Ante hæc tempora in Gallià clarioribus Abbatibus etiam aliæ Abbatiæ tradi solitæ procurationis, seu administrationis nomine beneficio Principis. Hilduino Abbati S. Dionysii à Ludovico Pio commendatæ sunt Abbatiæ S. Medardi Suessionensis, & S. Germani Parisiensis. Aymoin libr. 4. cap. 114. *Ipse autem venerabilis Abbas præfatus Hilduinus inter plurima quæ ei augustali benignitate commissa fuerant monasteria, habebat procurationem Cœnobii nobilis in prospectu urbis Suessorum, quod Clotharius quondam Rex Francorum, filiusque ejus Sigebertus, in honorem beatissimi Medardi Confessoris Christi, magnis construxerant sumptibus, in quo & ejus sacratissima tumulaverant membra. Simili modo prædictus Abbas post decessum Treninonis regebat locum Sancti Vincentii Levitæ & Martyris, in suburbano urbis Parrhisiacæ ubi pretiosus Christi Confessor Germanus requiescit, &c.*

*Anno 1175.* Godefrido Episcopo Asaphensi in Vvallia sedem suam relinquere compulso ob inopiam & infestationem Vvallensium, Abbatiam Abbendovicnsem fortè vacantem in custodiam tradidit Henricus II. Rex Anglorum, Roger. Hoveden. in ejus vit. ad ann. 1175. *Ipse enim Godefridus Episcopatum suum deseruit, paupertate & Vvallensium infestatione compulsus, venienque in Angliam à Christianissimo Rege Henrico benignè & honorificè susceptus est, cui & tradidit Abbatiam Abendoviæ vacantem in custodiâ, donec ad propriam sedem liberum haberet regressum.* In pejus ruente corruptelâ seculi, in Commendam cecidêre etiam ipsi Episcopatus in Germaniâ, uno in titulum, altero in Commendam retento. Primus pessimi exempli auctor in his partibus Giselerus Merseburgensis Episcopus, beneficio Othonis III. translatus in Magdeburgensem Metropolim, unà retento in Commendam Episcopatu; quod novum & insolens eâ ætate fuisse scribit Albert. Krantz. Metropolis. libr. 3. cap. 37. *Id verò ætas nostra jam desit pro frequentia mirari, quòd passim cernimus alteram alteri Ecclesiæ, in unâ personâ accedere, ut habeat alteram in titulum, alteram in Commendam, sed non potuere tum pro rei novitate placari homines.* Temporibus Gregorii VII. jam invaluerat usus Commendarum. Abbati S. Arnulphi Metensis, Abbatiam S. Remigii Rhemensis, in Commendam tradidit Gregorius VII. ob merita viri. Auctor est ipse libr. 1. epist. 52. ad Manassem Rhemensem Archiepiscopum: *Abbas S. Arnulfi Metensis nobis admodùm placet, etsi posset ferre*

*onus, ut utraſque Abbatias regeret, Metenſem ſcilicet & Rhemenſem, laudaſſem pro eo, quia vir religioſus & ſapiens eſt.* Indè ſequentibus ſeculis res penè in jus tranſiit, & ex diſpenſatione Pontificia factum ab Innocent. III. ut qui plures Parochiales Eccleſias obtineret, unam intitulatam, alteram commendatam haberet. cap. dudum. 2. in fin. de Elect. Eadem ætate Abbatias Epiſcopis traditas in Commendam à Legatis Sedis Apoſtolicæ, probavit ipſe Innocentius, quaſi re actâ ex ſpeciali ipſius mandato. Auctorem ipſum habemus regiſtr. 13. epiſt. 40. *Cùm dilectus filius B. titulo S. Suſannæ Preſbyter Cardinalis tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus Sebaſtienſi Epiſcopo, ſalvo mandato noſtro, cuſtodiam Monaſteriorum montis ſancti, quæ ad Sedem Apoſtolicam immediatè pertinere dicuntur, duxerit committendam, & ipſe illa multipliciter aggravarit, eaſque committat enormitates, quæ non ſunt dignæ relatu; fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipientes mandamus, quatenùs ipſum à cuſtodiâ Monaſteriorum ipſorum penitùs amoventes, ipſa monaſteria alicui perſonæ diſcretæ autoritate veſtra uſque ad adventum Legati noſtri committatis.* Rerum potitus Clemens V. Commendas ſeculares regularium beneficiorum ad vitam vel ad tempus damnavit, extravag. 2. de præbend. Sed res effectu caruit, non ſine lugenda clade Eccleſiæ: de quo Chopin. 1. Monaſtic. tit. 1. cap. 14.

Inferior Epiſcopo non poteſt commendare beneficia, licèt habeat poteſtatem conferendi; quippe inferior non habet poteſtatem conferendi, niſi ex privilegio, vel conſuetudine, quia eſt contra jus commune, nec poteſt extendi ad Commendas. Gloſſ. & dd. in d. cap. nemo. Imò etiam Epiſcopis ademptum jus commendandi Eccleſias Parochiales ad tempus, ex quo Conc. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 18. cognitâ vacatione Eccleſiarum Parochialium jubentur eis præponere idoneum Vicarium, cum congruâ penſitatione ſuper fructibus aſſignandâ, donec de Rectore ei provideatur. Solus verò Summus Pontifex poteſt beneficia commendare in perpetuum can. unum Abbatem. 21. qu. 1. De jure Commenda non eſt Canonicus titulus, quia eſt nudum depoſitum, & cuſtodia Eccleſiæ vacantis ad tempus. d. cap. nemo; nec inducit incompatibilitatem. d. cap. dudum. Sed ex quo Commenda deſiit in perpetuum, pro vero & canonico titulo habetur: unde hodiè inducit incompatibilitatem. Conc. Trident. Seſſ. 7. de reformat. cap. 4. Et beneficium commendatum poteſt permutari cum intitulato. cap. final. de reb. permutat. vel reſignari etiam in favorem. Flamin. Pariſ. de reſignat. benefic. libr. 2. qu. 17. num. 9. Et Commenda beneficii habentis curam animarum requirit ætatem 25. annorum, & promotionem ad ordinem Preſbyteratûs intra annum à tempore collationis, juxta cap. licet. canon. de Elect. in 6. Et Commendatarius habens dignitatem poteſt mandare

executioni reſcripta Apoſtolica, ſicut titularis, juxta cap. ſtatutum. de reſcript. in 6. Garcias de benefic. part. 4. cap. 4. num. 48. Chaſſan. in Conſuet. Burgund. in Rubr. *des ſucceſſ. des Baſtards.* §. 3. num. 88. Gonzal. in regul. 8. Cancellar. Gloſſ. 5. §. 8. num. 10. Interim verò Commenda beneficiorum regularium non mutat ſtatum regularem, quia eſt nudum depoſitum & temporaria permutatio quæ ſtatum Eccleſiæ non innovat. ſicut temporaria permutatio jus Provinciæ non innovat. L. nemo de R. & diviſio Provinciarum non mutat ſtatum Eccleſiarum ex Conſtitut. Innocentii I. ad Alexandrum. & ex Conc. Chalced. can. 12. can. lege. 10. diſt. can. pervenit. 101. diſt.

## CAPUT XVIII.

*Epiſcopalis Juriſdictionis eſt luſtratio Diœceſis. Viſitatio præcipuum officium Epiſcopi. Viſitanti Epiſcopo debetur procuratio. Viſitatio non admittit cognitionem niſi ſummariam.*

EPISCOPUS tenetur quotannis viſitare Eccleſias ſuæ Diœceſis non exemptas. can. decrevimus. can. Epiſcopum. can. placuit 10. qu. 1. cap. conquerente. de offic. Ordinar. Viſitatio enim eſt Juriſdictionis Epiſcopalis cap. cum venerabilis. de cenſib. ubi Pontifex ponit hanc regulam: Epiſcopus ratione Epiſcopalis Juriſdictionis, tenetur causâ correctionis Eccleſias viſitare. Hoc jus manaſſe ab antiquâ conſuetudine fertur in d. can. decrevimus; nempè à conſuetudine quæ initium ſumpſit à Chriſto & Apoſtolis. Chriſtus qui eſt typus Antiſtitum, circuibat Civitates & Caſtella Judeæ & Samariæ. Luc. 10. Quem in locum Gregor. Nazianzen. orat. 31. Chriſtus, inquit, locum ſubinde commutat ἵνα τόπους ἁγιάσῃ πλείονας *ut plura loca ſanctificet.* Magiſtri exemplo Petrus circuibat civitates & vicos, ut confirmaret fideles; Act. Apoſt. 9. & 32. Inde Epiſcopi divinis & Apoſtolicis regulis imbuti, toti fuêre in viſitationis officio. De Baſilio Cæſarienſi Epiſcopo Socrat. libr. 4. cap. 21. περιὼν γὰρ ἡμῶν τὰς πόλεις τὰς ῥαθυμούντας πρὸς τὴν πίστιν ἐρρώννυε. *Urbes quippe perluſtrans languentes in fide confirmavit.* De Martino Turonenſi Epiſcopo Sulpit. Sever. epiſt. 1. ad Euſebium Preſbyterum. *Cùm ad Diœceſim quandam pro ſolemni conſuetudine, ſicut Epiſcopis viſitare Eccleſias ſuas moris eſt, mediâ ferè hieme Martinus veniſſet, , manſionem ei in ſecretario Eccleſiæ, Clerici paraverunt.* De eodem quanta paſſus à militibus in viſitatione ei occurrentibus narrat idem Sulpitius dialog. 2.

de ejus virtutibus : *Consequenti itidem tempore iter facientes cum eodem Diœceses visitante agebamus, &c.* de quo & Paulin. ejusdem vitæ auctor libr. 4.

*Lustrabat caulas commissi Pastor ovilis*
*Queis pia rurestrem claudebat Ecclesia plebem,*
*Ne furum fortasse doli, rabiesve luporum*
*Incautas pecudes raperent Pastore remoto, &c.*

De Basso Episcopo Theodoret. de vit. Patr. cap. 26. καὶ πείθει τὸν θαυμάσιον βάσσον, ὃς τηνικάυτα. Πολλας περιώδευε κώμας τοῖς τῆς παροικίας ἱερεῦσιν ἐπισκοπῶν. *Suadet itaque admirando Basso, qui tunc temporis multos vicos circumibat, Vicaris præsidens Sacerdotibus.* De se ipso Augustin. epist. 17. in appendice : *Sed quoniam visitandarum Ecclesiarum, ad meam pertinentium curam, necessitate profectus sum, nec per me ipse debitum continuè reddere potui.* De se ipso etiam Sidonius Arvernensis Episcopus libr. 4. epist. 13. *Nuper rogatu Germanici spectabilis viri Cantillensem Ecclesiam inspexi.* De Pappolo Lingonensi Episcopo Gregor. Turonens. libr. 5. cap. 5. *Anno octavo Episcopatûs sui, dum Diœceses, ac Villas & Ecclesias circuiret, quâdam nocte dormienti apparuit illi Beatus Tetricus vultu minaci.* De Trojano Santonensi Episcopo idem Turonensis de glor. confess. cap. 59. *Hic fertur dum esset in corpore, si novum ut adsolet, Amphibolum induisset, cum quo processurus Diœcesim circumiret :* De Malachiâ Hibernensi Episcopo. S. Bernard. in ejus vit. *Errat autem penè incessanter circumiens Parochias omnes, Evangelio & serviens & de Evangelio vivens, sicut constituit ei Dominus.*

Visitatio est præcipuum munus Episcopatûs ; ejus enim scopus est, ut quæ pertinent ad curam animarum, & administrationem Sacramentorum, ad cultum & ornatum & refectionem Ecclesiarum, correctionem Clericorum, & hac de causâ inquisitionem de vitâ & moribus eorum, instructionem plebis & consignationem seu Confirmationem fidelium observentur. d. can. Episcopum. d. can. placuit. can. relatum. can. illud. 10. qu. 3. Conc. Trident. sess. 7. de reformat. cap. 8. sess. 21. ejusd. cap. 8. sess. 24. ejusd. cap. 3. Unde Episcopi nomen Græcè nihil aliud sonat quàm inspector, visitator Suidas ἐπίσκοποι ἐπὸ πᾶι κατάσκοποι. M. Tull. 7. ad Attic. 18. *Vult enim me Pompeius esse, quem tota hæc Campania & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus & summa negotii referatur.* Episcopus potest visitare Ecclesias exemptas, tamquam Apostolicæ Sedis delegatus. Concil. Trident. sess. 21. de reformat. cap. 8. Quia Episcopus visitat Ecclesias, maximè correctionis causâ, in visitatione non potest cognoscere judicialiter de vitâ & moribus Clericorum, sed summariè intra modum correctionis, non potest punire de-

licta Clericorum pœnâ ordinariâ, sed mitiori quæ correctionis modum non excedat; ut censuit sacra congregatio ad Concil. Trident. sess. 6. de reformat. cap. 4. & sess. 24. ejusd. cap. 10. Barbosa de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 73. num. 30. 43. Episcopo visitationis nomine debetur procuratio à singulis Ecclesiis d. cap. conquerente. cap. cùm Apostolus cap. cùm olim. §. Venerabilis. de Censib. Synod. Suessionens. *Quando jure Canonico Episcopus circumit Parochiam ad confirmandum populum, Abbates vel Presbyteri parati sint ad suscipiendum Episcopum in adjutorium necessitatis.* Visitationi procuratio est annexa Matth. Vvestmonaster. ad ann. 1227. *Fustachius London. Episcopus petit ab Abbate Guillelmo, & Conventu Vvestmonasterii processionem, procurationem, visitationem, & omnimodam jurisdictionem, propter quæ ad Papam fuit appellatum.* Procuratio est curatio corporis seu refectio quæ præbetur Episcopo, visitationis causâ accedenti ad Ecclesiam. Vox nota scriptoribus melioris ævi, quibus procurare nihil aliud est, quàm corpus curare seu reficere cibo. L. Accius apud Marcrob. libr. 1. cap. 7.

*Exercent epulis læti, famulosque procurant*
*Quisque suos.*

Et Virgil. 9. Æneid.

*Quod superest, læti benè gestis corpora rebus*
*Procurate viri.*

Eadem analogiâ Auctor Sermon. ad fratres in Erem. Serm. 36. dixit *commatres procurare.* Inde procuratio etiam pro annona quæ debetur privatis ab Episcopo, vel Abbate. Robert. Montens. in Supplem. Sigebert. ad ann. 1180. *Septies viginti procurationes quas Burgenses ex consuetudine habere solebant ex donis Abbatum, penitùs delevit.* Et procurator est qui habet curam præbendi annonas, in vit. D. Bernard. libr. 2. cap. 3. de Energumeno. *Et stridebat dentibus & mordebat Procuratorem suum;* quem paulò ante bajulum, *de bajuli sui brachiis ruit.* Episcopus debet visitare Ecclesias Diœcesis semel quolibet anno, vel etiam potest iterum visitare ex justâ causâ, & duplam procurationem exigere d. cap. cùm venerabilis. Episcopus universam Diœcesim debet visitare singulis annis; vel si major sit, intra biennium: Conc. Trident. sess. 24. de reform. cap. 3. Procuratio ratione visitationis non debetur Episcopo, nisi personaliter fungenti officio visitationis cap. procurationes. de Censib. Conc. 3. Valentin. Galliæ can. 22. *Ut de servitio Presbyterorum erga Episcopos suos, consuetudo valdè reprehensibilis amputetur; ut scilicet quoties Episcopus statuto tempore visitationem & prædicationem per eosdem Sacerdotes & populos non exercet, nequaquam ab eis pro solito servitio pecunias exigat.* Procuratio visitationis nomine præstanda est in edulibus seu victualibus,

bus, non nummo; cap. Romana. §. procurationes, de Cenſib. in 6. niſi à volentibus, cap. fœlicis; eod. tit. vel ubi alia eſt conſuetudo regionis, nimirum ut pecunia ſolvatur: Conc. Trident. d. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 3. A viſitatione Epiſcopi, ut ea omnia delibemus quæ ſpectant ad viſitationem quoad Juriſdictionem, non licet appellare quod fiat correctionis causâ, id eſt, non datur appellatio ſuſpenſiva, ſed devolutiva quæ devolvit tantùm cauſam ad Superiorem, non ſuſpendit executionem eorum quæ decreta ſunt: Conc. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 10. Imò à viſitatione Epiſcopi, etſi viſitationis officium impleat tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, appellatio devolvitur ad Metropolitanum; quia Epiſcopus etſi agat tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, jure ordinario utitur, nec poteſt declinare Juriſdictionem Metropolitani, uti cenſuit ſacra Congregatio ad d. cap. 10. ſeſſ. 24. de quo Barboſa de offic. & poteſt. Epiſcopi part. 3. allegat. 73. num. 32. & 35.

## CAPUT XIX.

### *Legis Diœceſanæ eſt Synodus, id eſt, convocatio Synodi. Synodaticum & Cathedraticum. Modus Synodatici. Notatur Fevretius.*

AD eam partem Juriſdictionis Epiſcopalis quæ venit appellatione legis Diœceſanæ, pertinet & Synodus ſeu convocatio Synodi; cap. conquerente, de offic. ordinar. cap. quod ſuper his, de major. & obed. Epiſcopus habet jus convocandi Synodum quotannis, adhibitis Abbatibus & Preſbyteris; d. cap. quod ſuper his. can. Epiſcopus. can. annis ſingulis. can. decernimus 18. diſt. Hæc fuit conſuetudo Carnotenſis Eccleſiæ, ut annuatim congregaretur Synodus Diœceſana, quam uſu & memoriâ concelebravit Ivo Carnotenſis Epiſcopus, epiſt. 61. *Præter hoc ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ noſtræ Synodum 7. Kal. Novembr. celebrare debemus, in quâ de negotiis Eccleſiaſticis, & pace totius Patriæ multa nobis tractanda ſunt, quæ ſine præſentiâ noſtrâ vel non tractarentur, vel tractata non terminarentur.*

Nec ſemel, ſed iterum in anno vocari Synodum Epiſcopalem antiqui juris fuit, nempè unam pro Preſbyteris, alteram pro Abbatibus; Concil. Antiſſiodor. can. 7. *Ut medio Maio omnes Preſbyteri ad Synodum in civitatem veniant, & Kalendis Novembris omnes Abbates ad Concilium conveniant.* Gandavenſium ſingulare privilegium fuit, nè Epiſcopus

Synodum celebraret, nisi quoque triennio, idque per se, non per Vicarium; Jacob. Meyer. libr. 7. ann. Belgicor. ad ann. 1191. Etiam Abbates coguntur venire ad Synodum Episcopalem, d. cap. quod super his : Hæc fuit consuetudo Galliæ; Synod. Aurelian. I. can. 19. *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant, qui semel in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, acceptâ vocatione conveniant*; can. Abbates, 18. qu. 2. Etiam ad alios Conventus solemnes, puta ad Translationem Reliquiarum, Abbates ab Episcopo vocari familiare fuit : ad Translationem Reliquiarum B. Benigni Martyris Divionensis convenêre Abbates, vocante Gregorio Lingonensi Episcopo : Gregor. Tur. de Miracul. libr. 1. cap. 51. *Sed sanctum Sepulchrum, nescio quâ causâ faciente, foris evenit : quod ille intùs transferre cupiens convocavit ad hoc opus & obsequium Abbates, atque alios religiosos viros, &c.* Ad Translationem Reliquiarum Desiderati Presbyteri, etiam vocatos Abbates ab Agricola Cabillonensi Episcopo, testis idem Turonens. de glor. Confessor. cap. 86. *Post hæc ædificato xenodochio leprosorum Sacerdos suburbano, in ejus Basilicam conlectis Abbatibus & omni Clero, beatum Corpus transtulit, & in Basilicâ superiùs memoratâ summo studio sepelivit.* Et quod can. Episcopus. 18. dist. ex Conc. Turonensi ait Abbates non esse cogendos venire ad Synodum, nisi rationabilis causa adfuerit; cautiùs intelligendum est, non esse sc. gravandos Abbates iterum in anno venire ad Synodum, si fortè extra ordinem convocetur, nisi rationabilis causa adsit, puta translationis Reliquiarum, vel consecrationis Ecclesiæ, vel alia similis. Quam enim Glossographi confingunt de Abbatibus qui habebant Parochiales Ecclesias annexas suis Monasteriis, non convenit istis temporibus; vix enim Monachi tum habebant decimas, vel Ecclesias Parochiales, quæ eis seriùs concessæ sunt ex donatione Episcoporum; sed tum Abbates erant in potestate Episcoporum, & semel in anno tenebantur venire ad Synodum pro humilitate religionis, id est, in argumentum subjectionis & obedientiæ, ex d. can. Abbates. qui depromptus est ex Conc. Aurelianensi I. Sanè Abbates etiam exemptos ad Synodum adesse juris fuit; ex quo habuêre Ecclesias Parochiales & decimas, quia harum nomine tenentur respondere Episcopo de spiritualibus, id est, de curâ animarum, can. sanè quia. 16. qu. 2. Londinensi Episcopo mandavit Joannes Archiepiscopus Cantuariensis, ut Abbates exemptos qui vocati defuissent Concilio Provinciali, ratione non exemptarum Ecclesiarum quas in usu proprio obtinebant, coërceret captis pignoribus, id est, Ecclesiis sequestrè depositis; Matth. Vvestmon. ad ann. 1281. Annuatim conveniebant Presbyteri ad Litanias seu Rogationes, & ad Synodum, etsi sine causâ deessent, multabantur arbitrio Episcopi; Conc. Aurelianens.

I. can. 28. *Ut Clerici qui ad Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini venire contempserint, arbitrio Episcopi coërceantur.* Et utroque in Conventu vocati reddebant rationem Episcopo de cura animarum & administratione Sacramentorum: Conc. Tolet. IV. can. 25. *Cùm verò ad Litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrent, vel baptizent*; can. quando. 38. dist. Soluto Concilio Provinciali; in quaque Diœcesi Episcopus debet celebrare Synodum Diœcesanam, & in eâ Abbatibus, Presbyteris, & plebi nota facere quæ decreta sunt in Concilio Provinciali; Conc. Tolet. XVI. can. 6. can. decernimus 18. dist. In eadem Synodo Episcopus post congruam allocutionem, id est, orationem habitam ad Synodum, septem aut plures honestiores viros è plebe eligere debet, quos Sacramento adigat, ut denuncient ea quæ emendatione & correctione egeant; can. Episcopus in Synodo. 35. qu. 1. Etiam in Concilio Provinciali ex Concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. eliguntur viri probi qui observent ea quæ perpetrari eveniet contra decreta Synodi, & ea referant ad Metropolitanum in proximo Concilio, & quæ statuta fuerint in eodem, publicentur in Episcopalibus Synodis annuatim per singulas Diœceses celebrandis; cap. sicut olim de accusat. Inquisitores hujusmodi testes Synodales vocat cap. præterea, de testib. cogend. quòd non haberent Jurisdictionem, sed solam inquisitionem, & nudum testimonium, d. cap. sicut olim. In Synodo Episcopali agitabantur causæ majores, quæ dicuntur Synodales, d. can. Episcopus in Synodo; puta causæ matrimoniales, seu de nuptiis vetitis inter consanguineos & affines. Hoc jure Presbytero Ecclesiæ S. Othmari apud Helvetios Synodica, id est, Episcopalia jura tributa, præter causas dissolvendi matrimonii: Ekkeard. Junior de casib. monast. S. Galli cap. 14. *Undè ut antiquitus loci nostri mos statutus erat, publicus populo nostro etiam Presbyter positus est, ut in Ecclesiâ S. Othmari, omnibus qui inter Goldahan & Sintrianum fluvios degunt, Synodica quæque præter disjunctiones conjugum pro Episcopo faceret.* Ibidem ventilabatur cognitio de juribus Ecclesiarum, puta de jure processionis, vel cujuslibet obsequii Ecclesiæ filialis erga matricem; Anselm. Leodiens. de gest. Leodiens. Pontific. cap. ult. *Cùm nedum in Episcopali cathedrâ, sed etiam in rusticanâ qualibet Parochiâ, illud jus sibi mater Ecclesia defendat, ut in majoribus solemnitatibus filiarum suarum frequentiâ visitetur, & honoretur: quòd si neglectum fuerit, judicio suorum Synodalium in suâ Synodo vindicetur.* De usurpatione rerum Ecclesiarum sollicitiùs etiam quærebatur in Synodis Episcopalibus: Ivo Carnotens. epist. 172. *Ad quod responderunt Blesenses monachi se ab illis Parochianis omnia Parochialia accepisse, & illam partem oblationum quam sibi Vindocinenses monachi usurpaverant, violen-*

*tiâ Lancelini Balgenciacensis occupasse; nec tamen eas ipsis viginti annis in quibus confidebant, absque Synodali reclamatione tenuisse.* Etiam de pace patriæ, id est, pagi vel Diœcesis in Synodis Episcopalibus tractari moris fuisse jam observare licuit ex Ivone epist. 61. de Synodo celebranda, *in quâ*, inquit, *de negotiis Ecclesiasticis, & de pace totius patriæ multa nobis tractanda sunt* : quod velim intelligas tantùm de infractione treugæ vel pacis, quæ erat cognitionis Ecclesiasticæ; cap. unic. de treug. & pac. can. illi. 24. qu. 3. de quo opportuniùs alio loco. In Synodo etiam Episcopus potest Statuta condere, vim legis habitura intra Diœcesim, can. 1. in fin. de consecr. dist. 5. cap. 2. de majorit. & obedient. cap. ut animarum, de constitut. in 6.

A Clericis verò convenientibus ad Synodum obsequii & reverentiæ in argumentum Episcopo præstatur modicus census, qui vario nomine appellatur: Vel Synodaticum, d. cap. conquerente. d. cap. quod super his. cap. olim. de censib. Vel Synodus, Fulbert. epist. 57. ad Lexovien. Episc. *Presbyteri Canonicorum nostrorum ex Ecclesiis quas habent in Episcopatu vestro venerunt ad nos, dicentes, quòd vos interdixistis eis ministerium suum, ideò quòd de ipsis Ecclesiis non ferunt vobis Synodum.* Synodus Caletensis habita anno 1080. apud Ordericum Vitalem libr. 5. *Et qui Synodum & Circadam statutis terminis non reddiderit similiter* : Vel cathedraticum, quòd pensitetur pro honore cathedræ Episcopalis, can. placuit. can. inter cætera. can. ult. 10. qu. 3. Arnold. Lubecens. libr. 3. cap. 21. *Episcopus verò ex his quæ de cathedratico, vel Ecclesiarum consecrationibus consequi poterat, sustentabatur* : Vel Paschalis præstatio, quòd solvatur in Synodo quæ convocatur post Pascha, cap. 15. de Simon. in 1. collect. His contenti Episcopi non possunt exigere eulogias seu benedictiones, id est annonas & munuscula à Clericis venientibus ad Synodum, nè minùs libenter occurrant ad Synodum, ex constit. Leonis IV. can. de Eulogiis. 18. dist. Conc. Meldens. can. 45. *Decet Presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare & venerari suos Episcopos.* Licet verò Abbates teneantur adesse ad Synodum, solvuntur onere synodatici seu cathedratici, quia vocantur ad Synodum dumtaxat obsequii & reverentiæ ergò, sed quoad alia soluti sunt à lege Diœcesanâ, d. can. inter cætera. can. cùm pro utilitate. 16. qu. 1.

Fevret. libr. 3. cap. 3. num. 23. astruit moribus Galliæ cathedraticum seu synodaticum non licere exigi à Clericis, nisi Episcopus sit tenuior censu, vel nitatur præscriptione longioris temporis; etsi exigatur appellari tamquam ab abusu. Sententiæ suæ auctores laudat Chopin. libr. 2. de sacr. polit. tit. 7. num. 2. & Boer. quæst. 134. Sed utrumque minùs sincerè, & non ex fide: Chopinus enim non negat cathedraticum esse

jus Canonicum, si modò intra modum exigatur, qui est duorum solidorum. d. can. placuit d. can. inter cætera & d. can. ult. 10. qu. 3. Sed refert à Nivernensi Episcopo ad Senatum appellatum tamquam ab abusu, ob exactionem æris 25. assium Cathedratici nomine : Non quærebatur de jure Cathedratici sed de modo ; appellationi enim locus esse poterat à modo Cathedratici, licet de jure ejusdem nulla esset quæstio : imò quod callidiùs dissimulat Fevretius, rem nequaquam judicatam sed missam in Concilium, & in pendenti relictam subjungit Chopinus, nè jura Episcopalia hactenùs inconcussa levi de causa corruerent. Nec Boërius loco laudato prorsus tractat de Cathedratico, sed de charitativo subsidio, quod non imponitur nisi ex causa necessitatis, & de extraordinariis quæ moribus nostris non exiguntur à vassallis Ecclesiæ ; quod nihil commune habet cum Cathedratico, seu Synodatico quod est jus ordinarium, quod debetur Episcopo pro honore Cathedræ, seu prosumptu Synodi. Nec Synodaticum præscriptione amitti potest, cùm sit annexum Synodo adversùs quam præscribi non potest, & idem sit argumentum subjectionis & reverentiæ Episcopalis, adversùs quam à Clericis nullo tempore præscribi potest. cap. cum non liceat de præscript. Nec alio jure censendum sit Synodaticum, quàm procuratio quæ est visitationi annexa, adversùs quam nullo tempore præscribitur cap. accedentes eod. tit.

## CAPUT XX.

### *Episcopi proprium munus est docere. Electio prædicatorum an ad alios spectet quàm ad Episcopum. Notatur Fevretius.*

Apostolis à Christo tradita est potestas docendi : *Euntes docete omnes gentes.* Matth. ult. Has vices Apostolicas agnovit Angelus ad Cornelium missus, cùm ejus preces & eleemosynas Deo acceptas ipsi significavit, docendi verò munus sibi non assumpsit, sed ei Petrum indicavit ad quem iret ab eo instituendus in fide, Act. 10. quæ est meditatio S. Chrysostomi de diverf. Utriusq. testam. loc. Sermon. de Christo

Pastore & ove. Idem Tertullian. in Scorpiac. cap. 12. *Quis nunc medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi Schola, quos & sibi discipulos Dominus adoptavit, omnia utique edocendos, & nobis magistros ordinavit, omnia utique docturos.* Inde Episcopis tamquam Apostolorum successoribus proprium munus est docendi verbum Dei: Synod. 6. in Trull. can. 19. Cæsaraugustan. can. 7. Hæc duo sunt Pontificis opera, ut aut à Deo discat legendo & meditando, aut populum doceat can. ult. 38. dist. qui est Origenis in Levitic. falsò adscriptus Hieronymo à Gratiano. Quapropter Episcopus à rei familiaris cura abstinere jubetur, ut melioribus studiis, id est lectioni, orationi, & Verbi Dei prædicationi, omnem det operam: Conc. Carthag. 4. can. 20. can. Episcopus 88. dist. Eo nomine etiam edicto Galieni quo remissa est persecutio, Episcopus verbi Dei præses agnoscitur τοῖς τοῦ λόγου προεστῶσι, apud Euseb. libr. 7. cap. 11. Idem auctori Constit. Apostolicar. lib. 2. cap. 22. λόγου διάκονος, γνώσεω φύλαξ, μεσίτης θέου, καὶ ἡμῶν. Minister verbi, scientiæ custos, mediator Dei & hominum. Idemque depositarius verbi Dei: Cyrill. Hierosolymit. Catechef. 15. Λόγον διδασκαλικὸν ἐπιστεύθης, οἰκονόμησον καλῶς. *Verbum doctrinæ creditum habes, dispensa rectè.* Omnia studia in prædicationem verbi Dei sese vertisse fatetur Augustin. epist. 15. ad Hieronym. *Et si quid in hac re habeo facultatis utcumque impendo populo Dei; vacare autem studiis diligentiùs, quàm quæ populi audiunt instruendi, propter Ecclesiasticas occupationes omninò non possum.*

Prædicandi munus ita proprium est Episcopi, ut nemini sive Clerico sive Monacho, liceat prædicare sine licentia Episcopi, can. adjicimus 16. qu. 1. cap. inter cætera. de offic. ordinar. Clem. dudum. §. in Ecclesiis de sepultur. Conc. Trident. sess. 5. de reformat. cap. 2. sess. 24. ejusd. cap 4. juxta illud Apostoli: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Imò in Ecclesiâ Alexandrinâ solus Episcopus jus habuit prædicandi, ex quo Arrius Presbyter Alexandrinus dicendi potestate abusus, in perniciem Ecclesiæ, inde nefariæ hæresis virus sparsit per totum ferè orbem: Socrat. libr. 5. cap. 21. Sozomen. libr. 7. cap. 19. Presbyteris in aliis Ecclesiis præsente Episcopo sermonis copiâ molestè interdictum tulit Hieronym. epist. ad Nepotianum: *Pessimæ consuetudinis est, in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui quasi aut invideant, aut non dignentur audire*, can. sta subjectus. 96. dist. Mitiùs cum Presbyteris actum est in plerisque Ecclesiis; eis patet docendi commercium, non sine Episcopi licentia, & prædicans sine consensu Episcopi, excommunicationis vinculo tenetur, cap. excommunicamus. §. quia vero. de Hæretic. Nec audiendum quod crudiùs profert Fevret. libr. 3. cap. 4. num. 21. Episcopo non licere sine abusu repellere prædicatorem electum à Pa-

rocho, vel matriculariis seu ipsa plebe ; Episcopus enim habet liberam potestatem eligendi Prædicatores, tamquam coadjutores & cooperatores in Prædicationis officio, d. cap. inter cætera : quod Constitut. regiâ Melodunensi art. 6. sancitum est. Unus casus excipitur, si Parochus vel alii nitantur titulo, vel consuetudine præscriptâ quæ habet vim tituli. Et reverà Reipublicæ Christianæ maximè interest, prædicatorum electionem liberam esse penès Episcopum, ut tollantur Hæreses & Schismata, quæ per pravos & corruptos Prædicatores passim sparguntur ; Episcopi est probare fidem, scientiam, & animum Prædicatorum, quàm multi enim ad Prædicationis opus se accingunt, quæstûs vel inanis gloriæ studio, magis quàm verbi Dei : Augustin. in illud Psalmi 11. *Eloquia Domini eloquia casta. Casta dicit sine corruptione simulationis ; multi enim prædicant veritatem non castè, quia vendunt illam pretio commoditatum hujus sæculi.* Solus Episcopus etiam potest concedere facultatem Confessiones audiendi, & absoluendi d. cap. inter cætera ; Idem de jure baptizandi : Tertull. de Baptismo. cap. 17. *Dandi quidem habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi ; non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est, alioquin etiam Laïcis jus est.* Hieronym. ad Luciferianos : *Inde venit ut sine Chrismate & Episcopi jussione neque Presbyter neque Diaconus jus habeant Baptizandi ; quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere Laïcis.* Quia licet Presbyter habeat potestatem Ordinis, non habet executionem ordinis sine consensu Episcopi, id est licet in ordinatione acceperit potestatem audiendi Confessiones & absolvendi, non potest eam in executionem deducere, sine speciali auctoritate Episcopi.

## CAPUT XXI.

*Episcopi est institutio & emendatio Sacrorum Rituum. An Episcopo liceat admittere Breviarium Romanum, non expectato consensu Metropolitani & Principis. Reprehenditur Fevretius.*

AD Jurisdictionem Episcopi spectat institutio, & emendatio Rituum Sacrorum, can. pronuntiandum de consecr. dist. 3. In his spectandum est unum judicium Episcopi. Varietate rituum circa jejunium Sabbathi matre turbatâ, de his unum Ambrosium consuluit Augustinus, ejusque judicium mater lubens amplexa est: testis ipse Augustin. epist. 118. *Mater mea Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam Sabbatho non jejunantem, cœperat perturbari, & fluctuare quid ageret. Tunc ego consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium: at ille ait mihi, Cùm Romam venio, jejuno Sabbatho; cum hic sum non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cùm matri renunciassem, libenter amplexa est* Hoc jure Ignatius Antiochenus Episcopus, Psalmodiam primus instituit in sua Ecclesia; unde in alias omnes transiit Ecclesias, Socrat. libr. 6. cap. 8. Ἰγνάτιος ἀντιοχείας τῆς Συρίας, ἕκτος ἀπὸ τοῦ ἀποστόλου πέτρου ἐπίσκοπος, ὀπτασίαν εἶδεν ἀγγέλων, δι' ἧς τὴν ἀντιφώνων ὕμνων, τὸν ἀγγέλων ἐπαδομένων. καὶ τὸν τρόπον τοῦ σχήματος, τῇ ἐν ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίᾳ παρέδωκεν. ὅθεν καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις αὕτη ἡ ᾠδὴ ἔδοξε. *Ignatius Antiochiæ quæ est in Syria tertius à Petro Apostolo Episcopus, visionem vidit Angelorum sanctam Trinitatem hymnis alternâ vice decantatis collaudantium, & formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit unde illa traditio in omnibus Ecclesiis recepta est.* Et hoc est quod intelligit Euseb. libr. 10. cap. 3. καὶ θεωρεῖται ἐκκλησίας θεσμοὶ ὧδέ μὴ ψαλμῳδίας καὶ ταῖς λοιπαῖς τῶν θεόθεν ἡμῖν παραδοθεισῶν φωνῶν ἀκροάσεσιν. *Decori Ecclesiæ ritus interdum Psalmorum cantu, & cæteris Hymnorum divinitùs nobis traditorum recitationibus.* Eodem marte Hilarius Pictavienſis Episcopus primus Hymnos in Ecclesia canendos composuit; eum imitatus est Ambrosius ex Sigebert. ad ann. 391. *Ambrosius post Hilarium Pictavienſem Hymnos in Ecclesia canendos primus composuit.* Solennem

lennem etiam ritum canendi Antiphonas seu responsoria in Ecclesia primus è Latinis Ambrosius petiit à Græcis apud quos hic ritus jam à cunabulis Ecclesiæ receptus erat auctore Ignatio Antiocheno : Sigebert. ad ann. 387. *Ambrosius Episcopus ritum canendi Antiphonas in Ecclesia primus apud Latinos transtulit à Græcis, apud quos hic ritus jam inoleverat ex instituto Ignatii Antiocheni Episcopi, &c.* Solennem quoque ritum concinendi Hymnos & Psalmos ex ritu Orientalium Ecclesiarum lubens assumpsit idem Ambrosius : Testis Augustin. Confess. libr. 9. cap. 6. & 7. *Quantùm flevi in Hymnis & canticis tuis suavè sonantis Ecclesiæ vocibus commotus acriter. Non longè cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis, & exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Tunc Hymni & Psalmi ut canerentur secundùm morem Orientalium partium, nè populus mœroris tædio contabesceret institutum est, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac penè omnibus gregibus tuis & per cætera orbis imitantibus.* In Gallia fœlici exemplo litas seu Rogationes ante Ascensionem instituit Mamercus Viennensis Episcopus : Sidon. libr. 5. epist. 14. ad Aprum : *In Vrbem tamen, ni fallimur, Rogationum contemplatione revocabere, quarum vobis solemnitatem priùs Mamercus pater & Pontifex, reverentissimo exemplo, utilissimo experimento invenit, instituit, invexit.* Et idem libr. 7. epist. 1. ad ipsum Mamercum. *Solo tamen invectarum te auctore Rogationum palpamur auxilio.* Has vix inventas à Mamerco, avidè susceperе cæteri Galliarum Episcopi ; de Arvernis Sidon. in eadem Epistola ad Mamercum : *Quibus inchoandis instituendisque populus Arvernus etsi non effectu pari, affectu certè non impari cœpit initiari, &c.* De universis Ecclesiis Galliarum Gregor. Turonens. libr. 2. cap. 34. *Cumque hæc agerentur, adpropinquante Ascensione majestatis Dominicæ indixit populis jejunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus quoque exinde terroribus per cunctas Provincias dispersa facti fama, cunctos sacerdotes imitari commonuit ; quod sacerdos fecit ex fide : que usque nunc in Christi nomine, per omnes Ecclesias in compunctione cordis, & contritione spiritûs celebrantur.* Concil. Aurelianens. 1. can. 29. *Rogationes, id est Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, &c.* Exinde eundem solennem ritum Rogationum arripuere universi ferè orbis Ecclesiæ : Avitus Viennensis Homil. de Rogationib. *Currit quidem tramite vitali, non per Gallias tantummodò, sed penè per orbem totum, Rogationalis observantiæ flumen irriguum, & infectam vitiis terram, uberi fluxu annuæ satisfactionis expurgat.* Exemplo Mamerci alias Rogationes in quadragesima instituit & Gallus Arvernensis Episcopus, de quo Gregor. Tur. libr. 4. cap. 5. *Rogationes illas instituit, ut mediâ quadragesimâ psallendo*

*ad Basilicam sancti Juliani Martyris itinere pedestri venirent.* Hæc omnia suis in Ecclesiis constituêre tot sanctissimi Episcopi sine querela & invidia Primatum, vel sedis Apostolicæ, cum laude, & pia æmulatione cæterarum omnium Ecclesiarum.

Haud pridem tamen in foro agitatum est an Episcopo liceret, non dicam novos ritus instituere, sed Rituale primum seu Breviarium Romanum admittere non expectato consensu Metropolitani, & Principis; & in causa Andegavensis Episcopi solemni Parisiensis Senatûs decreto pronuntiatum in absentem & indefensum abusûs teneri Episcopum, qui propriâ auctoritate Breviarium Romanum admisisset. Quod valdè placet Fevretio libr. 3. cap. 3. num. 12. qui hac in re desiderari auctoritatem Metropolitani tentatur hoc argumento; quòd in ritu psallendi divina officia, suffraganeæ Ecclesiæ debent sequi consuetudinem Metropolitanæ; can. de his. can. placuit. 11. dist. can. altaria de consecr. dist. 1. can. institutio. ead. dist. 2. ex quo colligit in sacris ritibus quicquam institui vel novari non licere, absque consensu Metropolitani. Sed nihil vetant hi Canones, quominùs Episcopus suo jure possit & debeat admittere ritus & consuetudines Ecclesiæ Romanæ, haud quæsito consensu Metropolitani; quod enim dicitur sequendam esse consuetudinem Ecclesiæ Metropolitanæ, ita intelligendum est, ubi Ecclesiæ suffraganeæ non habent propriam consuetudinem, nec tollit Episcopo libertatem sequendi consuetudines Ecclesiæ Romanæ; Ecclesia quippe Romana est mater omnium Ecclesiarum, à cujus regulis nullatenùs licet deviare, can. non decet. can. præcepta. 11. dist. Nec consuetudines Ecclesiæ Metropolitanæ sequendæ, si fortè repugnent moribus Ecclesiæ Romanæ: Et ita Innocent. III. in cap. tuas dudum. de sponsa duorum rescripsit Mutinensi Episcopo Ecclesiam Mutinensem humiliter tenere & servare debere, quod Beati Petri sedem & suam Metropolim sequi viderit & docere, in contrahendis matrimoniis, nè turpior sit pars quæ suo non congruit universo. Aliarum Ecclesiarum consuetudines non dedignatus est Ambrosius, sed maximè Romanæ Ecclesiæ consuetudines coluit: Testis ipse de Sacrament. libr. 3 cap. 1. *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam; sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, & nos rectè custodimus.* Consuetudines Romanæ Ecclesiæ instituit Malachias Episcopus in universa Hybernia: auctor est Bernardus in ejus vita: *Sed & Apostolicas sanctiones, ac decreta sanctorum patrum præcipuèque consuetudines sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in cunctis Ecclesiis statuebat.* A Leone IX. depositum Hunibertum Diaconum Luitpoldi Archiepiscopi Moguntini, quòd Archiepiscopo coram se Missas celebrante Lectionem non Romano more

poſt monitionem contumaciter decantaſſet, nec reſtitutum à Pontifice, nè turbaretur ſolemne ſacrificium miſſæ refert Abbas Uſpergens. in chronic. ad ann. 1053. Sed quid, an fas erit Epiſcopis, divinis in officiis Romanæ Eccleſiæ ritum admittere inconſulto Principe? Abſit ut Eccleſia impugnet poteſtatem principis, quam perpetuis votis, & precibus defendit: Abſit ut Epiſcopi ullatenus detrahant Regiæ majeſtati, pro qua tuendâ ſanguinem & animam deſpondere parati ſunt. At ſalvâ majeſtate Principis liceat Eccleſiæ dicere, Epiſcopis in his quæ ſunt ſui muneris & officii non eſſe facilè objiciendum nomen Principis ad invidiam, nè magiſtratibus detur occaſio, ſacra Pontificum munia conturbandi. Vetus eſt non injuſta hac de re querela Eccleſiæ; S. Ambroſ. de Baſilicis in Auxentium: *Semper nè de Cæſare ſervulis Dei invidia commovetur, & hoc ad calumniam ſibi arceſſit impietas, ut imperiale nomen obtendat.* Epiſcopis haud invidioſum Romanos ritus ſuſcipere inconſulto principe, jam tutis præjudicio Pipini & Caroli M. aliorumve noſtrorum principum. Cantum ab Eccleſia Romana, in uſum Monachorum petiit Pipinus, quo diſcrepantiam cantûs Gallicani tolleret: Auctor eſt Carolus M. Capitular. libr. 1. cap. 80. *Monachi ut cantum Romanum pleniter, & ordinabiliter per nocturnale, vel gradale officium peragant ſecundùm quod beatæ memoriæ genitor noſter Pipinus Rex decertavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem Apoſtolicæ ſedis, & ſanctæ Dei Eccleſiæ pacificam concordiam.* Paternæ pietatis æmulus ipſe Carolus Cantum Romanum etiam petiit in uſum Eccleſiarum Galliæ, & ab Adriano I. Pontifice Cantores accepit, qui noſtros Cantum docerent, & ſingulis Eccleſiis magiſtros ſcholæ impoſuit: Ademar. in ejus vita: *Mox petiit Domnus Rex Carolus ab Adriano Papa Cantores, qui Franciam corrigerent de Cantu; At ille dedit ei Theodorum, & Benedictum Romanæ Eccleſiæ doctiſſimos Cantores, quia Sancto Gregorio eruditi fuerant, tribuitque Antiphonarios Sancti Gregorii quos ipſe notaverat notâ Romanâ. Domnus verò Rex Carolus revertens in Franciam, miſit unum Cantorem in Metis civitate, alium in Sueſſionis, præcipiens de omnibus civitatibus Franciæ, magiſtros ſcholæ Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis diſcere cantare &c.* Item Sigebert. ad ann. 774. *Carolus Rex offenſus diſſonantiâ Eccleſiaſtici Cantus inter Romanos & Gallos, & judicans juſtius eſſe de puro fonte, quàm de turbato rivo bibere, duos Clericos Romam miſit, ut authenticum Cantum à Romanis diſcerent & Gallos docerent; & primò per hos Metenſis Eccleſia, & per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus revocata eſt.* In quo peccat igitur Epiſcopus qui dictorum principum exemplo regitur, qui Pipini & Caroli M.

præcepta exequitur, & cum his congrua sanctissimi Concilii decreta, quæ novum jus non continent, sed antiquum ritum Gallicanum instaurant? Episcopus est executor Canonum, quidnam est quod imputetur Episcopo, cùm fungitur officio suo? In rebus sacris nihil innovandum esse fateor inconsulto Principe, novitas quæque suspecta est: sed nihil novi affert, qui dumtaxat sequitur Ritus Romanæ Ecclesiæ, quæ est parens & magistra omnium Ecclesiarum; nihil novum comminiscitur, sed antiqua & meliora restituit, Ecclesiæ rugas & maculas tollit, qui se & suam Ecclesiam Romanæ conciliat, sublatâ difformitate Rituum. Invidiam facti amolitur, quòd à Regibus nostris semel admissum est Breviarium Romanum, idque primùm in Galliâ editum, authoritate Christianissimi Principis Henrici III. Nec rei gestæ autoritas evacuatur, quòd arte Jesuitarum id factum esse calumniati sunt adversarii Andegavensis Episcopi: penè sacrilegium est disputare de judicio Principis, L. disputare C. de crimin. sacrileg. & fraudis suspicio abest secutis variis editionibus, quæ pariter autoritate Regiâ non carent, & in manibus omnium palàm & publicè versantur.

## CAPUT XXII.

### *In quibus dispensandi potestatem habeat Episcopus. Dispensandi ratio.*

AD Jurisdictionem Episcopalem pertinet & dispensatio, seu dispensandi potestas; nimirum Episcopus potest contra Canones dispensare *in casibus expressis* à jure, cap. dilectus de tempor. ordinar. puta in irregularitate contracta ex adulterio, vel alio simili delicto. cap. etsi Clerici. §. de adulteriis & ibi Glossa de judic. Idem potest dispensare cum Hæreticis vel Apostatis à fide, ut promoveri queant ad Ordines, vel in Ordinibus ministrare, si metu vel periculo facti à fide defecerint, & postea sponte reluctati sint; can. Presbyteros. 50. dist. Idem potest dispensare in irregularitate contracta ex alieno delicto, putà cum his qui per simoniam promoti sunt ad Ordines vel ad beneficia, vitio parentum, can. ult. 1. qu. 5. Gloss. in d. cap. etsi Clerici. Episcopus potest dispensare in irregularitate ex delictis occultis; Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 6. Episcopus potest dispensare in irregularitate ex defectu natalium, quoad minores Ordines, & beneficia simplicia, cap. 1. de fil. Presbyter. in 6. Episcopus potest dispensare in irregularitate, ex

defectu ætatis, quoad dignitates & personatus non habentes curam animarum, & beneficia simplicia; cap. unic. de æt. & qualit. præfic. in 6. Idem potest dispensare in irregularitate ex defectu corporis, si levius sit vitium, cap. cum tua. cap. significavit, de corpor. vitiat. Episcopus conferens Ordines, potest dispensare de interstitiis; Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 11. Sed an requiratur specialis dispensatio, dubitatum est, quia Ordinarius non intelligitur dispensare, nisi id fiat expressis verbis, cap. 2. de schismatic. Gloss. & Hostiens. in cap. litteras, de concess. præbend. Rebuff. in prax. part. 2. tit. de dispensat. num. 15. 16. 17. Aliter tamen judicatum in Senatu Tolosano in prima Camera inquestarum relatore D. Turleo 9. Julii ann. 1642. in causâ Mag. Petri Calmetz adversùs M. Malbertum, Episcopum ita de interstitiis dispensare posse, ut res non egeat speciali dispensatione, quòd conferendo dispensare videatur; Episcopus enim est arbiter & interpres beneficii sui, cap. Ordinarii de offic. ordinar. in 6. Episcopus potest dispensare ex legitimâ causâ, cum promotis per saltum, si non ministraverint; Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 14. Episcopus potest dispensare in contrahendo matrimonio inter raptorem & raptam, post peractam pœnitentiam, can. si autem. 36. qu. 2. Idem potest dispensare in solemnibus bannis seu denunciationibus conjugii; Conc. Trident. sess. 24. cap. 1. Nec abs jure videtur Concilium Episcopis reliquisse potestatem dispensandi in nuptialibus bannis; quia hujusmodi banna ex consuetudine Gallicanâ, id est, ex instituto Episcopali transierunt in jus, cap. cùm in tuâ, de sponsalib. cap. cùm inhibitio, de clandestin. desponsat. Nec alienum Episcopis licere dispensare in his quæ sunt juris Episcopalis, inspecto initio: sed in Galliâ Episcopus non potest dispensare his duobus postremis casibus, obstantibus Constitutionibus regiis, & quoad banna nuptialia non potest dispensare nisi de duobus posterioribus edito priori, idque ex legitimâ causâ. Aliis Episcopus potest dispensare in casibus non prohibitis, d. cap. dilectus: & in cunctis casibus in quibus Pontifex sibi dispensandi potestatem non reservavit, cap. nuper à vobis, de sentent. excommunic. & ibi Glossa. Et hæc fuit sententia Tancredi & Laurentii Gloss. in d. cap. etsi Clerici. Verùm Episcopus non potest dispensare contra jus sine causâ necessitatis, can. fraternitatis. 34. dist. Goffrid. Vindocinens. opuscul. 5. ad Callixt. 2. *Dispensationes aliquandò in Ecclesiâ faciendæ sunt, non quidem amore pecuniæ, vel quolibet humano favore, sed piâ & misericordi intentione. Tunc enim à Pastore Ecclesiæ dispensatio piè, & misericorditer fieri creditur, cùm aliquid minùs perfectè ad tempus fit ab illo, vel fieri permittitur, non voluntate suâ, sed aliorum necessitate, nè in ipsis videlicet fides Christiana periclitetur.* Et dispensatio facienda est propter merita personarum

& causarum; Arnulf. Lexov. epist. 26. *Planè sunt quædam quibus ut fiant consensum adhibere non licet, quæ tamen si facta sunt, dissimulare necesse est, quia non possunt habere remedium, vel si quid recompensationis habent, discretâ mansuetudine dispensare.* Et paulò post: *Tunc enim in potestate judicis est mollire sententiam, & mitiùs judicare quàm leges, cùm rerum vel personarum merita postulant, aut instantia necessitatis extorquet.* Ubi autem dispensatio fit sine causâ, non dispensatio, sed dissipatio dici debet: Bernard. de consider. ad Eugen. libr. 3. *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas dico communis, non propria: nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est:* quod reppetit Hostiens. in cap. nisi cùm pridem, de renunciat. Etiam justa est causa dispensandi propter iniquitatem temporum, quæ districtiorem disciplinam ferre non potest, d. can. fraternitatis; & hac de causâ dispensare solent Pontifices; Joannes 8. epist. 34. *Moderatio quippè Sedis Apostolicæ, & universalis Ecclesiæ dispositio, in hoc periculoso tempore, penè cuncta dispensatorie moderanda compellit.* Ecclesia agit per dispensationem καὶ οἰκονομίαν pro tempore, ut in Synesio actum esse observat Nicephor. Callist. libr. 14. cap. 55.

## CAPUT XXIII.

### *Alienatio rerum Ecclesiæ non sine consensu Episcopi. An in ea desideretur consensus Principis. Alienationis causæ.*

SICUT alienatio bonorum Minoris subjacet Jurisdictioni Prætoriæ, nec fit sine decreto Prætoris, L. 1. ff. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt. L. 2. §. si tutores. ff. de offic. ejus cui mandata est Jurisdict. ita & alienatio rerum Ecclesiæ pendet ex Jurisdictione Episcopali, nec enim res Ecclesiæ possunt alienari, sine consensu & autoritate Episcopi. Auth. hoc jus porrectum. C. de SS. Eccles. cap. dudum de reb. Eccles. non alienand. in 6. & hoc acceptissimum fuit juri Gallicano. Conc. Agathens. can. 56. *In venditionibus quas Abbates facere præsumunt, hæc forma servetur, ut quidquid sine Episcopi licentiâ venditum fuerit, ad potestatem Episcopi revocetur.* Et Concil. Aurelianens. III. can. 23. *Abbatibus, Presbyteris, cæterisque ministris de rebus Ecclesiasticis vel sacro ministerio alienare vel obligare, absque permissu & subscriptione Episcopi sui nihil liceat.* Quos Canones intexuit Gratianus in can. Abbatibus 12. qu. 2. & in can. in venditionibus. 17. qu. 4. In alienatione rerum Ecclesiasticarum, præter

conſenſum Epiſcopi, requiritur etiam conſenſus capituli; cap. 1. cap. ea noſcitur. cap. tua nuper, de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſ. capitul. capitul. d. auth. hoc jus porrectum. & d. cap. dudum, nec non conſenſus Patroni, ſi Eccleſia de cujus rebus alienandis agitur, ſit juris patronatûs; can. conſtitutum. 16. qu. 1. can. filiis, ead. cauſ. qu. 7. Eoque nomine haud dubiè in alienatione rerum Eccleſiaſticarum requirebatur conſenſus Principis tamquam patroni & defenſoris Eccleſiarum. Capitulare Caroli Calui in Synodo Sueſſionenſi II. editum cap. 12. *Nè commutationes rerum vel mancipiorum quilibet Prælatus earumdem rerum Eccleſiaſticarum ſine licentiâ & conſenſu noſtro facere præſumat.* Quod lubens admiſit ipſa Synodus can. ult. *Poſtremò quod à quibuſdam conſervabatur, prætextum eſt generaliter ab omnibus cuſtodiendum, nè ullæ res Eccleſiaſticæ abſque Regis conniventiâ commutentur.* Hoc jus ex conſuetudine natum, ut plerque alia, non ignobile rei argumentum quòd Domnolum Cenomanenſem Epiſcopum monaſterio à ſe condito in ſuburbio civitatis ſuæ, res Eccleſiæ ſuæ dotis causâ teſtamento, id eſt, inſtrumento donaſſe non ſine conſenſu Chilperici Regis, memoratur in ejus vita apud Surium 16. Maii. tom. 3. *Extruxit autem monaſterium in ſuburbio civitatis ſuæ, in ejus verò conſecratione de rebus Eccleſiæ ſuæ, multa teſtamento ei legavit atque confirmavit; permittente & favente Chilperico Francorum Rege, ejuſque Principibus, multis etiam id ei ſuggerentibus Epiſcopis, imprimis Sancto Germano, Clero quoque, populoque ut id faceret adhortante.* Res etiam Eccleſiæ non poſſunt alienari niſi causâ cognitâ, ex causâ neceſſitatis & utilitatis. L. 14. jubemus. C. de Sacroſ. Eccl. Valet autem rerum Eccleſiaſticarum alienatio quatuor in caſibus à jure permiſſis. Primus eſt, cauſa neceſſitatis Eccleſiæ, ut ſi debitum urgeat ab ipſa Eccleſia contractum; authent. ſancimus. C. de Sacroſ. Eccleſ. C. hoc jus. 10. quæſt. 11. Secundus eſt cauſa pietatis, Gloſſ. in c. 1. 12. quæſt. 2. veluti pro alimonia pauperum, nè fame & frigore pereant: d. L. ſancimus. cap. Aurum habet Eccleſia. 12. quæſt. 2. vel pro redemptione captivorum, §. ſacra inſtitut. de rerum diviſ. Tertius eſt cauſa incommoditatis, ut quando res eſt Eccleſiæ incommoda, cap. terrulas, 12. quæſt. 2. Quartus eſt cauſa utilitatis, ut ſi res eſſet inutilis, tunc Prælatus eam alienare poteſt, ut res melior habeatur; C. ſine exceptione 11. quæſt. 2. C. non liceat. 12. quæſt. 2. d. cap. terrulas. Clement. 1. de rebus Eccleſ. non alien.

# DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA TUENDA ADVERSUS INSULTUS

Auctoris tractatûs de Abuſu, & aliorum.

## LIBER TERTIUS.

## CAPUT PRIMUM.

*Juriſdictio correctiva Epiſcoporum. In quibus verſetur. Modus hujuſmodi Juriſdictionis.*

EPISCOPALIS Juriſdictio alia eſt voluntaria, quæ redditur inter volentes quocumque loco & tempore, citra tribunal, de quâ fuſiùs actum eſt proximo libro: alia eſt contentioſa, quæ diſceptatur pro tribunali causâ cognitâ: tertium genus eſt Juriſdictio correctiva, quæ explicatur diſciplinæ ſeu correctionis causâ, de plano extra tribunal, ſine ſolemnibus judiciorum, de quâ ſermonem prælibare placet, ut ab eo faciliùs ad ea quæ ſunt Juriſdictionis contentioſæ progrediamur. Quædam ſunt perſonæ quibus datur jus correctionis ſeu emendationis in ſubditos, in levioribus delictis, quæ atrocitatem facti non continent, puta dominis in ſervos; L. unic. C. de emendat. ſervor. parentibus in liberos, ſenioribus propinquis in juniores; L. aut facta §. ff. de pœn. L. unic. C. de emendat. propinquor. & Magiſtris in diſcipulos, ita ut modum

dum non excedant; L. sed etsi quemcumque §. ult. cum L. seq. ff. ad L. Aquil. L. item quæritur §. item Julianus ff. locat. & hæc à parente vel magistro non pœnæ, sed disciplinæ causâ infertur; Arnob. in psalm. 146. *Sicut qui litteras docent, timorem discentibus, & terrorem inducunt, non utique necessarium magistris, sed valde discipulis profuturum.* Augustin. de verb. Domini. sermon. 15. *Nec damus aliter filiis disciplinam nisi aliquantum irascendo, & indignando, nec tamen daremus disciplinam nisi amando.* Isidor. Pelusiot. libr. 2. epist. 239. καὶ πατὴρ υἱῷ, καὶ διδάσκαλος φοιτητῇ ὀργίζεται ἐκ δικαίου, καὶ οὐκ ἂν τις φαίη ὀργὴν εἶναι τοῦτο, ἀλλὰ φιλοσοφίαν καὶ κηδεμονίαν. *Et pater filio, & magister discipulo ignaviâ desidi irascitur, nec quisquam iracundiam hanc esse dixerit, verùm Philosophiam, ac curam & sollicitudinem.* Et hoc genere correptionis plerumque utitur Dominus erga homines. Hieronym. in cap. 1. Esaiæ: *Idcircò Dominum percutere delinquentes, ut percussos corrigat, & non tam pœna sit quàm emendatio.* Et in hanc sententiam Jo. Chrysostom. in Act. Apostol. Homil. 15. ἐκείνη μὲν θλῖψις κόλασις, αὕτη παιδεία καὶ διόρθωσις: *Illa tribulatio, pœna; hæc disciplina & correptio.* παιδείαν Græci, quam nostri disciplinam vocant, ut in psalm. 49. σὺ δὲ ἐμίσησας παιδείαν. *Tu verò odisti disciplinam.* Et ibi Chrysostom. παιδείαν ἐνταῦθα φησὶ τὴν τοῦ νόμου διδασκαλίαν, τὴν ψυχὴν ῥιθμίζουσαν, τὴν κακίαν ἀπελαύνουσαν. *Disciplinam hîc dicit legis doctrinam, quæ animam componit, vitium expellit.* Etiam minoribus Magistratibus, putà Magistratibus municipalibus non denegatur modica castigatio; L. Magistratibus. ff. de Jurisdict. L. item apud Labeonem, §. unde querel. ff. de injur. quia Jurisdictio nulla est sine modicâ coërcitione; L. ult. de offic. ejus cui mand. est Jurisdict. Etiam Centurionibus licuit milites castigare vite feriendo, quæ fuit insigne Centurionis; L. milites. §. incurrens. ff. de re militar. Plin. libr. 14. cap. 1. *Quid quòd insertæ castris, summam rerum, imperiumque contineat, Centurionum in manu vitis, & opimo præmio tardos Ordines ad lentas perducit Aquilas, atque etiam in devictis pœnam ipsam honorat.* Et Tacit. 1. Annal. *Centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum cedo alterum indiderant, quia fractâ vite intergo militis alteram clarâ voce, ac rursùs aliam poscebat.*

Episcopus qui Domini & patris & magistri vices fungitur, habet quoque jus corrigendi & reformandi Clericos universæ Diœcesis; cap. 1. cap. quantò. cap. licet in corrigendis. cap. irrefragabil. de offic. Ordinar. Synod. Vernens. can. 3. *Ut unusquisque Episcoporum habeat potestatem in suâ Parochiâ tàm de Clero, quàm de regularibus, vel secularibus ad corrigendum & emendandum secundùm ordinem canonicum spiritalem, ut sic vivant qualiter Deo placere possint.* Et correctionis causâ maximè Episcopus debet lus-

trare Diœceſim ; cap. cùm venerabilis, de cenſib. Imò correctio & emendatio Clericorum ita eſt propria, & perpetua Epiſcopi, ut ſi Summus Pontifex mandet Ordinario, ut Clericos Diœceſis corrigat, non tribuat ei Juriſdictionem, ſed propriam, quæ erat torpens & ſopita per ignaviam, excitet, & Ordinarius correctionis officio fungatur, tamquam Ordinarius, non tamquam delegatus, ſalvo jure appellationis ad Metropolitanum, ſi appellationis caſus emergat ; d. cap. licet in corrigendis : id eſt, ſi in correctione modum excedat ; à correctione enim & diſciplina non appellatur niſi modum excedat ; cap. 3. cap. reprehenſibilis. cap. de priore. de appellat. cap. Univerſitatis, de ſentent. excommunic. quia correctioni modus imponendus eſt, cùm non pœnæ, ſed emendationis & diſciplinæ causâ adhibeatur. Unde ſi magiſter diſcipulum graviùs percuſſerit, non tenetur quidem injuriarum, quia non habuit animum injuriæ faciendæ, ſed docendi & monendi ; ſed tenetur actione legis Aquiliæ, quia damnum injuriâ dedit, vel actione ex locato, quia nimia præceptoris ſævitia culpæ adnumeratur, eique levis dumtaxat caſtigatio permiſſa eſt ; d. L. ſed ſi quemcumque. §. ult. cum L. ſeq. & d. L. item quæritur. §. item Julianus. Epiſcopus habet jus corrigendi ſubditos non obſtante conſuetudine, vel appellatione, niſi modum excedat ; d. cap. irrefragabili : non obſtante conſuetudine, quia ſubjectio & obedientia non præſcribitur à Clericis ; cap. cùm non liceat. cap. cùm ex officio, de præſcript. Correctio etiam Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ de jure pertinet ad Capitulum ; ſed ceſſante Capitulo devolvitur ad Epiſcopum ; d. cap. irrefragabili. Correctio Monachorum pertinet ad Abbatem ; cap. ad noſtram. cap. reprehenſibili, de appellat. Auguſtin. de corrept. & gratiâ ad Valentinum & cum illo Monachos, cap. 15. *Corripiantur itaque à Præpoſitis ſuis ſubditi fratres correptionibus de charitate venientibus pro culparum diverſitate diverſis, vel minoribus, vel amplioribus ; quia & ipſa quæ damnatio nominatur, quam facit Epiſcopale judicium, quâ pœnâ in Eccleſia nulla major eſt, poteſt ſi Deus voluerit, in correptionem ſaluberrimam cedere, atque proficere* : Inde deſumptus eſt can. corripiantur. 24. qu. 3. Ceſſante Abbate poſt monitionem, putà ſi fratres vagos & circumforaneos non revocet, correctio devolvitur ad Epiſcopum ; d. cap. quantò, can. Abbates. 18. qu. 13 Correctioni & diſciplinæ locus eſt, in minoribus delictis, quæ correctionis modum non excedunt, ut in Clericis turbantibus divinum officium ; cap. cum voluntate. in fin. de ſentent. excommunicat. Sed ſi delictum ſit gravius, propter atrocitatem facti res rejicienda eſt ad forum Eccleſiaſticum, ut in minoribus delictis correctio quidem datur propinquis ; ſed ſi atrocitas facti correctionis modum exſuperet, enormis

Epiſcopus habet modicam coërcitionem correctionis causâ, quia ea utitur exemplo magiſtri in diſcipulos, & parentis in liberos. Auguſtin. epiſt. 159.

delicti rei tradendi sunt suo Judici ; d. L. unic. C. de emendat. propinquor. Judicio tamen propinquorum in necem usque sævitum refert Valer. Maxim. libr. 6. *Publicia autem quæ Posthumium Albinum Consulem, item Licinia quæ Claudium Agellum viros suos veneno necaverant, propinquorum decreto strangulatæ sunt.*

Correctio, ut jam dixi, debet esse levis & moderata ; & hoc casu si pater vel magister vel Prælatus correctionis causâ Clericum leviùs percusserit, non incurrit sententiam, can. si quis suadente. d. cap. cum voluntate. Marcus decis. 880. part. 2. Haud quaquam culpanda tamen disciplina Episcoporum, si fortè austeriùs se habeant cum quibusdam Clericis, quò eos in officio contineant, vel lapsos ad meliorem frugem revocent : vigor publicæ disciplinæ ampliorem pœnam postulat ; L. locatio §. quod illicitè ff. de publican. Absit ut duritiem voces Episcopalis correctionis medelam ; experimento enim quotidiè discimus hujusmodi rationem multis ad salutem prodesse : Bernard. in Cantica Serm. 30. *Quàm multos quotidiè experimur, piis impugnationibus Prælatorum ad meliora proficere, provehi ad altiora.* Nec modò in Clericos sed etiam in Laïcos correctionem habet Episcopus : Augustin. de verb. Domini Serm. 16. *Novit enim nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum publicè corripere, at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo ; corripio in secreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam.* Et paulò post : *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus ; nos non prodimus palàm, sed in secreto arguimus.* Et idem de tempore Sermon. 164. *Ecce clamo vobis, ego me absolvo : erogatorem me posuit Deus, non exactorem. Et tamen ubi possumus, ubi datur locus, ubi conceditur, ubi scimus, corripimus, objurgamus, anathematisamus, excommunicamus ; & tamen non corrigimus.* Et Alcuinus c. 6. de virtut. & vitiis. *Sacerdotis est in pace populum admonere, quod debeat agere ; populi est in humilitate audire quæ monet Sacerdos.*

## CAPUT II.

### *Episcopus habet Ordinariam Jurisdictionem in suâ Diœcesi.*

AD Episcopum pertinet Jurisdictio causarum omnium ad Ecclesiasticum forum, de jure spectantium; cap. conquerente, de offic. judic. ordinar. cap. ex tenore de foro competent. Id est, cognitio causarum civilium, & criminalium inter Clericos, vel etiam spiritualium inter Laïcos quæ sunt juris Ecclesiastici: Episcopus enim habet Jurisdictionem ordinariam in tota sua Diœcesi; cap. cùm Episcopus, de offic. ordin in 6. Jurisdictionis ordinariæ, quam habet Episcopus in universa Diœcesi, pulcherrima argumenta sunt. Primum quòd omnes res Ecclesiæ debent gubernari & dispensari cum judicio & potestate Episcopi, cui totius plebis animæ videntur esse creditæ; Synod. Antioch. can. 24. can. quæcumque. 10. qu. 1. Administratio enim rerum universarum vix potest explicari sine Jurisdictione: Unde defensorem patrimonii S. Petri in Sicilia & aliis Provinciis habebant propriam Jurisdictionem; can. valde necessarium est. 94. dist. can. pervenit. 11. qu. 1. Secundum est quod tota Diœcesis est parœcia Episcopi; Synod. Antiochen. can 9. can. Lugdunensis 9. qu. 2. unde quilibet Diœcesanus dicitur esse Parœcianus Episcopi; cap. licet. de feriis. cap 1. de raptorib. cap. ad aures. de pœn. Unde Monachis non licet prædicare in Ecclesiis Parœcialibus, sine licentia Episcopi; Clem. dudum §. in Ecclesiis, de sepultur. Tertium accedit quòd de jure Episcopus potest collocare Cathedram, quæ est insigne Jurisdictionis Episcopalis, in quacumque parte Diœcesis; d. cap. cùm Episcopus; quod licet non servetur in Gallia, ut non negat gloss. ibidem, insciti à ævi explosum dicitur odio Bonifacii tamquam juris novi conditoris; nam & multis seculis ante ex constitutione Gregorii I. Episcopo fas fuit Cathedram locare quocumque loco Diœcesis, præterquàm in locis exemptis; can. luminoso. 18. qu. 2. Quartum est quòd Episcopus habet propriam Jurisdictionem à lege vel Canone, jure Magistratûs seu Sacerdotii, ex quo eam potest demandare; L. more majorum & seq. ff. de Jurisdict. & post constituere Officialem juris dicendi causâ, non modò in civitate quam vocant prin-

cipalem ; sed etiam extra civitatem, qui dicitur Officialis foraneus ; cap. Romana, de offic. ordinar. in 6. Clem. etsi principalis, de rescript. Nec derogat ordinariæ Jurisdictioni Episcopi, quòd Metropolitanus concurrit cum Episcopo in quibusdam casibus, ut in jure visitandi Ecclesias suffraganeorum, & procurationem exigendi ; cap. cùm ex officii, de præscript. cap. sopitæ. cap. cùm nuper, de Censib. cap. Romana. §. notoria eod. tit. in 6. Clem. II. de Privileg. Metropolitanus enim nihil juris habet in Diœcesi suffraganeorum, nisi in casibus expressis à jure, id est, quatenùs sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo contulit ; can. nullus primas. 9. qu. 2. can. nullus primas. can. conquestus ead. caus. qu. 3. nec de causis suffraganeorum cognoscit nisi per appellationem devolutis ; cap. duo simul. cap. Pastoralis. de offic. ordinar. Et quòd ab Episcopo appellatur ad Metropolitanum satis probat Jurisdictionem ordinariam inesse Episcopo : Sententia enim à proprio judice lata, non convellitur nisi remedio appellationis ; L. vit. C. si à non competent. judic. L. 1. §. item cum. ff. quæ sentent. sine appellat. rescindant. cap. cùm inter vos de re judicat. Nec corruit etiam Jurisdictio ordinaria Episcopi, ex eo quòd inferiores prælati habent Jurisdictionem propriam ; ut Archidiaconi ; cap. ad hæc. cap. dilecto. de offic. Archidiacon. Abbates ; cap. dilectus. de offic. ordinar. cap. auditis. cap. cùm olim, de præscript. cap. accedentibus, de excess. prælat. & subditor. Decani, cap. significavit. de convers. conjugat. cap. dilecto. de sentent. excommunicat. in 6. quia inferiores ab Episcopo non habent Jurisdictionem, nisi ex privilegio, vel consuetudine ; & nihilominus Episcopus est judex ordinarius Diœcesis suæ, & Jurisdictio non censetur præscripta privativè, sed tantum cumulativè, & in concursu contra Episcopum ab inferiore, & Jurisdictio remanet habita apud Episcopum, ita ut cessante inferiore propter negligentiam ejus devolvatur, vel potius quasi postliminio redeat ad Episcopum ; Felin. in cap. Pastoralis de offic. ordinar.

Episcopum etiam habere ordinariam Jurisdictionem argumento est quòd habet modicam coërcitionem, nimirum virgis potest subditos coërcere : Augustin. epist. 159. in can. Circumcelliones 23. qu. 5. *Non urentibus flammis, sed virgarum verberibus ; qui modus coërcitionis à Magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* Quia modica coërcitio est signum propriæ, & ordinariæ Jurisdictionis ; L. Magistratibus. ff. de Jurisdict. can. contra Idolorum. 26. qu. 5. cap. universitatis. de sentent. excommunicat. Nec mihi negotium facit, quod objicitur passim ex Novella Valentiani de Episcopali judicio, Episcopos forum legibus non habere :

Lubens enim concedo, eos non habere forum quoad res forenſes, ſed quoad Eccleſiaſticas; in his ſunt verè Judices ordinarii, & Ordinariorum appellatione continentur, ut in titulo de offic. judicis ordinarii; nec habent nudam audientiam id eſt ſimplicem notionem, ſed forum competens quod in ſe continet Juriſdictionem: Auguſtin. libr. 3. contra Julian. cap. 1. *Veſtra verò apud competens judicium communium Epiſcoporum modò cauſa finita eſt.* Epiſcopi inquam non habent nudam audientiam, ſed audientiam competentem, quæ pleniorem cauſæ cognitionem deſiderat, iiſdem ſolemnibus judiciorum explicatur, quibus publicum judicium, & nihil diſtat à verâ & propriâ Juriſdictione, ut in vita D. Goſvini Aquicinctenſis Abbatis, libr. 2. cap. 12. de lite inter Canonicos Turonenſes & Aquicinctenſis Monachos: *Super quibus cùm fuiſſet utrinque ſæpius decertatum, tandem ad Rhemenſem audientiam res perlata, ubi Monachis legum ignaris, & Abbati reverendo legum periti Turonenſes occurrerunt.* Denique Epiſcopis tanquam ordinariis competit cognitio omnium cauſarum ad forum Eccleſiaſticum ſpectantium in prima inſtantia, & hoc juris inſtauratum, Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. Et hoc eſt quod ait Theodoricus Rex etſi Arrianus apud Caſſiodor lib. 3. epiſt. 37. ad Petrum Epiſcopum: *Cauſarum veſtrarum qualitas vobis debet judicibus terminari, à quo eſt expectanda magis quàm imponenda juſtitia.* Et Ivo Carnotenſ. epiſt. 119. *Habent enim, ſicut noſtis ſtatuta Majorum, ut illæ cauſæ à judicibus Eccleſiaſticis minimè audiantur, quæ legibus non continentur.* Ac denique nè dubitetur ſacros judices habere ordinariam Juriſdictionem ſatis intelligimus ex hoc ipſo quòd ii tenentur ſolemnibus & formulis judiciorum, nec enim diſpari jure cenſeri poteſt Juriſdictio Eccleſiaſtica, quæ uno & eodem jure regitur cum civili, quoad ordinem & ſolemnia litis; cap. quia circa de privileg. cap. cum in tuâ de decim.

## CAPUT III.

*Episcopi Jurisdictio alia est Civilis, alia Criminalis. Pecuniariæ causæ quæ sint. Martyrum judicium ejusque auctoritas.*

JURISDICTIO Ecclesiastica alia est Civilis, alia Criminalis, perinde ac Jurisdictio publica seu secularis; Episcopus enim cognoscit de Civilibus & Criminalibus causis Clericorum, & Clerici omnino conveniendi sunt apud Episcopum in Civili & Criminali negotio, ex Concilio Milevitano, aut quod verius est, ex Conc. Tolet. III. can. 13. & Conc. Carthaginensi 3. can. 9. can. inolita. can. placuit. II. qu. I. Synod. Carthag. can. 15. apud Balsamon. & cap. si diligenti. de foro compet. Idem ante à Sylvestro I. constitutum, nè Clericus quacumque de causa conveniatur in publico, id est publico tribunali, seu apud Judicem cinctum, id est civilem & forensem; can. testimonium. can. nullus Clericus. II. qu. I. Anastas. in ejus vita: *Hic constituit ut nullus Clericus propter causam quamlibet in curiam introïret, nec ante Judicem cinctum causam diceret nisi in Ecclesia.* Cui accessit Constitutio Julii; idem Anastas. in ipsius vita: *Hic constitutum fecit, ut nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia.* Ex Synodo Chalcedonens. can. 9. *Si Clericus litem habeat adversùs Clericum, eum convenire debet apud Episcopum, non apud Judicem secularem: quod si lis emergat inter Episcopum & Clericum ab utraque parte eligendi sunt arbitri à quibus lis finiatur*; can. si Clericus. II. qu. 3. cap. de foro competent. unde desumptus est can. 17. Concil. Aurelianens. 5. & cap. 241. libr. 7. Capitular. Ubi Novellâ Valentiniani Episcopalis Jurisdictio penè sublata est, eam fortiter ac piè vindicarunt patres Gallicani variis per tempora decretis non sinè nutu & suffragio Principum; Synod. Andegavens. can. 2. *Primum ut contra Episcopale judicium, Clericis non liceat resilire, neque inconsultis sacerdotibus secularium judicia expetere.* Nè Clerici conveniantur apud Judicem secularem in Civili & Criminali negotio, ac nè respondeant etiam volentes statuit Synodus Agathens. can. 32. *Clericum nullus præsumat apud secularem, Episcopo non permittente pulsare; sed si pulsatus fuerit, non respondeat, vel proponat, nec audeat criminale negotium in seculari judicio proponere*; can. Clericum nullus. II. qu. I. quod repetiit Synod. Epaunens. can. 11. *Clerici sine ordinatione Episcopi*

*ſui, adire vel interpellare publicum judicium non præſumant., ſed etſi pulſati fuerint, ſequi ad ſeculare judicium non præſumant.* Et Synod. Aurelianenſ. IV. can. 20. *Quæcumque cauſatio quoties inter Clericum & ſecularem vertitur, abſque Preſbytero, aut Archidiacono, vel ſi quis eſſe Præpoſitus Eccleſiæ dignoſcitur, Judex publicus audire negotium non præſumat; ſanè ſi cauſam habentibus placuerit ire ad judicium, fortè ex voluntate communi, permittente Præpoſito Eccleſiæ Clerico licentia tribuatur.* Nè unus è Clericis alium conveniret ad Judicem ſecularem; alioquin actor ſi eſſet è minoribus Clericis, dempto uno quadraginta ictibus vapularet, ſi è majoribus, per triginta dies pœnæ causâ cuſtodiâ teneretur præcepit Synod. Matiſconenſ. I. can. 8. *Ut nullus Clericus ad Judicem ſecularem quemcumque alium fratrem de Clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere quocumque modo præſumat; ſed omne negotium Clericorum aut in Epiſcopi ſui, aut in Preſbyterorum, aut Archidiaconi præſentia finiatur. Quòd ſi quicumque Clericus hoc implere diſtulerit, ſi junior fuerit, uno minùs de quadraginta ictus accipiat, ſin certè honoratior, triginta dierum incluſione multetur.* Quod repetiit Conc. Antiſſiodor. can. 43. & Aquisgranenſ. can. 8. & Gratianus in can. nullus Clericus. 11. qu. 1. Olim Clerici in civilibus & criminalibus cauſis conveniebantur apud Epiſcopum volente actore; ſed ſi is nollet experiri cum Clerico coram ſuo judice, res transferebatur ad Præfectum Prætorio; ex L. cum Clericis. C. de Epiſc. & Cleric. & L. decernimus. C. de Epiſcopal. audient. Poſteâ ex Novell. Juſtin. 83. & 123. res aliter ordinata eſt, ut in pecuniariis cauſis Clerici convenirentur apud Epiſcopum, & nolente aut ceſſante Epiſcopo lis rejiceretur ad Judicem civilem: in criminibus civilibus, putà homicidio, adulterio, furto & ſimilibus, Clerici convenirentur apud competentes Judices, id eſt, apud Præfectum urbi in urbe, & apud Præſides in Provinciis; in Eccleſiaſticis verò, putà in ſacrilegio, ſimoniâ, vel crimine conſpirationis in Epiſcopum, ut Clerici convenirentur apud ſuum Judicem, id eſt Epiſcopum. Unde hauſtus eſt can. ſi quis cum Clerico. 11. qu. 1. Pecuniarias vocat cauſas quas can. 6. Synod. Conſtantinopolitanæ I. ἰδιωτικὰς, id eſt privatas, ibi Balſamo *ἰδιωτικὰς δὲ ὠνόμασεν ὁ κανὼν τὰς χρηματικὰς ὑποθέσεις πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἐγκληματικῶν, αἳ πάνες δημόσιαι λέγονται, ὡς κινούμεναι παντὸς τοῦ δήμου, ὅπερ ὅτι τῶν χρηματικῶν ἀγωγῶν, οὐκ ἔστι μόνος ὁ ἔχων τὸ δίκαιον πάσας κινεῖ. Privatas autem nominavit Canon pecuniarias cauſas, ad differentiam criminalium quæ quidem publicæ dicuntur, ut quæ ab omnibus qui ſunt è populo moventur, quod non eſt in pecuniariis, is enim demum eas movet, cujus intereſt.* Sic pecuniarias cauſas à majoribus in quibus de ſalute & capite, diſtinxit Auguſtin. de doctrinâ Chriſtianâ

lib.

lib. 4. cap. 18. *In illis enim ea parva dicuntur, ubi de rebus pecuniariis judicandum est; ea magna, ubi de salute, ac de capite hominum.* Et Ambros. epist. 29. *Si de causis pecuniariis Comites tuos consulis; quantò magis in causâ religionis Sacerdotes Domini æquum est consulas.* Cur privatæ seu civiles causæ pecuniariæ dicerentur, ex jure promptum est, ex quo pecuniæ appellatione continetur, non modo pecunia numerata, verùm omnis pecunia, hoc est, omnia corpora; L. pecuniæ ff. de US. Ut ad propositum redeamus, si veterem usum Ecclesiæ spectemus, hoc jure usi sunt Clerici à melioribus Ecclesiæ seculis, ut etiam in delictis non convenirentur apud alium Judicem quàm Episcopum: Athanas. Apolog. 2. de fuga. ὅτι δὲ ἐξωπικὸν δικαστὸν ἐξέτασις περὶ αἵματος χριστοῦ, καὶ σώματος χριστοῦ γένεται, εἰ γὰρ καὶ ὅλως ἐγεγόνει τι πλημμέλημα ἔδει, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ κληρικῶν νομίκως ἐξετάζεσθαι. *Sub externo judice quæstio de sanguine & corpore Christi habetur; nam si omninò quod delictum perpetratum fuisset, oportebat de eo in Ecclesiâ inquiri sub legitimis Clericis.* Eâ ætate Clerici omninò in rebus suis nesciebant judices seculares, tamquam segregati meritis sacerdotii & religione Ordinis; Augustin. epist. 160. ad Apringium Judicem: *De vobis quidem dixisse Apostolum legimus, quod non sine causâ gladium geratis, & ministri Dei sitis vindices in eos qui malè agunt; sed alia causa est Provinciæ, alia est Ecclesiæ.* Summa judicii Ecclesiastici fuit penès Episcopos; tantæ tamen autoritatis fuêre Martyres & Confessores, id est, qui jam pro fide tuendâ passi erant non ad necem usque, ut potestatem judicandi cum Episcopis penè communem haberent, suo sanguine quasi consecrati, & sacerdotii caractere insigniti. Martyrii palmâ cecidit Origenes, quòd sacrificare maluit, quàm Æthiopis libidinem pati, & idem Ecclesiâ pulsus Martyrum & Confessorum judicio: ὑπὸ τῆς κοινόντων ὁμολογητῶν, τε καὶ μαρτύρων, ut tradit Epiphan. hæres. 68. Eò usque pervenit autoritas Martyrum, ut Ecclesia vix ausa sit damnare sententias Martyrum in his quæ erant de fide & religione; Hieronym. in Hierem. libr. 4. cap. 19. *Quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi Ecclesiasticorum virorum & Martyres ista dixerunt.*

## CAPUT IV.

*Clerici habent privilegium fori, cui renunciare non licet contra Fevretium. Peregrina judicia.*

CLERICI non modò inviti non trahuntur ad civilem Judicem, sed nè volentes quidem possunt renunciare privilegio fori, seque subjicere Jurisdictioni judicis secularis; cap. si diligenti. cap. significasti, de foro competent. cap. gravem, de excess. Prælat. Jure veteri Clerici volentes non prohibentur adire secularia tribunalia, de consensu proprii Episcopi; can. Clericum nullus. 1. & 2. qu. 1. cap. 1. & 2. de foro competent. quia videbatur minimè fieri injuria volentibus Clericis, maximè consentiente Episcopo, cujus inprimis interest Jurisdictionem suam non indefensam relinquere; L. 1. ff. si quis jus dicent. non obtemperav. L. nullum. C. de testib. cap. dilecto, de sentent. excommunic. in 6. & præscriptioni fori cuilibet licet pacto renunciare; L. si fide jussor. ff. qui satis cogant. L. pen. C. de pact. Sed hoc jus correctum est ab Innocentio III. qui primus rescripsit in d. cap. si diligenti, nè liceat Clericis etiam volentibus & juratis abdicare à se privilegium fori, optimâ ratione, nimirum quia privilegium hujusmodi non personis, sed Ordini concessum est, & privilegium est juris publici, cui privatorum pactis derogari non potest. Non potest contemni beneficium legis, in quo non merita personarum, sed officii & ordinis spectantur: Ambros. de iis qui myster. initiant. cap. 5. *Non merita personarum consideres, sed officia Sacerdotum.* Et Clericus qui privilegium fori emittit, non videtur retrò id facere, sed metu & dolo captus, non tam paciſci, quàm decipi: Arnob. in Psalm. 16. *Subplantatur qui privilegium amittit, sicut à Jacob Esau subplantatus est, &c.* Nemo præsumitur sponte renunciare beneficio, multis fortè sumptibus & laboribus quæsito, cap. super hoc, de renunciat. Non potest Clericus prorogare Jurisdictionem incompetentis seu non idonei judicis: & facto suo se subripere proprio judici. Jurisdictiones suis finibus distinctæ confundi non debent, nè Ecclesiasticus ordo intervertatur: totus Ecclesiasticus ordo confunditur, si sua cuique Episcopo Jurisdictio non servetur; can. pervenit. 11. qu. 1. can. ecce. 99. dist. cap. ex tenore, de foro competent. Disciplinæ Ecclesiasticæ maximè interest Clericos suum & unum habere Judicem, si per leges regni liceret, quò faciliùs in obsequio & officio contineantur, nè dum in plures Judices distrahuntur, neutrum ferè agnoscant, & conflictus Judicum inter

ſe effugii & impunitatis occaſionem eis præbeat : denique in Clericis, ſi quid ſapio, cavendum eſt quod de Italis fertur duobus eos gaudere dominis, ut unum alterius concurſu amoveant : Luitprand. hiſt. libr. 1. cap. 10. *Semper Italienſes geminis uti dominis volunt, quatenùs alterum alterius terrore coërceant.* De Mediolanenſibus Radevicus de geſt. Frideric. libr. 2. cap. 33. *Unde factum eſt ut civitas hæc inimica Regibus ab antiquo fuiſſe dicatur, hac uſa temeritate ut ſemper rebellionem Principibus ſuis moliens, ſchiſmate Regni gaudeat, & geminorum potiùs dominorum, quàm cujus ſuper ſe juſtè regnantis affectaret principatum.*

Nec modò Clerici non poſſunt expreſſè renunciare privilegio fori, ſed nec tacitè, putà non poſſunt conveniri apud Judicem ſecularem, non obſtante conſuetudine contrariâ, quæ eſt vice pacti taciti ; cap. Clerici, de judic. Etiam exempti per ſe non poſſunt renunciare exemptioni, quia beneficium exemptionis non tantùm eſt in gratiam exempti, ſed etiam in gratiam concedentis ; cap. cùm venerabilis, de conſuetud. cap. dilecti, de renunciat. cap. cum tempore, de arbitr. cap. ſi Abbatem, de Elect. in 6. Gloſſ. in cap. tuarum, de privileg. Non diſpari quoque ratione percutientes Clericum, etiam volentem ex ſubmiſſione quæ fit de conſuetudine regionis, injuriæ luendæ causâ, non effugiunt excommunicationem latæ ſententiæ ; quia hujuſmodi pœna infligitur non tam in gratiam Clericorum, quam Ordinis clericalis ; cap. contingit, de ſentent. excommunicat. Ex his ſatis explicitur quod voluit Fevret. libr. 4. cap. 4. num. 2. Clerico licere in re civili renunciare privilegio fori ex ſubmiſſione in contractu appoſitâ. Tum quia Clericus omnino non poteſt renunciare privilegio fori, tum quia ex moribus Galliæ non poteſt prorogare Juriſdictionem extranei judicis, hoc eſt non ſui, quia Juriſdictiones ſunt limitatæ, & patrimoniales ; nec hac in re iniquioris conditionis eſſe debet Juriſdictio Eccleſiaſtica, ac ſecularis, cùm eodem jure patrimonii cenſenda ſit, nè Juriſdictionum termini confundantur ; & hæc eſt ſententia forenſium Clericos indiſtinctè non poſſe renunciare exceptioni fori, ex d. cap. ſi diligenti & d. cap. ſignificaſti : Benedict. in cap. Raynut. verb. & uxorem deciſ. 2. num. 30. & ſeqq. Aufrer. in quæſt. 128. Capell. Toloſ. idem de poteſt. ſecular. regul. 2. fallent. 30. Guid. Pap. qu. 139. Boer. qu. 114. Marc. deciſ. 1157. tom. Camill. Borrel. in addit. ad Bellugam rubr. de propoſit. Princip. §. videndum. Inde damnatur corruptela & acerbitas fœneratorum Italicorum, quos compoſito nomine vocabant Caurſinos, quaſi canis, & urſi feritate formidandos, quòd à Clericis mutuas pecunias accipientibus ſolerent nomina ſeu cautiones mutui exigere quibus ſe & Eccleſias obligarent, & renunciarent privilegio fori, quam ſtipu-

landi formulam memoriæ tradidit Matth. Paris. in Henrico III. ad ann. 1235. *Pro quibus omnibus antedictis firmiter & plenariè adimplendis, & inviolabiliter observandis obligamus nos & Ecclesiam nostram, & successores nostros, & omnia bona nostra, & Ecclesiæ nostræ, mobilia & immobilia, Ecclesiastica & mundana, habita & habenda, ubicumque fuerint inventa, Mercatoribus antedictis, & eorum hæredibus, usque ad plenam satisfactionem omnium prædictorum, quæ bona ab eis precario nomine recognoscimus possidere; & volumus super omnibus antedictis, ubique & in omni foro conveniri, renunciando pro omnibus antedictis pro nobis & successoribus nostris omni juris auxilio canonici & civilis, privilegio clericatûs & fori, epistolæ D. Adriani, omni consuetudini & statuto, &c.*

Regulariter exceptio fori non potest opponi nisi ante litem contestatam; L. 4. C. de Jurisdict. L. ult. C. de except. L. peremptorias. C. sentent. rescind. non poss. Clericus tamen etiam post litem contestatam coram judice seculari potest opponere exceptionem fori; L. 1. C. Th. de Episcopal. judic. Capitular. libr. 6. cap. 281. refusis sc. sumptibus litis, cap. exceptionem, de excep. Maynard. libr. 1. cap. 24. quia ut diximus, Clericus lite contestatâ non potuit extraneum Judicem suum facere. Quòd si Clericus conveniatur apud Judicem, an teneatur comparere apud Judicem secularem exceptionis fori proponendæ causâ, an apud judicem Ecclesiasticum; & quidem si negetur esse Clericus, vel aliàs judex negetur competens, de jure cognitio hujus quæstionis pertinet ad judicem Ecclesiasticum, non ad secularem, quia de re Ecclesiasticâ & spirituali agitur; cap. si judex, de sentent. excommunicat. in 6. & ita apud Italos & Hispanos servari docent Thomas Grammatic. decis. Neapolit. 29. & Covarruv. practic. quæst. cap. 33. Tamen in Galliâ Clericus conventus apud Judicem secularem tenetur comparere, & coram eo exceptionem fori opponere, quâ non admissâ appellat ad Superiorem; Guid. Pap. quæst. 138. Gall. qu. 38. Durum certè ac lugendum Ecclesiam in Galliâ durioris sortis esse ac in Hispania & Italia; sed ferendæ leges & consuetudines regni: *Ego*, inquit Jo. Faber in 5. ult. Just. de Satisdat. *Cùm sim de Regno, leges Regni non impugno*; nec à jure civili abhorret istud quo utimur, si enim judex negetur esse competens, conventus debet comparere, quia Prætoris est æstimare, an sua sit Jurisdictio; L. si quis ex aliena, ff. de judiciis. L. ex quacumque causâ, ff. si quis in jus vocat.

Nec modò Clericus non potest consentire in Judicem secularem; quin imò non potest consentire in Judicem non suum, licet Ecclesiasticum, sine consensu sui Episcopi; quia peregrina judicia, id est Judicis non sui tametsi Ecclesiastici, legibus Ecclesiæ submoventur; can. peregrina. can. leges. can. non liceat. 3. qu. 6. can. nec extra. ead. caus. qu. 9. can.

scitote. 6. qu. 3. can. privilegia. 25. qu. 2. capitul. libr. 7. cap. 230. 348 cap. significasti, de foro compet. & hanc sententiam comprobat Balsamo in can. 9. Synod. Antiochen. Ivo Carnot. epist. 35. *Peregrina judicia nullius esse momenti, decretorum pariter & Canonum generali sanctione decernit autoritas.* Et idem epist. 85. *Cùm autem in Provincia vestra peregrinum sit judicium nostrum, peregrinum tamen non putamus esse consilium nostrum.* Et Goffrid. Vindocinens. lib. 2. epist. 24. *Canonibus, sicut ipsi melius nostis, potestas obviare videtur, ut Ecclesiastica causa seculari & peregrino judicio terminetur, & quod vos & vestros facere decet, aliis etiam personis Ecclesiasticis concedatur.* Hoc jure Theodoritus Cyrensis Episcopus ab hæreticis quibusdam non rectæ fidei insimulatus, & eo nomine à Dioscoro Episcopo Alexandrino causâ inauditâ malè litteris acceptus, questus est apud Flavianum Episcopum C. P. epist. 86. Dioscorum Alexandrinum, præter jus in Episcopum Orientis subditum Antiocheno Jurisdictionem sibi asciviſſe, contra Nicenum Canonem qui unicuique sedi suam Jurisdictionem servari voluit.

## CAPUT V.

### *Clerici quibusnam casibus amittunt privilegium fori.*

Clerici propter meritum & dignitatem Ordinis gaudent privilegio fori; cap. si diligenti, de foro competenti: tamen id certis casibus ut indigni amittunt; putà Clerici qui post susceptos Ordines duxêre uxorem, multanturprivilegio fori; cap. ex parte de Cleric. conjugat. cap. un. eod. tit. in 6. cap. ex parte, de privilegiis. Conc. Trident. sess. 23. de reform. cap. 6. Quod institutum est propter abusum illius seculi, quo permulti ambiebant Clericatum, non alio consilio, quàm ut Judicem secularem declinarent: Stephan. Tornacens. epist. 12. *Nonnulli ut potestatum secularium Jurisdictionem devitent, tonsurâ tantùm, vel minoribus Ordinibus, dolo inter Clericos sese simulant aggregari.* Nondum tamen securis ad radicem posita est: hac enim ætate Clericis qui unicam & virginem uxorem duxissent, & tonsuram vestemque clericalem retinerent, non est ademptum privilegium fori; d. cap. unic. Hoc jure tempore Caroli VI. Joannes de Maris Advocatus fisci in Senatu Parisiensi, tumultûs publici insimulatus hac exceptione usus memoratur, tamquam Clericus unius uxoris vir, ejusdemque virginis: Joannes de Ursinis in vit. Caroli VI. ann. 1382. *Si feut mis au Chastelet, & ny fallut gueres de procez, ne sans a peine l'examiner, ne dire les*

*cauſes, feut dit qu'il auroit le col coupé, & combien quil requiſt eſtre oüy en ſes juſtifications & deffenſes, & auſſi qu'il eſtoit Clerc marié avec une ſeule vierge & pucelle, quand il épouſa, ce nonobſtant fut mené aux Halles.* Eodem tempore Montacutius penès quem rerum ſumma erat, ab æmulis perturbatæ Reip. reus factus, eadem exceptione uſus eſt, ſed non fœliciùs: Idem ſcriptor vitæ Caroli VI. ad ann. 1409. *Mais au regard dudit Montaigu, le dix-ſeptieſme jour dudit mois d'Octobre, feut condamné par Meſſire Pierre des Eſſars, à eſtre decapité aux Halles de Paris, combien qu'il feut Clerc marié* cum unica virgine, *& avoit eſté prins en habit non difforme à Clerc, &c.* Iiſdem moribus Vvillelmus de Buſſeyo ob facinora prehenſus à judice ſeculari, cùm exceptione fori Eccleſiaſtici uſurus niteretur amictum capitis ſolvere, ut tonſuram Clericalem oſtenderet, impeditus memoratur: Matth. Paris. in Henrico III. ad ann. 1259. *Et cùm non poſſet objectis reſpondere, quia multis erat irretitus ſceleribus, voluit ligamenta ſuæ coifæ ſolvere, ut palam monſtraret tonſuram ſe habere clericalem, non eſt permiſſus, &c.* Sed hodie Clericus conjugatus omnino amittit privilegium fori & Canonis, quia pro laïco habetur; Guid. Pap. qu. 138. & ibi Ferrer. Imbert. libr. 3. inſtit. forenſ. cap. 8. §. 2. in fin. Mayn. libr. 1. cap. 23. Belluga in ſpecul. rub. de propoſit. §. videamus. Clericus conjugatus etiam olim contractis nuptiis ſtatim amittebat beneficium Eccleſiaſticum; extravagant. unic. Joann. 22. de vot. & voti redempt. Gloſſ. in d. cap. un. de Cleric. conjug. in 6. Ivo Carnotenſ. epiſt 218. *Veruntamen conſilium quod mihi ipſi darem, ſi aliquem de commiſſis mihi fratribus uxoriâ compede adſtrictum deprehenderem, tutum eſſe intelligo, videlicet ut Sacramentum conjugii maneat, Clericus verò qui poſtpoſitâ clericali continentiâ, de ſuperiori ordine ad inferiorem deſcendit, ſtipendia militiæ Clericalis amittat.* Clericus unius uxoris ejuſdemque virginis vir, tonſurâ & habitu clericali utens retinebat quidem privilegium fori, & Canonis; ſi quis ſuadente d. cap. unic. cætera amittebat, puta beneficium Eccleſiaſticum, & alias exemptiones clericales; d. cap. ex parte, de Clericis conjugat. d. cap. ex parte, de privilegiis. Clerici quoque joculatores, Goliardi ſeu Buffones, id eſt mimi Scenici, Hiſtriones amittunt privilegium fori & Canonis, cap. unic. de vit. & honeſt. Cleric. in 6. & Hiſtrionicam facientes arcentur à ſacris Ordinibus; can 1. 51. diſt. De joculatoribus Conc Lateranenſ. habitum ſub Innocentio III. cap. pen. de vit. & honeſt. Cleric. *Mimis joculatoribus & Hiſtrionibus Clerici non intendant* Alexander III. in cap. etſi queſtiones, de Simon. *Non fuit magnum à Cardinali equum unum tranſmitti, quem etiam joculatori petenti vir tantus, & tam abundans fortè donaret.* Et de Goliardis Matt. Paris. in Henrico III. ad ann. 1239. *Re-*

*cedentium autem quidam famuli, vel mancipia, vel illi quos solemus Goliardenses appellare, versus ridiculos componebant, dicentes, &c.* Gallis *Jangleurs* sive *Jongleurs.* Clerici etiam sine tonsurâ & habitu clericali in delicto deprehensi non habent privilegium fori; can. ut Presbyteri. 17. qu. 4. d. cap. ex parte, de privilegiis, cap. si judex laicus, de sentent. excommunicat. in 6. L. item apud Labeonem. §. si quis virgines. ff. de injur. quia mutato habitu pro laicis habentur; Capell. Tolos. qu. 144. 147. Covarruv. practicar. qu. cap. 32. Belluga in specul. de proposit. §. videndum. num. 21. Imbert. libr. 4. cap. 6. Guid. Pap. q. 138. Mynsing. Centur. 2. observ. 67. Damhouder. in prax. cap. 15. num. 25. Sacerdotio abdicatus est Eustathius Sebastiensis Episcopus, quòd non congruâ Sacerdoti veste uteretur; Socrat. libr. 3. cap. 33. Sozomen. libr. 3. cap. 13. Ita Hostilium Macinum Ædilem curulem cum Manuciæ meretrici diem dixisset apud Tribunos plebis, quòd de ejus tecto noctu lapide ictus esset, derisum quòd eum venire cum coronario, id est corona in capite non decuisset, Gell. libr. 4. cap. 14. Et si Clericus post delictum ambierit Ordinem clericalem, vel emiserit professionem regularem, non utitur privilegio fori, quia privilegium superveniens non mutat forum; L. cum quædam, ff. de Jurisd. L. si quis posteaquàm, de judic. L. 4. §. non omnes. L. ult. de re militar. L. 2. c. qui militar. poss. libr. 12. cap. proposuisti, de for. compet. cap. 2. nè Cleric. vel Monach. Covarruv. practicar. quæst cap. 32. Aufrer. de potest. secularium super Eccles. regul 1. fallent. 11. ut & Clericus si post contractum æs alienum in ordinem clericalem irrepserit, non gaudet privilegio fori, quia in fraudem creditorum, fori mutandi causâ Ordines suscepisse intelligitur; L. ult. §. ex bonis, ff. de bon. damnat. d. cap. 2. nè Cleric. vel Monach. Clerici incorrigibiles etiam amittunt privilegium fori; cap. contingit, de sent. excommunicat & per secularem potestatem coërcendi sunt; can. nec licuit. 17. dist. cap. 1. de offic. ordinar. cap. cùm non ab homine, de judiciis: quia pro laïcis habentur, & ad Apostasiæ crimen accedunt; Joannes Salisber. epist. 72. *Quotiens personæ Ecclesiasticæ, omni jure contempto, Ecclesiasticas impugnant sanctiones, eò quidem gravius puniendæ sunt, quò ad sacrilegii crimen, & scelus Apostasiæ quodammodò videntur accedere.* Si Clericus falsum testimonium dixerit coram judice seculari, ab illo in ipsum animadverti potest, non obstante præscriptione qualibet, vel privilegio fori; L. nullum. & ibi Gloss. C. de testib. L. Divus. ff. ad L. Cornel. de fals. Ratio est quia quilibet judex potest Jurisdictionem suam deffendère pœnali judicio; L. unic. ff. si quis jus dicent, non obtemperaverit. Matth. de Afflict. decis. 219. 230. Frideric. Senens. Consil. 93. Rebuff. in quib. casib. Cleric. coram judic. secular. convenire possit. num. 88. 89.

## CAPUT VI.

*Clerici sunt fori Episcopalis in actionibus personalibus Civilibus, vel Criminalibus. Cur obnoxiis publici ratiociniis arceantur à sacris ordinibus, malignè interpretatur Fevretius. An Clericis negotiari liceat victûs causâ salvo privilegio fori.*

IN actionibus in personam Civilibus vel Criminalibus Clerici non conveniuntur, nisi apud suum judicem, id est Episcopum; can. inolita. can. placuit. 11. qu. 1. cap. si diligenti. cap. significasti, de foro competent. Nov. Just. 83. & 123. cap. 20. Et hoc jus constitutione Philippi Pulchri anni 1303. sancitum est, & rursus constitutione Francisci I. anni 1539. art. 1. exceptis actionibus quæ descendunt ex administratione muneris publici seu Civilis, putà tutelæ vel curæ vel rationis fiscalis, vel cujuslibet officii civilis, vel ex negotiatione. Malignè in hunc locum Fevretius libr. 4. cap. 8. interpretatur ideo ab Episcopis non admitti ad Ordines obnoxios ratiociniis publicis vel privatis, nè Jurisdictio Episcopalis evacuetur, & numerus subditorum decrescat. Verum enim quidem est obnoxios ratiociniis arceri ab Ordinibus, ante rationes redditas, & præstita reliqua; sed non Jurisdictionis Episcopalis tuendæ causâ, Ecclesia enim non quærit quæ sua sunt: Sed sanctiore & puriori consilio, nempè ne Ecclesia dedecoretur infamiâ talium virorum, & videatur quasi latibulum obnoxiorum hominum: Synod. Carthaginensis 1. can. 8. Ex sententia Grati Episcopi Carthaginensis: *Si post depositâ universa & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent & cum laude, Clerici, si postulati fuerint, honore munerari; si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum, ab aliquo sine consideratione, fuerint ordinati, Ecclesia infamatur.* can. magnus. 54. dist. cap. unic. obligat. ad ratiocin. non ordinand. Nec est quod invidiâ oneretur providentia sacræ legis: idem enim ante placuit Constantino, ne officiales obnoxii ratiociniis ordinentur nè injuria fiat Clero, si ad priorem conditionem retrahantur; L. officialis. C. de Episc. & Cleric. Eadem fuit ratio Nov. Just. 123. cap. 15. Laudabilior etiam fuit scopus Constitutionis Mauricii Augusti nè obligati rationibus publicis ordinentur, nè indigni admittantur ad Clerum, quam commendat Gregor. 1. lib. 7.

7. epist. 11. in can. legem. 53. dist. *Legem quam piissimus Imperator dedit, nè fortasse hi qui militiæ, vel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in Monasteriis convertantur, vestræ studui fraternitati transmittere; hoc maxime exhortans, quòd hi qui sæculi actionibus implicati sunt, in Clero Ecclesiæ præproperè suscipiendi non sunt; quia dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter quam vixerant vivunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare.* Et idem Gregor. libr. 2. epist. 62. *Longino viro Clarissimo Stratore veniente Dominorum legem suscepi, in quâ Dominorum pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valde laudavi evidentissimè sciens, quia qui secularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat; mutare vult sæculum, non relinquere.* Sacræ legis non immemor Thomas ex Cancellario Angliæ designatus Cantuariensis Archiepiscopus, non priùs consensit nominationi regiæ de se factæ, quàm à Principe omnibus curiæ nexibus absolutus esset: Unde posteà cùm Regis offensionem ob tuendas libertates Ecclesiasticas contraxisset, Conventus de reddendis rationibus administrationis initæ dum fungeretur officio Cancellarii, non esse repetendas ab eo rationes excepit quibus semel solemniter solutus esset ante ordinationem, de quo Rogerus Hovedenus & Matth. Paris. in Henrico II. Obligatos rationibus publicis, ab Ordinibus arcet Ecclesia, né injuria ipsi fiat, si obnoxii repetantur, vel nè indigni passim sine delectu ordinentur: sed semel ordinatos, si fortè rationibus fiscalibus vel muneribus publicis implicentur, nequaquàm eos foro suo vindicat, imò eos prorsus à se ut indignos & exhæredes repellit: Petrus Blesens. tractat. de institutione Episcopi: *Quidam tamen per usurpatas sæculi administrationes se vinculo curiali obnoxiant; & quasi renunciaverint suæ privilegio dignitatis, calculum durieris eventus expectant; nam pro causa hujusmodi hodiè in Sicilia mancipati sunt Episcopi quidam carceralibus vinculis, nec aliquod expectant ab Ecclesia Romana solatium, quibus improperatur à summo Pontifice, ut bibant de calice, quem sibi temerè miscuerunt.* Clericus, ut ad propositum redeamus, ubi convenitur ut hæres Laïci, non utitur privilegio fori, quia conditio obligationis deterior fieri non potest ex persona hæredis; L. 2. §. ex his. ff. de VO. maximè ubi lis contestata est cum defuncto quia ubi semel acceptum est judicium, ibi & finem accipere debet, L. ubi acceptum. ff. de judic. Idem Juris est si Clericus fundum vendiderit Laïco, & fundus evincatur, & ab emptore denunciatus sit ut eum evictionis nomine defendat. quæ actio de evictione est personalis, quia oritur ex contractu, non potest uti privilegio sui fori,

ſed emptoris forum ſequi debet ; L. venditor. ff. de judic. L. 1. C. ubi in rem actio.

Item Clericus conventus coram Judice ſeculari actione mixtâ quæ eſt tam in rem quàm in perſonam, putà actionibus familiæ erciſcundæ vel communi dividundo, non poteſt uti præſcriptione ſui fori, quia licet hujuſmodi actiones ſint quadamtenùs perſonales propter præſtationes perſonales quas continent, tamen magis accedunt ad actiones in rem, quod in his agatur de diviſione rerum communium ; L. cùm putarem, L. inter cohæredeſ. §. 1. ff. famil. erciſcund. L. 1. ff. commun. dividund. Et hæc omnia perſequitur Benedict. in cap. Raynut. in verb. & uxorem. deciſ. 2. num. Clerici denique conventi coram Judice ſeculari actione mandati quæ eſt perſonalis ex procuratione rerum Laïci, vel actione pro ſocio quæ eſt etiam perſonalis ex negotiatione, non poſſunt ſe tueri oppoſitâ exceptione fori ; quia indignum eſt eis ab Eccleſia ſubveniri per quos conſtat in Eccleſia ſcandalum generari ; cap. ſacerdotibus tit. ne Clerici vel Monachi : fruſtra auxilium legis invocat, qui committit in legem ; L. auxilium. ff. de Minorib. cap. quia fruſtra de uſur. & ita Fevret. libr. 4. cap. 4. in fin. Sed quod de negotiatione dictum eſt, adhibitâ diſtinctione accipi velim, nimirum ſi Clericus negotietur lucri & quæſtûs cauſâ non uti privilegio fori ; quòd ſi tenuem negotiationem exerceat, victûs & alimoniæ cauſâ, finge pauperiorem Clericum, tunc non amittere privilegium fori ; quia Clerici non prohibentur aliquantiſper negotiari, ſublevandæ egeſtatis cauſa ; L. 2. C. de Epiſc & Cleric. L. 11. C. Th. de Luſtral. collat, vel etiam victum & veſtitum ſibi quærere quopiam artificiolo, ſalvâ dignitate Ordinis ; Conc. Carthaginenſ. 4. can. 49. *Clericus victum & veſtimentum ſibi artificiolo vel agriculturâ abſque officii ſui dumtaxat detrimento paſet* : can. Clericus 91. diſt.

# CAPUT VII.

## *An Judex Eccleſiaſticus cognoſcat de actionibus in rem, & poſſeſſoriis. Quæſtio feudi Laïci inter Clericos ad quem pertineat.*

JURE Pontificio Judex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere de actionibus in rem, & de actionibus poſſeſſoriis inter Clericos. etiam uno eodemque judicio ; cap. Cùm Eccleſia Sutrina. cap. cùm dilectus, de cauſa poſſeſſ. & proprietat. cauſam tamen poſſeſſionis incidentem cauſæ quæ erat fori Eccleſiaſtici, puta cauſæ ſtatûs, ſeu quæſtioni natalium, Pontifices ipſi non ingratiis abdicarunt, & Principibus ſecularibus, eorumque officialibus reliquere. Alexander III. cùm Londinenſi Epiſcopo & aliis duobus demandaſſet cognitionem cauſæ ſtatûs mulieris nomine Agathæ, ſimul & poſſeſſionis hæreditatis ſeu bonorum ; hac de re gravius commoto Henrico II. Anglorum Rege, Londinenſi Epiſcopo & condelegatis mandavit, ut reſervatâ cognitione cauſæ ſtatûs, quæſtionem poſſeſſionis bonorum, quaſi propriam Regi & ſuis dimitterent ; cap. cauſam quæ qui filii ſint legitim. *Nos attendentes quòd ad Regem pertinet non ad Eccleſiam de talibus poſſeſſionibus judicare ne videamur juri Regis Anglorum detrahere qui ipſarum judicium ad ſe aſſerit pertinere ; fraternitati veſtræ mandamus quatenùs Regi poſſeſſionum judicium relinquentes de cauſa principali, videlicet utrum mater prædicti R. de legitimo ſit matrimonio nata, plenius cognoſcatis, &c.* Eodem jure Judex Eccleſiaſticus cognoſcit de ſpolio ſeu redintegranda quæ eſt cauſa poſſeſſionis ; can. redintegranda. 3. qu. 1. cap. ex parte, de foro competent. Inde Ivoni Carnotenſi Epiſcopo ſuccenſente Philippo I. quòd de ſpoliatione cognoviſſet inter Beccenſes & Moliſmenſes Monachos, Ivo comiter Juriſdictionem Eccleſiaſticam propugnavit epiſt. 9. ad ipſum Philippum : *Quòd enim inter Beccenſes & Moliſmenſes Monachos quantulamcumque pacem pro tempore feci, nullam Beccenſibus in hoc moleſtiam intuli, ſed Abbas Beccenſis cognoſcens, & erubeſcens inordinatam ſpoliationem factam Moliſmenſibus à quibuſdam neophytis Monachis ſuis multùm me rogavit ut vel pacem inter eos componerem, vel juſtè inter eos decernerem. Sed ego propter reverentiam veſtram judicium interim diſtuli, & gratis oblatâ portione victualium ſuorum, ab ipſo Abbate, quæ Mo-*

*ismenses reppetebant, litigia quæ inter eos erant pro ipsius Abbatis caritate mitigavi. Qua de re non decuit humilitati meæ succensere sublimitatem vestram, quia si ipsos spoliatores etiam ab inordinata invasione desistere coëgissem, majestatem tamen regiam nullatenùs offendissem, &c.* Moribus tamen Gallicanis. cognitio de actionibus realibus vel hypothecariis pertinet ad Judicem secularem etiam adversùs Clericos; Jo. Faber. in §. item Serviana inst. de Actionib. *Prælati Regni Franciæ, quibus interdictum est uti cognoscant actione reali, non possunt cognoscere hypothecariâ.* Et idem in §. si vero reus de satisdat. *Quicquid sit de jure, scio quòd Cardinales & Episcopi respondent in Regno Franciæ in foro seculari in realibus, & in talibus casibus defensiones recipiunt: quare cùm ego sim de regno, leges regni non impugno.* Item Jo. Gallus multis locis; quæst. 45. 52 291. 385. Guillelmus de Cuneo Doctor Tolosanus in L. de his. C. de Episcop. & Cleric. Boër. qu. 69. num. 7. Molin. Consil. 12 num. 8. Lucius L. 2. tit. 2. art. 17. Chopin. de sacra Polit. libr. 2. tit. 1. num. 6. Mynsinger. centur. observ. 22. Nec abs jure actiones possessoriæ tribuuntur foro seculari; quia possessio quæ est facti magis quàm juris, est merè civilis & corporalis, nihil habet spirituale, de ea lege agendum est, id est jure Civili non Pontificio, & consequenter apud Judicem civilem, non apud Judicem Ecclesiasticum; Augustin. de altercat. Ecclesiæ & Synagogæ: *Lege agatur, quia de possessione contentio est.* Eadem ratione actiones hypothecariæ fori secularis sunt, quia actio hypothecaria est actio in rem, quæ pertinet ad evocandam possessionem pignoris; L. pignoris. ff. de pignorib. L. pignoris. C eod. L. si cùm venditor. ff. de evict. licet concurrat cum personali actione, & una actio nihil habet commune cum alia, ex quo remissa actione hypothecaria, debitor non liberatur, quia tenetur personali; L. 1. C. de pignorib. Moribus nostris etiam actio de spolio pertinet ad judicem secularem, quia est actio possessoria, Marc. qu. 1059. & seq. part. 1.

Quæstio quoque de feudo Laïco inter Clericos non pertinet ad judicem Ecclesiasticum sed ad Dominum feudi; cap. cæterùm, de judic. cap. ex transmissa cap. verum, de foro compet. cap. Romana. §. debet. de appellat. in 6. Hinc Vvillelmus Camerarius Conventus apud Episcopum Lincolnienſem nomine Ecclesiæ de Luiton, is Episcopum judicem detrectavit, quod Ecclesiam feudi jure possideret Matth. Paris. in hist. Abbatum S. Albani in Roberto Abbate. *Ad diem eis positum Vvillielmus non venit, sed misit nuntio qui dicerent ipsum nolle sistere se judicio coram Episcopo de Ecclesia quam non in eleemosyna, sed pro militari servitio hæreditariè possidebat.* Unus casus singularis est, in quo quæstio feudi Laïci transferebatur ad forum Ecclesiasticum, si forte esset mili-

tum in expeditione sacrâ agentium, qui censebantur fori Ecclesiastici quamdiu militarent, quòd positi essent sub tuitione Ecclesiasticâ : Ivo Carnot. epist. 173. epist. Eugenii III. apud Otton. Frisingens. de gest. Frideric. libr. 1. epist. cap. 35. & Innocent. III. libr. 1. 371. *Die statutâ ventum est ad causam, obtulit se ad judicium Rotrocus. Secundùm ordinem gestarum rerum dixerunt petitores qui pro Hugone loquebantur, se nolle ad hanc causam ingredi, nisi priùs eis satisfaceret de eo, quòd non erat intermissa ædificatio munitionis, & recredita redemptio Ivonis. Responsum est ex parte Rotroci, neutrum debere fieri, quia munitio illa ei adjudicata erat in curia Comitissæ de cujus feudo erat, cum judicio Ecclesiæ ad prædictam curiam hæc causa translata esset, & prædictus Hugo pro peregrinatione Ivonis minimè erat reddendus, cùm prædictus Ivo Rotrocum Dominum suum diffiduciasset, & prædam ejus prior cæpisset, homines suos eâ die quâ captus est in vinculis haberet, & ad forisfaciendum eidem armatâ manu militum eo die procederet.*

## CAPUT VIII.

*An causa possessorii Beneficiorum de jure spectet ad Judicem Ecclesiasticum. An eadem in Gallia ex lege Regni, vel consuetudine, vel privilegio Apostolico spectet ad Judicem laïcum. An Judex Ecclesiasticus in petitorio possit ferre contrariam sententiam, ei quæ dicta est à Judice laïco in possessorio : Reprehenditur Fevretius.*

JURE communi Judex secularis non potest cognoscere de possessorio Beneficii Ecclesiastici : sed utrumque id est tam possessorium, quàm petitorium spectat ad Judicem Ecclesiasticum eodem jure, triplici potissimum ratione. Prima est, quia possessio nititur seu justificatur ut loquuntur, ex titulo qui est merè spiritualis, sine quo Beneficium obtineri non potest ; cap. 1. de regul. jur. in 6. Unde collatio Beneficii dicitur canonica institutio ; cap. in litteris, de restitut. spoliat. & Beneficia Ecclesiastica dicuntur Canonicæ vel Ordines ; can. ex multis. 1. qu. 3. quòd conferrentur in ipsa Ordinatione & ratione ordinationis, ac Ordinatio quæ tota est spiritualis non fieret sine titulo ; can. neminem. can. sanctorum. 70. dist. Licet verò Beneficium Ecclesiasticum habeat nonnihil temporale, putà fructus & obventiones ; tamen uno & indivi-

duo tituli ſpiritualis jure cenſendum eſt, quia fructus & obventiones ſunt acceſſiones quæ aſſumunt naturam tituli; L. eos qui. C. de uſur. Et quòd temporale & prophanum eſt in Beneficio, extinguitur & conſumitur confuſione cum jure ſpirituali; quia majùs dignum trahit ad ſe minùs dignum; cap. per tuas, de arbitr. cap. quod in dubiis, de conſecr. Eccleſ. vel Altar. Unde cauſæ beneficiales cenſentur inter ſpirituales quæ non requirunt ſolemnem ordinem judiciorum, id eſt, ſolemnia judiciorum forenſium; Clem. diſpendioſam. de judiciis. Secunda eſt, quia poſſeſſorium beneficii habet admixtam cognitionem juris ſpiritualis, nec poteſt diſceptari niſi causâ cognitâ ex titulo; cap. tuam, de ordine cognit. cap. cauſam quæ. qui filii ſint legitim. Gloſſ. in Clem. unic. de cauſ. poſſeſſion. & proprietat. Adeoque ex Conſtitutionibus Regiis illi vel illi addicitur prorſus ex fide vel potiùs colore titulorum. Quo pacto igitur fiet, ut Judex ſecularis cognoſcat de poſſeſſorio Beneficii, quod tentari non poteſt, quin falcem mittat in meſſem alienam, id eſt, in notionem tituli, qui eſt merè ſpiritualis, & fori ſui expers. Tertia eſt, quòd utroque jure cauſa poſſeſſionis & proprietatis, apud eundem Judicem tractanda eſt, nè continentia litis dividatur; L. nulli. C. de judic. L. ordinarii. C. de rei vindicat. cap. 1. de cauſ. poſſ. & propriet. & nè diverſæ ſententiæ ferantur, ſi res eadem diſceptetur diverſis in tribunalibus; Nov. 96. cap. 2. cap. 1. de ſequeſtrat. poſſeſſ. & fruct. cap. diſpendia, de reſcript. in 6. Cùm ergo cauſa proprietatis ſeu juris Beneficii ſpectet ad Judicem Eccleſiaſticum, cauſam poſſeſſionis quæ eſt tantùm præparatoria, ad eum non ſpectare non poteſt.

In Galliâ tamen ex uſu forenſi Judex ſecularis cognoſcit de poſſeſſorio beneficii, ſalvo petitorio judici Eccleſiaſtico quod ſatis ferendum viſum eſt, quia poſſeſſorium rei ſpiritualis continet quid temporale; cap. ult. de judic. cap. litteras, de reſtit. ſpoliat. can. petimus. 11. qu. 1. Gloſſ. in cap. litteras, de juramen. calumn. & cauſa poſſeſſionis de re ſpirituali, non eſt merè ſpiritualis: Joan. Andreas in cap. frequens, de reſtitut. ſpoliat. in 6. Nec ſingulare fuit hoc jus in Galliâ; nam & Florentinam poteſtatem (ſic vocant Magiſtratum majorem) de poſſeſſione juris eligendi Rectorem inter Abbatem & Conventum S. Mariæ, & commune Caſtri de Signa ex conſuetudine cognoviſſe patet; ex d. cap. ult. de judic. Quo verò jure Judex ſecularis in Galliâ cognoſcat de poſſeſſione beneficii an lege Regni, an ex conſuetudine, an ex privilegio Apoſtolico, nimis invidioſum fortè erit diſputare hoc loco. Magiſtratus ſeculares hoc jure uti, jure regio ſeu lege regni voluit Fevret. libr. 4. cap. 8. num. 15. At ſalvâ reverentiâ Majeſtatis regni, quæ non colitur mendacio ſed veritate, hoc jus uſu celeberrimum fuit in Galliâ, ante-

quàm ulla lex de eo promulgata esset: nec enim seniores de eo novimus leges quàm Constitutiones Caroli VII. & Francisci I. quæ Judicibus secularibus tribuant cognitionem possessorii beneficiorum. Priores Reges his abstinuisse, testimonio est quòd Ludovicus Junior ubi audivit Henricum II. Anglorum Regem cogitare de amovendo à sede suâ Thoma Archiepiscopo Cantuariensi, nefas horruit, palàmque obtestatus est se non sustinere vel minimum è Clericis regni sui destituere, ut narratur in vita S. Thomæ libr. 2. cap. 6. *Certè*, inquit, *sicut Rex Anglorum, ita & ego Rex sum; & tamen minimum de Clericis mei regni deponere ego non valerem.* Ineptiùs Guido Pap. quest. 1. & 552. & post eum Rebuff. in Constitut. regias tractat. de sentent. executor. Gloss. 1. num. 2. & Gregor. Syntagmat. libr. 47. cap. 21. num. 25. & alii sibi suasêre hoc jus competere Magistratibus secularibus ex privilegio Apostolico, id est, ex rescripto Martini V. Pontificis. Rescriptum enim Pontificium non tribuit ullum jus Regi & Judicibus suis super cognitione possessorii in beneficiis Ecclesiasticis, sed juri regio quod competebat ex antiqua consuetudine non derogat, ut liquidò profitetur Pontifex his verbis rescripti: *Cùm autem pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum illustris, nuper nobis fuit expositum, quòd à nonnullis vertitur in dubium, an per hujusmodi nostram concessionem derogare voluerimus juri & jurisdictioni Regiæ, præsertim in casu possessorii retinendæ possessionis, super suis Ecclesiis & Beneficiis Ecclesiasticis suorum Regni Franciæ, & Delphinatûs Viennensis, per quam jurisdictionem præfatus Rex sibi asserit licere in omni casu etiam juridicè tueri possessores. Nos ad omne ambiguitatis tollendum dubium super his opportunè providere volentes, ejusdem Regis in hac parte supplicationibus inclinati, autoritate Apostolicâ tenore præsentium declaramus, nostræ intentionis non fuisse, neque esse per dictam aut per aliam quamcumque Constitutionem eidem Regi & Regiæ jurisdictioni, per quam, ut asseritur, tam Rex quàm sui Progenitores super omni possessorio à tanto tempore citra quod de ejus contrario memoria hominum non existit, consueverunt cognoscere, in aliquo derogari voluisse aut velle quoquomodò, &c.* Et licet rescriptum à Pontifice emissum sit precibus Caroli VII. Regis, nequaquàm id impetratum novelli juris acquirendi, vel veteris tuendi gratiâ; sed ut tolleretur scrupulus, an Pontificis animi fuisset priori quadam Constitutione quæ lata erat libertatis Jurisdictionis Ecclesiasticæ in gratiam, derogare juri seu consuetudini Galliæ ex qua Judices Regii solebant cognoscere de possessorio in beneficiis Ecclesiasticis, & ita fortè sensit Duarenus de minister. Ecclesiastic. libr. 7. cap. 11. Vero propius est quod placuit Benedicto in cap. Raynut. in verb. & uxorem decis. 2. num. 39. Boërio. quæst. 69. Feraldo de privileg. Reg.

Franc. privileg. 11. & Ferrerio in d. queſt. 1. Guid. Pap. hoc jus ortum ex conſuetudine, quam probarunt Pontifices Martinus V. & Leo X. & hoc ſatis probatum eſt ex verbis reſcripti Martini quibus commendatur antiqua conſuetudo Regni : nec fides reſcripti hac in re tentari poteſt, cùm editum ſit inſtante Carolo VII. à quo quærebatur an priori Conſtitutione Pontifex intendiſſet derogare conſuetudini Regni, in cognitione poſſeſſorii beneficiorum. Nec ullo pacto autoritati Regiæ officit hæc ſententia : nihil intereſt Principis, an ex lege an ex conſuetudine jus iſtud manarit ; in Gallia enim conſuetudo præſcripta maximè in his quæ ſunt juris publici, vicem legis obtinet, & Juriſdictionem tribuit etiam perſonis incapacibus, putà clariſſimis fœminis ; Innocent. III. Pariſienſis alumnus, rerumque Gallicarum peritiſſimus in cap. dilecti, de arbitr. *Juxta conſuetudinem adprobatam quæ pro lege ſervatur in partibus Gallicanis, fœminæ præcellentes in ſubditos ſuos ordinariam Juriſdictionem habere noſcuntur.* Et ita valuêre priſcæ conſuetudines in Gallia, ut Legis Salicæ appellatione cohoneſtarentur : & quòd feudum Lege Salicâ amitti dixit Suger. in vit. Ludovici Craſſi ; *aut jure pro injuriâ caſtrum lege Salicâ amittere*, non aliter accipi poteſt quàm de conſuetudine Regni ; feuda enim prorſus ignota fuêre Legi Salicæ, & ejus ætati, nec alio jure feuda nituntur quàm conſuetudine & regalia ſunt jura lege vel conſuetudine introducta ; cap. ſuper quibuſdam. de US. Igitur ex conſuetudine cognitio poſſeſſorii Beneficii Eccleſiaſtici pertinet ad Judicem ſecularem, non ad Eccleſiaſticum. Ubi verò Judex ſecularis ſuper poſſeſſorio pronunciavit, adeundus eſt Judex Eccleſiaſticus petitorii, id eſt, cauſæ proprietatis ſeu juris beneficii explicandæ causâ ; quod tamen ante fieri non poteſt, quàm judicium de poſſeſſorio completum ſit, & ſententia executioni demandata ex Conſtitutione Regiâ anni 1539.

Judex Eccleſiaſticus verò in petitorio liberam habet poteſtatem judicandi, non tenetur ſequi ſententiam à Judice ſeculari latam ſuper poſſeſſorio ; non enim hac in re judicat ex formula Prætoris, ſed proprio jure : Ambroſ. epiſt. 64. *Ergo judicandi accepiſti formulam, quales illi qui volunt præſcribere Sacerdotibus quod ſequi debeamus.* Et hoc loco libertati Eccleſiaſticæ prorſus repugnat quod refert Fevretius, ſi in petitorio à Judice Eccleſiaſtico contraria ſententia lata ſit, appellare licere tamquam ab abuſu ; quia ſententia Judicis ſecularis ſuper poſſeſſorio non tollit Judici Eccleſiaſtico poteſtatem judicandi in petitorio, nè luſorium ſit & inane judicium petitorii, & fruſtrà ex ipſa Conſtitutione Regiâ Judici Eccleſiaſtico reſervetur petitorium, ſi non liceret causâ cognitâ judicare ex animi ſententia, prout meliùs & æquiùs viſum fuerit. De jure etiam ſententia lata ſuper poſſeſſorio, non occupat libertatem Judicis in petitorio,

torio, quia causa possessionis nihil commune habet cum proprietate; L. naturaliter. §. nihil commune. ff. de adquir. possess. Sententia dicta super possessorio, non habet vim & autoritatem rei judicatæ; causa possessionis dicitur momentum seu possessio momentanea, & celeris reformatio, id est, possessio brevi duratura propter periculum reformationis; L. unic. C. si de moment. possess. fuer. appellat. L. si coloni. C. de Agricol. & censit. L. 4. C. Th. unde vi. Unde sententia super possessorio statim quidem executioni mandanda est, etiam si appellatum sit, ita tamen ut integra omnis proprietatis causa servetur; d. L. unic. & sententia super possessorio, non obstat agere volenti de proprietate, cap. cùm olim. de caus. possess. & propriet. cap. querelam. de Elect. Non immeritò certè, quia judicium possessorium est summarium quod fertur causâ summatim cognita, nec debet præjudicare petitorio, in quo ferenda est sententia causâ plenius cognitâ, nec debet pendere conscientia judicis ex alieno arbitrio. Constitutione Regiâ petitorium relinqui Judici Ecclesiastico, non negatur nec negari potest; sed eam non usu & desuetudine sublatam contenditur. Non destruitur lex, sed luditur; victus in possessorio non solet agere in petitorio apud Judicem Ecclesiasticum, an ergo non potest agere, *si injuriâ victus sit?* Reservatio petitorii est auxilium juris quod patet omnibus & beneficium legis contra quam præscribi, vel cui privatorum consensu tacito, vel expresso derogari non potest. Constitutio Regia quâ petitorium in Beneficiis integrum relinquitur Judici Ecclesiastico, est titulus vigilans qui perenni custodiâ & sollicitudine tuetur Jurisdictionem Episcopalem, & impedit præscriptionem. Judex secularis cognoscit tantùm de possessorio: emenso possessorio licet Judex Ecclesiasticus destituatur in petitorio, non amittit suam Jurisdictionem, quia nihil obstat Jurisdictioni Ecclesiasticæ, si partes acquiescant sententiæ latæ à judice seculari in possessorio, quòd justa & legitima videatur, vel si abstineant à prosecutione petitorii apud Judicem Ecclesiasticum tædio litis, vel difficultate sumptuum & necessitate rei familiaris, petitorii cognitio à Judice Ecclesiastico præscriptione vel infrequentiâ conventionis amitti non potest, quamdiu Judex secularis, possessorii judicio se continet; quia Dominus nullo tempore amittit possessionem rei suæ, interim dùm alius non possidet; L. licet L. ult. C. de acquir. possess. Neque res judicata super possessorio ullo tempore transit in vim judicati super petitorio, quia cùm cognitio petitorii in beneficiis sit merè spiritualis, laïci eam nullo tempore præscribere vel suam facere possunt; cap. ad nostram, de consuetudine, cap. contingit, de arbitr. cap. decernimus, de judic. Denique possessorium non tollit petitorium, nè lites trahantur, & ut parcatur sumptibus par-

tium, quia multò magis publicè intereſt, ut ſua unicuique Juriſdictio ſervetur. Totus ordo confunditur ſi ſua cuique Juriſdictio non ſervetur; can. pervenit. 11. qu. 1. Et certè re in judicium deductâ in ea valdè laboravit Senatus Pariſienſis & quò ſe expediret, rem miſit in conſilium.

## CAPUT IX.

### *An Judex ſecularis cognoſcat de adipiſcenda poſſeſſione in Beneficiis Eccleſiaſticis. An idem cognoſcat de cauſis refutûs Litterarum quas vocant* Viſa, *ſuper proviſionibus Pontificiis.*

MORIBUS noſtris non incivile eſt Judicem ſecularem cognoſcere de poſſeſſione retinenda, vel recuperanda in Beneficiis Eccleſiaſticis, ſalvo utique petitorio Judici Pontificio. De interdicto autem adipiſcendæ poſſeſſionis non conſuevit Judex ſecularis cognoſcere, quia plus habet petitorii quàm poſſeſſorii, plus ſpiritualitatis quàm temporalitatis; Guido Pap. quæſt. 1. Duarenus de ſacr. miniſter. lib. 7. cap. 11. Nimirum non poteſt quis adipiſci poſſeſſionem Beneficii Eccleſiaſtici, ſine canonico titulo; cap. ex frequentibus, de inſtitut. cap. 1. de regul. jur. in 6. & intruſus dicitur, quiſquis nactus eſt poſſeſſionem Beneficii ſine titulo; cap. cùm jam dudum, de præbend. Hujuſmodi improbos poſſeſſores Eccleſiarum pædagogos & incubos notæ causâ vocitat Ivo Carnotenſ. epiſt. 66. *Turonenſis enim Archiepiſcopus prædictæ Eccleſiæ pædagogus & incubus, in Natale Domini Regi contra interdictum veſtrum coronam imponens, hac arte à Regi obtinuit, &c.* Et idem epiſt. 98. *Hoc enim modo & vos & Eccleſiam veſtram à multiplici pædagogorum invaſione liberabitis.* Pædagogi & incubi dicuntur intruſi incubare dicitur qui dolo vel vi poſſidet rem alienam, Servius in illud 1. Æneid. *Ponto nox incubat atra. Incubare*, inquit, *dicitur per vim rem alienam tenere.* Hoc jure ſi agatur de adipiſcenda poſſeſſione beneficii Epiſcopus poteſt vetare, nè quis ingrediatur poſſeſſionem beneficii abſque titulo, & idem poteſt compellere incubatores ſeu detentores beneficiorum exhibere titulos; cap. ordinarii, de offic. ordin. in 6. extravag. ut quos eod. tit. Conc. Trident. ſeſſ 7. de reformat. cap. 5. Epiſcopus quidem non poteſt cognoſcere de meritis & viribus tituli, an canonica ſit inſtitutio, an collatio ſit ab habente poteſtatem, nè indirectè ſe ingerat

cognitioni poſſeſſorii quæ eſt fori ſecularis ; ſed nihil vetat Ordinarium compellere ſubditos ut doceant de titulo, nè toleretur vitium intruſionis, & impunè ſit intruſis, quos ut fures & latrones deteſtatur Leo IV. in epiſt. ad Veronem Ducem Britanniæ : *Non furem nec latronem qualem Gillandum eſſe ſenſimus in Nannetica ſede, qui viventis quòd non licuit locum non timuit uſurpare, pro cujuſcunque muneris donis ultra debes defenſare* ; can. non furem. 7. qu. 1.

Quòd ſi Epiſcopus renuat conferre beneficia ad ſuam collationem ſpectantia, vel interponere litteras quas vocant *Viſa* ſuper proviſionibus Pontificiis, Judex ſecularis non poteſt cognoſcere de cauſis repulſæ ſeu refutûs, nec eum compellere ad conferendum, vel concedendum *Viſa* captis pignoribus ; ſed adeundus eſt ſuperior Eccleſiaſticus ex Conſtitutione anni 1571. art. 11. Bleſenſ. art. 64. Pariſ. art. 22. Nec in rebus judicandis habetur ratio hujuſmodi collationum vel litterarum quas vocant *Viſa*, ſi ab Ordinario per Judicem ſecularem elicitæ ſint vi compulſorii ſeu capionis pignorum ex Conſtit. Melodunenſi art. 16. Hodiè quidem ſeculares Judices abſtinent ab hujuſmodi compulſoriis, nè contemni videantur Conſtitutiones Regiæ ; ſed Ordinario recuſante & poſt eum proximiori, poſt alteram conventionem ſolent permittere proviſis ingredi poſſeſſionem beneficii adhibito executore laïco, nè committatur noxa intruſionis. Hoc pacto facilè per obliquum illuditur Conſtitutionibus Regiis & lethale vulnus infligitur libertati Eccleſiæ ; tum quia Ordinarius qui in hac re fungitur officio judicis dati à Sede Apoſtolicâ cum formulâ ſolemni in forma dignum, non habet liberam poteſtatem judicandi, an proviſus ſit capax beneficii nec nè ; cognitio enim capacitatis quæ eſt merè ſpiritualis, à Judice ſeculari aufertur Judici ſuo ; tum quia proviſus mittitur in poſſeſſionem beneficii per laïcam manum contra Canones ; inſtitutio enim corporalis, id eſt, miſſio in poſſeſſionem tàm in Beneficiis minoribus quàm in Dignitatibus, & inſtallatio Abbatum de jure pertinet ad Archiepiſcopum ; cap. ad hæc cap. ut noſtrum. de offic. Archidiacon. cap. cùm veniſſent, de inſtitut. cap. in tantum de Simon. Jo. Sariſber. epiſt. 1. *Et per Archidiaconum Epiſcopi ut mos eſt in poſſeſſionem liberam canonicè introductum.* Hodiè proviſus de beneficio mittendus eſt in poſſeſſionem per Preſbyterum vel Clericum, quia miſſio in poſſeſſionem beneficii Eccleſiaſtici quæ fit in vim tituli canonici, eſt magis juris quàm facti, magis ſpiritualis quàm temporalis ; Rebuff. in prax. part. 1. tit. de miſſion. in poſſeſſ. num. 11. & tribus. ſeqq. Et certè Judex ſecularis injuriæ ſibi conſcius, diffidentiùs hoc jure utitur, miſſio enim hujuſmodi in poſſeſſionem quæ datur ex edicto Judicis ſecularis, non tribuit poſſeſſionem realem, ſed civilem &

festucariam, quæ prodest dumtaxat ad impediendam vacationem beneficii, nec adquirit potestatem ministrandi, vel percipiendi fructus, neque agendi in jure judicioque de possessione beneficii, donec litteræ executoriæ quas vocant *Visa* fuerint obtentæ. Unico colore hoc jus novum & insolens defenditur, quòd remedii loco excogitatum sit propter duritiem Episcoporum. Culpanda certè durities Episcoporum si qui disciplinæ studio, vel proprio ingenio acerbiores existant quàm sit; sed non temerè & facilè malè cogitandum de Episcopis: Augustanum Episcopum proditionis patriæ insimulatum statim restituit Theodoricus: *Nihil enim*, inquit apud Cassidiorum variar. epist. 9. *in tali honore temerariâ cogitatione præsumendum est, ubi si proposito creditur, etiam tacitus ab excessibus excusatur: manifesta proinde crimina in talibus vix capiunt fidem.* Quàm tutius est malè cogitare de Clericis ab Episcopo repulsam passis, quibus displicet diligentia Episcopi in provisorum examine. Placet Episcopus cujus negligentia electa est, ut impunè sit: Conc. African. can. 88. can. placuit 16. qu. 3. O quàm infœlix sors Episcoporum, quorum fama maledictis & calumniis laïcorum, passim exposita est. Bonus Episcopus qui Clericorum malis moribus parcit; malus qui eos in officio & obsequio continet. His de causis quotidiè Episcopus ab altari ad tribunalia publica vocatur famæ purgandæ causâ: Has vices Episcoporum meritò dolet Augustin. in Psalm. 128. *Faciat aliquid mali, non objurget Episcopus, bonus est Episcopus; objurget Episcopus, malus est Episcopus.* Et cumque sit etsi Clericus in examine & scrutinio injuriam patiatur ab Episcopo, non sine injuriâ remedium extraordinarium petit è curiâ, cùm legitimum & ordinarium ei pateat de jure, nimirûm recursus ad Superiorem, id est, Metropolitanum, quem non negat etiam Regia Constitutio. Curanda sunt vulnera Ecclesiæ, si quæ sint, non ferro & igne, sed salutari pharmaco, Ecclesia sua remedia novit, aliena nè ingeras potiùs venena, quàm medicamenta.

# CAPUT X.

## *An Judex Ecclesiasticus cognoscat Clericos de reliquis censûs pensionis, vel reditûs constituti personali actione conventus. An Judices seculares tuti sint consuetudine de occupatione Jurisdictionis Ecclesiasticæ.*

JUDICEM Ecclesiasticum cognoscere de actionibus personalibus, non de realibus in Clericos, juris antiqui & perpetui est. Inde nascitur quæstio an pro reliquis censûs, pensionis, vel reditûs pecuniâ constituti, Clericus conveniendus sit apud Judicem Ecclesiasticum, an apud secularem. E forensibus quamplures opinantur, eo nomine agendum apud Judicem secularem, quia medium est reale, id est, causa petendi est realis, census est onus reale, onus prædii non personæ; in vectigalibus & tributis magis conveniuntur ipsa prædia, quàm personæ; L. Imperatores. ff. de publican. L. cum possessor. de censib. L. 2. & ult. C. sine cens. vel relig. fund. comparatur. non poss. Et licet census petatur actione personali, hac quodammodò pro reali habetur, quòd oriatur ex contractu censuali spectante ad rem prædiariam; causa & origo obligationis spectanda est potiùs quàm titulus actionis, L. qui id quod. ff. de donat. L. facta. ad Trebell. L. clam possidere. de adquir. possess. L. Tutor. de fidejuss. L. 3. c. ad Macedon. Licet tamen census debeatur nomine prædii, & præstetur à personis propter res, duplex pro eo competit actio, nempè actio in rem, quæ convenit rem non personam, pro qua adiri oportet Judicem secularem, & actio personalis qua convenitur persona non res, quia datur ex contractu, nimirùm omnes actiones ex contractu sunt personales; L. actionem. ff. de obligat. & act. & in hujusmodi actione ut in aliis actionibus personalibus Clerici conveniendi sunt apud Judicem Ecclesiasticum: cùm enim reliqua census petantur actione personali nihil vetat adiri Judicem Ecclesiasticum qui est proprius & competens Judex Clericorum in omnibus actionibus personalibus, etiam ex constitutionibus Regiis: & hanc partem acriter defendit Jo. Gallus quæst. 52. *Et credo*, inquit *istam partem pro qua placitavi, ut Evangelium veram, quicquid dicatur & fiat.* In eandem sententiam in reditibus pecuniâ constitutis pedibus ivit Molin. de usur. qu. 11. num. 154. Contrarium usum publicorum tribunalium probant Aufrer. de potest. seculari regul. 2. fall. 4. Benedict. in cap. Raynut. in verb. & uxorem. decis. 2. num.

34. Rebuff. tract. in quib. casib. num. 79. Fevret. libr. 4. cap. 8. num. 22. licet minùs propitius libertati Ecclesiæ fateri compellitur, si pro reliquis censûs personali actione agatur cum Clerico rem de jure esse fori Ecclesiastici, sed alio jure utimur, inquit; id est vim & injuriam quæ à laïco judice fit Ecclesiæ, contrario usu & consuetudine defendit, quod pessimum profecto est genus defensionis. Non valet parva consuetudo contra libertates Ecclesiæ, quæ non dicenda est consuetudo, sed corruptela; cap. ult. de consuetud. Milites & negociatores habent suos judices, nec eis de privilegio fori movetur invidia: Clerici suum nacti sunt judicem, meritis Ordinis & sacræ militiæ, & totus orbis commovetur, ut tollatur eis privilegium, id est, præmium laborum. Quid facient infœlices Clerici? Si præscriptionem fori tueantur auctoritate Canonum, legibus adversùm eos pugnatur; si legum auxilium invocetur à Clericis, statim eis objicitur consuetudo quæ destruat Leges & Canones. Incerto jure vagamur, laudamus leges si prosint, secùs provocamus ad capitula; causas nostras non juri, sed jura causis servire, & velut plumbeam regulam accommodari volùmus, & hæc inveterata Reipublicæ labes quam deploravit Hincmarus in epist. ad Episcopos Franciæ cap. 15. *Quandò enim sperant aliquid lucrari, ad legem se convertunt, quando verò per legem non æstimant acquiri, ad capitula confugiunt, sicque interdùm fit, ut nec capitula pleniter conserventur sed pro nihilo habeantur, nec lex.*

Caveant Judices super his & cogitent quia non vilis est auctoritas consuetudinis, sed non ita valet ut rationem vincat aut legem; L. 2. C. quæ sit longa consuetud. Adversùs veritatem quæ est parens justitiæ nullo tempore præscribitur; Tertul. de veland. Virginib. cap. 1. *Hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum non patrocinia personarum, non privilegium regionum.* Et prava consuetudo non lex, sed vetustas erroris est; Cyprian. magistrum secutus epist. 74. ad Pompeium: *Consuetudo quæ apud quosdam obrepserat impedire non debet, quominùs veritas prævaleat & vincat; nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* Can. consuetudo. 8. dist. Denique consuetudo à jure aliena, non consuetudo dicenda est, sed corruptela, cap. ult de consuetud. nec umquam parit præscriptionem, cap. ult. de præscrip.

# CAPUT XI.

*An Judex Ecclesiasticus possit cognoscere de solutione pensionis beneficiariæ. Episcopis olim licuit imponere pensiones beneficiis certis de causis. Congruæ portionis cognitio an spectet ad Episcopum.*

Judex Ecclesiasticus etiam potest cognoscere de solutione pensionis impositæ Beneficio Ecclesiastico, pluribus rationibus. Primò, quia pensio Beneficiaria, inspectâ causâ & origine reservationis pensionum, est onus personale, quod non imponitur Beneficio, sed personæ propter Beneficium, nec transit in successorem, nè Beneficium scindi videatur; cap. nisi essent, de præbend. cap. ut nostrum. ut Ecclesiastic. benefic. sine diminut. conferant. can. si quis præbendas. 1. qu. 3. Secundò quia pensio petitur actione personali, ex pacto partium homologato à summo Pontifice, ex quo nascitur actio personalis; cap. audivimus, de collusione detegend. cap. extirpandæ. §. qui vero. de prebend. Tertiò quia jure communi Episcopus potest imponere pensionem Beneficio ex justa causa, putà pro Clericis benè meritis de Ecclesiâ; can. possessiones. 16. qu. 1. Guid. Pap. qu. 179. Gigas. de pensionib. qu. 6. Rebuff. de pacifi. possessor. num. 120. Garcias de benefic. part. 1. cap. 5. num. 173. Ac licet hodiè potestas imponendæ pensionis Beneficiis usu devoluta sit ad Pontificem, nihil vetat Episcopum cognoscere de solvenda pensione, quia origo potestatis Episcopalis spectanda est. Quartò in Gallià debitor pensionis non potest compelli ad solvendam pensionem, per alium quàm per Ordinarium, id est Episcopum; Pragmat. in §. item quod ratione, de Annat. & si condemnatio emitteretur per executorem in litteris appellandi jus esset tamquam ab abusu; Benedict. in cap. Raynut. in urb. si absque liberis. in 2. de fideic. substit. num. 39. Rebuff. de pacific. possess. num. 146.

Juris antiqui etiam fuit Beneficiis Ecclesiasticis pensiones imponi ab Episcopis. In Concilio Matisconensi depositio Faustiano Aquensi Episcopo, Palladius Santonensis & Orestes Vasatensis Episcopi ipsius Ordinatores damnati sunt annuam pensionem centum nummorum alternis ei præstare; Gregor. Turonens. lib. 8. cap. 20. *Faustianus autem qui*

*ex jussu Gundovaldi Aquensis urbis Episcopus Ordinatus fuerat, eâ conditione removetur, ut Orestes sivè Palladius qui eum benedixerant, victibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent.* Quintianum Ruthenensem Episcopum à Gothis sede suâ pulsum comiter suscepit Euphrasius Arvernensis Episcopus, eique domum & prædia sustentationis causâ præbuit: idem Turonens. libr. 2. cap. 36. *Unde factum est ut Quintianus Ruthenorum Episcopus per hoc odium ab urbe deponeretur. Et mox: De nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis, ab urbe Ruthena egrediens ad Arvernos venit, ibique à sancto Eufrasio Episcopo, qui quondam Aprunculo Divionensi successerat, benignè susceptus est, largitisque ei tam domibus quàm agris & vineis secum retinuit.* Clericos alienos sede suâ pulsos, vi barbaricâ, Episcopus potest suscipere in Ecclesiis suæ Diœcesis, eisque pensiones assignare; Conc. Chalced. can. 20. Aliquandò & pauperibus Laïcis, vel Antistibus qui thronos suos amisissent, locupletioribus in Monasteriis præbendas assignari Patriarchæ CP. juris fuit ex Nov. Alexii Comneni quam intexuit Balsamo in can. 19. Synod. 7. & idem libr. 7. Respons. de Privileg. Patriarchar. Eodem jure & Simplicius Pontifex Gregorio, quem invitum Mutinensem Episcopum ordinavit Joannes Ravennas Episcopus, fundum in agro Bononiensi reditûs triginta solidorum è censu Ravennatis Ecclesiæ, subsidium tenuitatis Episcopatûs in diem vitæ impertivit: testem habemus ipsum Simplicium epist. 2. *Nam scandalum cujus author cognoscens, ita moderatio nostra compescuit ut frater & Coepiscopus meus Gregorius, quem non provectum constat esse, sed pulsum, nullam causam sicut petit tecum habiturus, Mutinensem gubernet Ecclesiam, & contubernium spiritale quod sortiri non oportebat invitum, non recuset amplecti: Necessitatibus etiam, quas faciente te compellitur sustinere, hac definitione consulemus, ut refuso prædio quod ante annum sibi datum esse commemorat, atque ad Ecclesiam Ravennatem reverso, possessio in Bononiensi triginta solidorum reddituum liberorum sine dubitatione tradatur in diem scilicet vitæ ejus, salvo proprietatis jure Ravennatis Ecclesiæ, ad quam post prædicti obitum revertetur.* Ex usu forensi tamen Senatus Tolosanus & Parisiensis per modum provisionis cognoscant de solvendis pensionibus beneficiariis; Maynard. libr. 1. cap. 43. Chopin. de sacra polit. libr. 3. cap. 2. num. 17. Injuriæ color quæritur favor alimentorum, quòd non patiantur dilationem, L. ult. C. de ordin. cognit. sed tristi Beneficio consulitur alimentis Clericorum, quod damno Jurisdictionis & libertatis Ecclesiasticæ redimitur.

Eodem jure cognitio portionis congruæ quæ debetur Vicariis perpetuis ſuper reditibus Parœcialium Eccleſiarum ſpectat ad forum Epiſcopi ; cap. avaritiæ. cap. de Monachis. cap. extirpandæ. §. qui verò, de præbend. cap. ult. §. ubi autem, de decim. in 6. Clem. 1. de Jur. Patronat. Innoc. III. regiſtr. 13. ep. ult. idque non unâ ratione. Prima eſt quia Epiſcopi eſt providere ut congruaportio tribuatur Clericis, è qua Epiſcopalia jura perſolvere, hoſpitalitatem colere, & congruam habere poſſint ; d. cap. de Monachis. & cap. 2. de ſuppl. neglig. prælat. & congrua portio Clericorum non poteſt minui ſine conſenſu Epiſcopi ; d. cap. avaritiæ. cap. prohibemus. de Cenſib. Hac de cauſa Monachos quòd in Eccleſiis ad eos pertinentibus ad nihilum ferè redigerent portiones Vicarii perpetui, acriùs corripit Arnulfus Lexovienſ. epiſt. 69. ad Alexand. III. *Eſt quiddam quod tam meam quàm alias vehementer angit Eccleſias, quorum lam ſcilicet rapax & intemperans audacia Monachorum, qui quò liberiùs effluant, ſeculàris potentiæ præſidia redimentes primò Epiſcopis omnem obedientiam ſubtrahunt, & Parochiales Eccleſias cum altariis & decimationibus, cæteriſque beneficiis de manu Laïcâ recipere pactis quibuſlibet ſacrilegâ temeritate præſumant. In his ergo ab eis nec Canonicus ordo, nec Epiſcopalis aſſenſus exigitur, ſed devocatis ad proprietatem omnibus, Mercenarios in tantâ paupertate ibi conſtituunt ſacerdotes, ut ad exhibitionem ſuam, & ad onera Eccleſiæ portanda non habeant quod opilioni ſufficeret aut curſori: generale eſt hoc. Sed in Epiſcopatu meo vehementiùs hæc eſt graſſata malignitas, nec jam nobis cujuſlibet rationis obtentu, ſed fallaciis ac muneribus nobis præſidioque violentiæ ſecularis obſiſtunt, ad quod ſecundùm ordinem inſtitutionis Eccleſiaſticæ reformandum, cùm ego adverſùs Abbatem quendam & Monachos Monaſterii cujuſdam in Epiſcopatu, ſcilicet ſancti Ebrulfi, à ſublimitate veſtra primos, ſecundos & tertios Judices impetraverim, Abbate ſemper multis artibus obſiſtente, nihil eſt adhuc effectui mancipatum, cùm Sacerdotes noſtri executione cauſæ apud Judices aſſignatos multis attenuati ſumptibus, multis laboribus ſint affecti.* Secunda ratio eſt quia congrua portio petitur actione in perſonam, potiùs quàm in rem alimentorum causâ. Moribus tamen Judex ſecularis per modum proviſionis cognitionem ſibi aſſumit de congruâ portione, quæſito colore favoris alimentorum : Maynard. libr. 1. cap. 38. & 43. Loëtius. in Litt. C. n 48. Benedict. in cap. Raynut. verb. ſi abſque liberis, de fideicommiſſaria ſubſtitutione num. 33.

## CAPUT XII.

*An Judex Eccleſiaſticus cognoſcat de agnitione Chirographi. Actiones Chirographariæ ſunt perſonales. Refellitur Fevretius.*

QUo jure Judex Eccleſiaſticus cognoſcit de perſonalibus actionibus, eodem cognoſcere poteſt de agnitione Chirographi ; cap. 1. §. ult. de foro compet. in 6. quia actio ex Chirographo eſt merè perſonalis, privata ſcriptura fidem non facit, & ex ea nulla datur actio priuſquàm agnita ſit ; L. qui agnitis. ff. de except. L. ſi procuratorem, de procurator. L. ſcripturas. & auth. ſi quis ult. C. qui potior. in pignor. L. inſtrumenta. L. rationes. L. exemplo. C. de probat. Et olim cùm quis conventus agnoſcebat Chirographum, ſolebat propriâ manu ſubſcribere Chirographo ex præcepto ſeu interlocutione Judicis ; d. L. qui agnitis ; quod factum eſt merè perſonale. Nec valet ratio quâ in contrarium movetur Fevret. libr. 4. cap. 5. num. 2. ut credat Judicem Eccleſiaſticum non eſſe idoneum ad recognitionem Chirographi, hæc nimirum quòd recognitio Chirographi non tendit ad alium finem, quàm ad acquirendam vim hypothecæ : quia recognitio Chirographi per ſe non parit hypothecam vel executionem, ſed tantùm actionem perſonalem quâ compellitur debitor ad ſolvendum æs alienum. Ex Chirographo datur condictio quæ eſt actio in perſonam ; L. ult. C. ſi cert. petat. Nov. Juſt. 18. cap. 8. & Nov. 136. cap. 5. & hoc argumento probat Aufrer. de poteſt. ſecular. ſuper Eccleſiaſt. regul. 2. fallent, 18. Clericum conveniendum eſſe apud Judicem Eccleſiaſticum ob agnitionem Chirographi ; & hoc jure in formula Vicariatûs Officiali demandari ſolebat recognitio Chirographorum, ex Rebuff. in prax. part. 1. in formul. Vicariatûs. num. 165. Et hypotheca quæ ineſt agnitioni Chirographi, ex Conſtit. regia anni 1539. art. 92. eſt hypotheca quæ venit à lege ex conſtitutione Principis, non ex Syngrapha, vel Chirographo, nec mutat naturam actionis Chirographariæ quæ eſt perſonalis, quia in actionibus ſpectanda eſt natura & origo actionis, non poteſtas judicii ; L. qui id quod. ff. de donat. L. 3. C. ad Macedon. Ex prædicta tamen conſtitutione Regiâ, ſi Clericus conveniatur apud Ju-

dicem sæcularem ad recognoscendum Chirographum, non potest opponere præscriptionem fori; omnes enim Judices censentur idonei seu competentes, quoad recognitionem Chirographi, & hujusmodi usum probant Boer. qu. 114. Rebuff. in Constitutiones Regias tractat. de Chirographor. & schedular. recognit. in præfat. num. 68. Imbert. instit. forens. libr. 1. cap. 4. Hoc pacto licet Judex Ecclesiasticus non negetur competens in actionibus personalibus quoad Clericos, etiam ex Constitutione Regiâ; illa tamen variis exceptionibus & technis evacuatur, quibus Jurisdictio Ecclesiastica, quæ erat legibus veneranda, vacuum & inane simulachrum efficitur, & quæ introducta ut consulatur quieti Clericorum, facta est materia perpetuæ inquietudinis, & tentationis quam patiuntur à Laïcis.

## CAPUT XIII.

### *An cognitio de sartis tectis Ecclesiarum spectet ad Episcopum.*

Jure communi Episcopi est cognoscere de instauratione, & refectione Ecclesiarum; can. decrevimus. can. Episcoporum. 10. qu. 1. can. unio. ead. caus. qu 3. Hinc Clericis non licet deponere Ecclesias refectionis causâ sine consensu Episcopi: Synodus Londinensis habita anno 1237. præside Othone Cardinali, & Legato sedis Apostolicæ in Anglia apud Matth. Paris. *Ad hoc nè præsumant Abbates, Ecclesiarum Rectores, antiquas Ecclesias consecratas, sub prætextu pulchrioris vel amplioris fabricæ faciendæ diruere, absque licentia Diœcesani Episcopi & consensu, præsenti statuto districtiùs inhibemus.* Refectioni Ecclesiarum ascribitur tertia, vel quarta pars reditûs, pro consuetudine Ecclesiarum; d. can. decrevimus. d. can. unio. can. concessio & seqq. 12. qu. 2. Constitutione Caroli VI. anni 1385. ut occurreretur prædis Innocentii VII. Avenione sedentis & suorum qui Beneficia Ecclesiastica variis exactionibus exhauriebant, tertia fructuum addicta est refectioni Ecclesiarum, instante apud Regem Universitate Parisiensi; de qua Jo. Juvenalis de Ursi.

nis in vita Caroli VI ad prædictum ann. 1385. *Et y eut Ordonnances faites, par leſquelles fut défendu, que nul or, ne argent, ne ſe tranſportaſt hors du Royaume, & oultre qu'on ſaiſiſt tous les Benefices, & que les fruits feuſſent mis en la main du Roy, & que le tiers en feut mis és reparations des Maiſons & Edifices, l'autre tiers à payer les Charges, & l'autre au vivre des perſonnes Eccleſiaſtiques.* Non aliâ occaſione quàm hujuſce Conſtitutionis, ab eo tempore Judices Regii cognitionem de reparandis Eccleſiis, ſimul & de congrua portione Vicarii perpetui ſibi aſcivêre; Benedict. in cap. Raynut. verb. ſi abſque liberis de fideicommiſſ. ſubſtit. num. 33. *Ex quo tempore Officiarii Regii de prædictis reparationibus ac proviſione circa divinum ſervitium contra Clericos & Prælatos, ac hujus prætextu de perpetuis Vicariis Parochialium Eccleſiarum augenda portione cognitionem receperunt.* Quo jure id introductum ſit non video; Regia enim Conſtitutio dumtaxat edita eſt, nè Beneficia Eccleſiaſtica Galliæ eſſent prædæ & direptioni Romanæ Curiæ: ceſſante igitur hac clade Magiſtratibus nefas fuit hac Conſtitutione abuti ut tolleretur Juriſdictio Eccleſiaſtica. His tamen initiis ſemel arreptam cognitionem de inſtaurandis Eccleſiis, Judices Regii mordicùs retinuerunt; Jo. Gallus quæſt. 187. 225. & 293. Aufrer. de poteſt. ſecul. ſuper Eccleſiaſtic. regul. 2. fallent. 26. Maynard. libr. 1. cap. 6. Chopin. de ſacr. polit. libr. 2. tit. 1. num. 6. Imbert. libr. 1. cap. 12. Inde ſecutæ Conſtitutiones Regiæ Aurelianenſ. art. 21. Bleſenſ. art. 16. Melodunenſ. art. 5. quibus Judicibus Regiis datur jus compellendi Epiſcopos & Clericos captis pignoribus, ad refectionem ædium ſacrarum. Olim etiam Proconſulum & aliorum Magiſtratuum fuit curare refectionem ædium ſacrarum; L ſi in aliam §. ædes Sacras. ff. de offic. Proconſ. M. Tullius Verrin. 1. *Cum L. Octavius, C. Aurelius Coſſ. ædes ſacras locaviſſent neque potuiſſent omnia ſarta tecta exigere, neque iis Prætores quibus erat negotium datum C. Sacerdos & M. Cæſius, factum eſt SC. quibus de ſartis tectis cognitum & judicatum non eſſet uti C. Verres P. Coetius Prætores cognoſcerent & judicarent.* Sed in Chriſtianâ Republicâ, quâ religione par eſt Judices ſeculares rebus ſacris abſtinere, eâdem non inconveniens fuerit cognitionem de inſtaurandis Eccleſiis, quæ ſacris cohæret, eos Judici Eccleſiaſtico liberam & integram dimittere. Non ſine jure Epiſcopis relinquenda eſt cognitio de refectione Eccleſiarum, cujus poteſtas in Epiſcopis Miraculis illuſtrata memoratur: Nimirum miraculo fuit, quòd Odo Cantuarienſis Epiſcopus Eccleſiam quæ tecto carebat, dum tectum reſtituitur ab imbrium injuriâ precibus arcuit, ruente circumquaque è cœlo vi imbrium, quaſi cœlo obſecundante pietati An-

tistitis ; Vvillelm. Malmesbur. de Gest. Pontific. Anglor. libr. 1. *Odo Cantuariensis Archiepiscopus nescio quâ incuriâ Ecclesiam Archiepiscopatûs tecto vacantem orationibus operuit, ut toto quo tectura parabatur tempore, nec pluviæ stillicidium loci madefecerit ambitum, & hoc eò celebrius habetur, quòd plurima vis imbrium, frequens tempestas turbinum totum illis diebus concussit mundum.* Eò magis liberam cognitionem refectionis Ecclesiarum Episcopis relinqui placet, quòd præcipuum officium Antistitis in visitatione est cognoscere de fabricâ Ecclesiarum, ædes sacras inspicere an sartæ tectæ sint, an refectione egeant ; d. can. decrevimus. d. can. Episcopum. d. can. unio. Et si Judex secularis istis se immisceat, ejus concursu dehonestatur Episcopale officium, & maximum intercipitur visitationis emolumentum.

## CAPUT XIV.

### *Episcopi est ordines cuique constituere in Ecclesiâ.*

Episcopi est lites & controversias quæ in Litis seu Processionibus suboriuntur inter Clericos & Regulares, summatim & de plano amotâ appellatione cognoscere ; Conc. Tridentin. sess. 25. de Regular. cap. 13. & hoc jure utimur ; Chopin. de sacr. polit. libr. 2. tit. 6. num. 18. Idem 2. monastic. tit. 3. num. 23. Roderic. quæst. regul. tom. 3. quæst. 37. art. 3. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 78. Hujus juris ratio est quòd Episcopi officium est Litas seu Processiones indicere, & solemnem earum Ritum instituere ; Novell. Justin. 123. cap. 32. & consequenter ejusdem est controversias & quæstiones in his incidentes inter Clericos & Regulares dirimere, nè Sacra turbentur : Judex idoneus & competens in principali, potest cognoscere de incidenti quæstione ; L. 3. C. de judic. L. 1. C. de ordin. Judic. Hoc jure, ingruente peste in urbe Gregorius I. ad placandam iramdivini Numinis, solemnem Litaniam per regiones urbis, ætates, sexus, ordines & conditiones distinctam celebravit, læto & prospero successu ; de qua Gregorius ipse in oratione habitâ ad plebem apud Gregor. Turonens. libr. 10. histor. cap. 1. *Proinde, fratres carissimi, contrito corde & correctis operibus*,

*ab ipso feriæ quartæ primo diluculo septiformem Litaniam juxta distributionem inferiùs designatam, devotâ ad lachrimas mente veniamus. Clerus igitur egrediatur ab Ecclesiâ sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani, cum Presbyteris regionis sextæ. Omnes verò Abbates cum Monachis suis, ab Ecclesiâ sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii cum Presbyteris regionis quartæ. Omnes Abbatissæ cum congregationibus suis egrediantur ab Ecclesiâ sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, cum Presbyteris regionis primæ. Omnes infantes ab Ecclesiâ sanctorum Martyrum Joannis & Pauli, cum Presbyteris regionis secundæ. Omnes verò laïci ab Ecclesiâ Protomartyris Stephani, cum Presbyteris regionis septimæ. Omnes mulieres viduæ ab Ecclesiâ sanctæ Eufemiæ, cum Presbyteris regionis quintæ. Omnes autem mulieres conjugatæ egrediantur ab Ecclesiâ sancti Martyris Clementis, cum Presbyteris regionis tertiæ.* Nec modò Episcopi partes sunt, ordinem imponere in Processionibus inter Clericos & Regulares, sed etiam ejusdem est locum & ordinem ponere laïcis, etiam dominis loci in Ecclesiis. Conc. Vvormaciens. can. 58. & Capitulare libr. 1. capit. 148. iisdem verbis; *Ut Episcopi provideant, quem honorem Presbyteri pro Ecclesiis suis senioribus tribuant.* Et Conc. Trosleïan. can. 6. *Presbyteris nostris humilitatis exempla, & monita dare debemus, videlicet ut eis in quorum ditione suæ consistunt Ecclesiæ, congruum honorem & obsequium impendant debitum, id est, spiritale atque Ecclesiasticum, & hoc sine ullo typho, vel contentione, aut rebellione.* Imò & melioribus seculis Episcopus ita erat arbiter honorum & ordinum in Ecclesiâ etiam inter laïcos, ut Episcopus priusquàm dedicaret Ecclesiam quæ constructa erat & dotata à laïco, patronum moneret nihil eum juris habiturum in Ecclesiâ præter processionis aditum qui Christianis omnibus in commune, id est, promiscuè deberetur; can. piæ mentis. can. Frigentius. 16. qu. 7. Ecclesia ita Deo tribuebat omnia in adytis suis, ut nulla in ea esset ratio dignitatis, & Magistratus non erubescerent in turbâ videri: Ambros. epist. 82. *Quantò magis in Ecclesiâ, ubi dives & pauper, servus & liber, Græcus & Scytha, honoratus & plebeïus, omnes in Christo unum sumus. Nemo præsumat quia dives est, plus sibi deferendum: ille est dives in Ecclesiâ, qui pauperi, non sibi dives est.* Jo. Chrysostom. de divers. utriusqu. testam. loc. sermon. in S. Parasceve. *καὶ νῦν τί συνήθομεν πάντες ἀκοῦσαι τι περὶ σταυροῦ, καὶ πληροῦμεν ἐκκλησίαν, καὶ ἀλλήλους ὠθοῦμεν, ἱδρῶντες πονοῦντες, ἐπὶ μὲν δικαστῶν πολλάκις ἀξιούμενοι προεδρίας ἐπὶ δὲ ἰησοῦ ἡδέως ἑστῶτες. Nunc etiam quid convenimus ad audiendum aliquid de Cruce, & Ecclesiam implemus, nosque invicem trudimus sudantes, laborantes, & quidem coram Judicibus sæpè in primâ sede collocati, coram Jesu vero libenter etiam stantes.*

Episcopi inprimis est gradum & ordinem disponere inter Clericos, nè Ecclesia quæ debet esse ordinata sicut castrorum acies, & quæ militiam cœli, & pulcherrimam ejus aciem representat, fœdâ confusione dignitatis gratiam amittat. Hoc jure variis decretis Episcoporum statutum, nè Diaconi sedeant ante Presbyteros; Synod. Nicen. can. 18. Laodicen. can. 20. Toletan. IV. can. 38. can. pervenit. can. non oportet. can. nonnulli. 93. dist. Arelatens. II. can. 15. *In secretario, Diacono inter Presbyteros sedere non liceat.* Imò statutum nè Diaconus ante Presbyterum sedeat, quamvis in dignitate, hoc est in officio Ecclesiastico positus sit, nisi vices gerat Patriarchæ, aut Metropolitani; Synodus Trullens. can. 7. can. præcipimus. 93. dist. Episcopus unicuique suum ordinem servare debet, ita ut posteriorem priori non præponat, nisi ob delictum & contumaciam; Synod. Agathens. can. 23. can. Episcoporum. 74. dist. Et Episcopi ut bono exemplo sint inferioribus, ordinem inter se servare debent, non ex dignitate vel facultatibus Ecclesiarum, sed ex die Ordinationis; can. Episcopos. 17. dist. can. placuit. 18. dist. Synod. Brachar. I. can. 24. Toletan. IV. can. 3. Et hic ordo summâ religione servatus in subscriptionibus Patrum in Conciliis & aliis conventibus Ecclesiasticis. Inde arreptâ occasione Eusebius Vercellensis Episcopus, cùm Dionysius Mediolanensis Episcopus ab Arrianis deceptus, Ariminensi Synodo subscripsisset, quo cùm subscriptionis vinculo liberare vellet, finxit se Arrianum, seque eorum opinioni subscribere paratum, sed filium Dionysium in subscriptione sibi præponi se ferre non posse: quo delusi Arriani, cùm Dionysii chirographum delevissent, priorem subscribendi locum Eusebio deferentes, Eusebius eos derisit, ut narrat Ambros. Sermon. 69. Ex speciali tamen privilegio, Episcopo Augustodunensi primum locum post Lugdunensem Metropolitam concessum à Gregorio I. testem habemus ipsum Gregor. libr. 7. epist. 112. Dignitas etiam Ecclesiarum & Civitatum æstimatur ex antiquitate, cujus fides habetur ex notitiâ Provinciarum: Dignitatem Catalaunensis Ecclesiæ, ex censu civitatum Belgicæ vindicavit Fulbert. epist. 62. *Sed nè Civitati vel Ecclesiæ Catalaunorum suum derogetis honorem, meminisse vos decet, quòd in antiquâ descriptione Provinciæ Belgicæ, secundum ipsa Civitas à Rhemensi locum habeat.* Primatum quoque Lugdunensis Ecclesiæ super Senonensem ex censu & catalogo Civitatum defendit Ivo Carnotens. epist. 50. *De veteri querelâ quam habet adversùs Senonensem Ecclesiam Lugdunensis Ecclesia, laudo & consulo ut si qua habens privilegia Apostolicâ manu roborata, vel scripta authentica quæ Primatum Lugdunensis Ecclesiæ, quem aliquando ex catalogis Civitatum conjicimus extitisse, ab Ecclesiâ vestrâ removeant, & li-*

*bertatem quam desideramus eidem Ecclesiæ defendatis, & Confratribus nostris ostendatis.* Ita & Principis proprium est civilium dignitatum gradum & ordinem constituere; L. 1. C. de Consulib. L. 1. & 2. C. ut dignitat. ord. servet. L. unicuique. C. de proxim. sacr. scrin. L. fin. de Tyronib. L. nemo. C. de Advocat. diversi. Judic. quia Princeps est culmen dignitatum à quo derivantur omnes dignitates & Jurisdictiones, tamquam flumina à mari; Bald. in cap. 1. §. ad hæc, de pace jurament. firmand. Marc. decis. 806. tom. 1.



# DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA TUENDA ADVERSUS INSULTUS

Auctoris tractatûs de Abuſu, & aliorum.

## LIBER QUARTUS.

### CAPUT PRIMUM.

*Juriſdictio Epiſcopalis in Clericos in criminalibus. Hæc etiam ab Arrianis defenſa. Juriſdictioni Eccleſiaſticæ in criminalibus modus impoſitus à Juſtiniano.*

IURISDICTIO Eccleſiaſtica alia eſt civilis, alia criminalis; id eſt, alia pertinet ad cauſas civiles Clericorum, de qua hactenùs actum eſt; alia ad cauſas criminales, de qua operæ pretium eſt diligentiùs tractare, quoniam abſque ea diſciplinam Eccleſiaſticam Epiſcopi tueri non poſſunt. Non modò in civilibus, ſed etiam in criminalibus cauſis Clerici conveniendi ſunt apud Judicem Eccleſiaſticum; Synod. Agathenſ. can. 32. *Clericum nullus præſumat apud ſecularem Judicem Epiſcopo non permittente pulſare; ſed ſi pulſatus fuerit, reſpondeat, non proponat, nec audeat criminale negotium in ſeculari judicio proponere.* Can. Clericum 11. qu. 1. & Synod. Matiſconenſ. I. can. 8. *Nullus Clericus alium Clericum*

*ad Judicem secularem accusare, aut ad causam dicendam trahere quocumque modo præsumat, sed omne negotium Clericorum aut in Episcopi sui, aut in Presbyterorum vel Archidiaconi præsentia finiatur, &c.* can. nullus Clericus, ead. caus. & quæst. Et hoc fuit primævum institutum Ecclesiæ, & cum ipsa adultum; Synod. Carthag. III. can. 9. *Placuit ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum seu Clericorum, cùm in Ecclesiâ ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si derelicto Ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso prolata fuerit sententia, locum suum amittat.* can. placuit. ead. caus. & qu. Hinc Athanasius Episcopus Alexandrinus apud Constantinum insimulatus de facto sacro Calice, exceptione fori sese defendit; testis ipse Apolog. 2. de fuga. ἔδει δὲ ἐξωτικῷ δικαστῇ ἐξετάσεις περὶ αἵματος χριστοῦ, καὶ σώματος χριστοῦ γίνεσθαι, εἰ γὰρ καὶ ὅλως ἐγεγόνει τι πλημμέλημα ἔδει ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ κληρικῶν νομίκως ἐξετάζεσθαι. *Sub externo Judice quæstio de sanguine & corpore Christi habetur; nam si omninò quòd delictum perpetratum fuisset, oportebat de eo in Ecclesiâ inquiri sub legitimis Clericis.* Hoc argumento Magistratus habere jus gladii in Provincia, non in Ecclesia; in laïcos, non in Clericos eleganter scribit Augustin. epist. 160. ad Apringium Judicem: *De vobis quidem dixisse Apostolum legimus quòd non sine causâ gladium geratis, & ministri Dei situs vindices in eos qui malè agunt: sed alia causa est Provinciæ, alia est Ecclesiæ.*

Ecclesia etiam hostibus veneranda, Arrianos suæ Jurisdictionis in civilibus & criminalibus causis assertores experta est. Calumniatores Augustani Episcopi, quoniam erant Clerici, ad Mediolanensem Episcopum judicandos remisit Theodoricus Gothorum Rex licet Arrianus apud Cassiodor. libr. 1. epist. 89. *Volumus enim impugnatores ejus legitimâ pœnâ percellere, sed quoniam & ipsi clericatûs nomine fungebantur, ad sanctitatis vestræ judicium cuncta transmittimus ordinanda.* Clericos Romanos tam in civili quàm criminali actione, non apud alium quàm apud Romanum Pontificem, vel Judicem ab eo datum conveniri voluit Athalaricus, apud eundem Cassiodor. libr. 8. epist. 24. *Si quispiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem, in qualibet causâ probabili crediderit actione pulsandum, ad Beatissimi Papæ judicium priùs conveniat audiendus, ut aut ipse inter utrosque more suæ sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam.* Scio quàm lubrica sit, delicatula & periculosa Jurisdictionis Ecclesiasticæ defensio maximè in criminalibus: si enim Clericus criminis reus factus in Judicem secularem consentiat, in Canones delinquit; si Judices forenses respuat, in eum commovetur offensio Principis; Ivo Carnotens. epist. 137. *Si enim concanonicum criminaliter impetitum alibi quàm in Ecclesiâ examinari conceditis,*

*canonicam legem offenditis : si audientiam Regalis curiæ respuitis, Regem offenditis.* Et idem epist 263. *Cessare quidem à divinis justè vel injustè, quid ad Regem? Excessus enim Clericorum si contigerit, non est vindicandus potestate seculari, sed canonico judicio puniendus est & censurâ Episcopali.* In hoc lubrico Patres Gallicani ita Jurisdictionem propriam quo par erat studio defensitarunt, ut tamen schisma vitandum duxerint.

Ex Novell. Justin 83. & 123. Jurisdictioni Ecclesiasticæ in causis criminalibus modus impositus est distinctione adhibitâ, ut si crimen sit Ecclesiasticum, Clerici conveniantur apud Judicem suum; in civili crimine apud Judicem civilem. Huic derogatum est Constitutione Friderici II. ex quâ indistinctè in causis civilibus & criminalibus Clerici soluti à Jurisdictione Judicis secularis; Auth. statuimus. C. de Episc. & Cleric. Et Constitutionibus Pontificum Clericos de quocumque crimine apud Judicem Ecclesiasticum conveniri placuit; can. si quis Episcopus. 2. qu. 7. cap. etsi Clerici. cap. Clerici. cap. cùm non ab homine, de judic. Sed moribus nostris Clerici districtionem utriusque Judicis experiuntur pro diversitate criminum, & quasi semi-laïci, non ex personâ, sed ex ratione delicti suum sortiuntur Judicem : unde fœda ac propè horrenda oritur confusio Jurisdictionum, & Clerici nocentes, dum inter utrumque Judicem de his vindiciis agitur, impunè elabuntur, non sine scandalo & damno Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ concertatione diversorum Judicum corruit.

## CAPUT II.

*Distinctio criminum Ecclesiasticorum & Civilium. Unde cœpta ratio nominis delicti Communis & Privilegiati: Rejicitur maligna interpretatio Milletotii & Fevretii ejus sequacis.*

EX Constitutionibus Pontificiis Episcopi propriam habent Jurisdictionem in Clericos, in criminalibus æquè ac civilibus causis. Individuam esse Jurisdictionem in Clericos placuit; nè si dividas, perdas, & quæ integra & indivisa satis valet ad tuendam disciplinam, discissa conflictu Judicum evacuetur. Civilibus causis in Clericos facilè abstinuêre Principes & Judices publici; sed Jurisdictionem Ecclesiasticam in criminalibus ægriùs admisêre quòd hæc quodammodò habeat jus gladii licet incruenti: inde quasi judicio facto Jurisdictionis erciscundæ, in civilibus delictis civilem Judicem passi sunt Episcopi & Clerici; in Ecclesiasticis certè suum habuere Judicem. Variis criminibus, aliis civilibus, aliis Ecclesiasticis impetitus Athanasius Episcopus Alexandrinus, putà de vectigali lineæ vestis Ægyptiis impositò in usum Alexandrinæ Ecclesiæ, de consiliis initis cum Philumeno quodam perduelle & auro ei misso, de nece Arsenii, de comminuto sacro Calice, de stupro illato Virgini; de criminibus læsæ Majestatis & aliis civilibus cognitionem suscepit Constantius, dato in hanc rem Judice Dalmatio nepote ex sorore; de cæteris ut potè Ecclesiasticis cognitio rejecta ad Synodum ea de causâ Tyri indictam, in quâ stetit Athanasius, de quo Socrat. lib. 1. cap. 20. 21. 23. Sozomen. lib. 2. cap. 11. Theodorit. libr. 1. cap. 26. Epiphan. hæres. 68. Per hæc tempora etiam Stephanus Antiochenus Episcopus reus postulatus de insidiis positis Legatis à Constante missis ad Constantium fratrem, (hi erant Euphrates & Vincentius Episcopi,) & de submissâ noctu meretriculâ in eorum hospitium, cùm is præscriptione fori sese tueretur & instaret jus sibi dici in Concilio Episcoporum, Constantius hac de re cognitionem extra ordinem habuit; Theodoret. libr. 2. cap. 9. Nicephor. libr. 9. cap. 23. Inde secuta est Constitutio Valentis, ut in levioribus delictis Clericorum ad religionis observantiam pertinentibus, ac in civilibus causis cognitio spectaret ad Episcopum; in gravioribus verò delictis cognitio rejiceretur ad Judices civiles, ordinarios vel extraordinarios; L. quimos. C. Th. de Episc. & Cleric. Tum Constitutione Theodosii & Va-

lentiniani ſublatis geſtis Joannis Tyranni qui Clericos indiſcriminatim ad ſecularem Judicem revocandos duxerat, placuit ut Clerici in omnibus cauſis civilibus & criminalibus, Epiſcopali audientiæ reſervarentur : fas enim non eſt ut divini muneris Miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio ; L. ult. C. Th. de Epiſc. & Cleric. Poſteà à Juſtiniano reſtituta eſt vel potiùs expreſſiùs conſtituta hujuſmodi diſtinctio delicti civilis ſeu communis, ab Eccleſiaſtico inter Clericos ; Nov. 83. ex quâ ſi commune ſeu civile crimen Clerico intendatur, veluti adulterium aut homicidium, Judici civili tribuitur; ſi Eccleſiaſticum, veluti ſacrilegium, ſimonia, diſceptatio eſt Epiſcopi. Et hoc pacto Græcis habetur ratio criminis Eccleſiaſtici, & ſi crimen Eccleſiaſticum intendatur Epiſcopo, accuſatores non admittentur ſive diſcuſſione ; Synod. Conſtantinopolit. I. can. 6. & à Balſamone in can. 1. Synod. Conſtantinopolit. I. & II. refertur inter jura Epiſcopalia, τῶν ψυχῶν σφαλμάτων ἐπιτήρισις : *Delictorum animæ examinatio.* In Galliâ mitiùs actum cum Epiſcopis & Clericis ; ſeriùs audita eſt diſtinctio delicti civilis ab Eccleſiaſtico. Sub Regibus prioris ſtirpis tanti fuit dignitas Epiſcopalis, ut etiam in crimine læſæ-Majeſtatis, Epiſcopi neſcirent civilem Judicem, nec alibi damnarentur quàm in concilio Epiſcoporum, ut probatur judiciis Prætextati Rothomagenſis Epiſcopi, Urſicini Cadurcenſis, Salonii & Sagittarii Epiſcoporum. Eccleſiæ ſtudioſiſſimus Carolus Magnus ita ut magis Pontifex quàm Rex ſeu Imperator videretur, Capitul. libr. 5. cap. 225. ſine ulla diſtinctione ſtatuit, nè Clerici accuſentur apud civilem Judicem, ſed apud Epiſcopum, in violatores legis ſtatutâ pœnâ decem librarum auri, ſi eſſent in Magiſtratu poſiti, & in executores multationis officii, & detruſionis in decanicum Eccleſiæ. Eodem jure uſi ſunt Epiſcopi & Clerici in Angliâ : Hinc ubi Thomas Cantuarienſis Epiſcopus audivit ſententiam contrà ſe latam in Conſiſtorio Regis, ( is erat Henricus II. ) novitate judicii valdè perculſus eſt ; Geſta ejus libr. 1. cap. 30. *Cùm verò audiſſet ſe judicatum ſic : Quale*, inquit, *ſit judicium hoc, me etiam tacente ſecula poſt futura non tacebunt. Nova quippè judiciorum forma hæc eſt, fortè ſecundùm novos Canones proximè apud Clarendonam promulgatos ; ſi quidem à ſæculo non eſt auditum, quemquam Cantuarienſem Archiepiſcopum in curia Regum Anglorum pro qualicunque causâ judicatum, tum propter dignitatem Eccleſiæ, tum propter autoritatem perſonæ, tum quia ipſe Regis & omnium qui in regno ſunt, ſpiritualis pater ſit, & ob id ſemper ei deferendum ab omnibus.*

In Galliâ ſub Carolo VI. primùm audita eſt diſtinctio criminis privilegiati, & criminis communis ſeu Eccleſiaſtici. Eâ tempeſtate Nicolaus Dorgemonte Diaconus & Canonicus Pariſienſis, tumultûs conciti in

Principem insimulatus, suo Judici redditus, id est, Capitulo, à quo Beneficiis & perpetuâ custodiâ multatus: cæterum quoad casum privilegiatum non evasit Judicem Regium, qui multam ei dixit centum mille librarum: Juvenal. de Ursinis in vita Caroli VI. ad ann. 1416. *Et auregard dudit Dorgemont pource qu'il estoit Chanoine de Paris & Diacre, il fut rendu au Chapitre de Paris, lesquels feirent son procez, & par sentence feut privé de tous ses Benefices, & estre mené en un tombereau par la Ville de Paris, & aucuns carrefours, mitié & condamné en chartre perpetuelle au pain & à l'eauë.* Et paulò post: *Et eut le Roy tout; car pour le cas privilegié, les Gens du Roy le condemnerent en cent mille francs.* Idem Monstrelet. vol. 1. cap. 155. Infensè sic & sycophanticè Milletorius, & eum secutus Fevretius libr. 8. cap. 1. num. 8. scriptitant Clericos Jurisdictionem Regiam confundere & subvertere studentes transtulisse nomina rerum, & crimini Ecclesiastico communis nomen aptasse quod olim erat proprium delicti civilis. Mutatio enim seu translatio nominis communis, non fuit vitium Cleri, sed ætatis quæ omnia variat, nè dum verborum significationem. Veteribus crimen civile communis appellatione donatum est æmulatione Græcorum quibus τὸ κοινὸν, sonat communè & prophanum. Acta Apostolor. cap. 10. ὅτι οὐδέποτε ἔφαγον πᾶν κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον *Quia numquam manducavi omne commune aut immundum.* Paul. ad Rom. cap. 14. ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ, εἰ μὴ τῷ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι ἐκείνῳ κοινόν. *Quia nihil commune per se, nisi ei qui existimat quid commune esse illi commune est.* Posterior verò ætas alia ratione crimen Ecclesiasticum commune nuncupavit, quòd communiter seu communi jure ejus cognitio spectaret ad Episcopum: & quòd atrociora crimina de quibus Judex civilis solet cognoscere in Clericos, vocantur privilegiata seu casus privilegiati, non est idioma Clericorum; sed potius laïcorum, quibus hujusmodi crimina dicta sunt privilegiaria quòd de his Judex civilis cognoscat ex privilegio, vel consuetudine, quæ vim habet privilegii, quia est prærogativa, & beneficium temporis. Aliàs delictum Clericorum aliud est commune, aliud proprium: Clericorum delictum commune est, quod est commune Clericorum & laïcorum, ut homicidium, adulterium, stuprum, furtum; proprium est quod est proprium Clericorum, ut hæresis, simonia seu ambitus munii Ecclesiastici. Ita militum delictum aliud est commune, aliud militare: commune est quod est commune tam paganorum quàm militum, ut homicidium, &c. Militare est, quòd est proprium militum, ut si miles militiam deseruerit, si transfugiat ad hostes, si stationem relinquat; L. 2. & 3. ff. de re militar. L. 1. de veteran. L. ex militari, de testam. milit.

# CAPUT III.

*Cognitio de causis Fidei & Hæreticis pertinet ad Episcopum. Bugeres Heretici cur appellati. Ad Episcopum pertinet censura, & opprobatio Librorum.*

EPISCOPORUM est cognoscere de Hæreticis, tam in Laïcos quam in Clericos, etiam in exemptos partes sunt Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ delegati ; cap. Abolendam in fin. de Hæretic. Conc. Tridentin. sess. 5. de reformat. cap 2. §. si verò. Et Judicibus secularibus interdictum est, quoquomodò cognoscere de crimine Hæresis, cùm merè sit Ecclesiasticum ; cap. ut inquisitionis, de Hæretic. in 6. Oldrad. Consil. 86. Rebuff. in quib. casib. num. 46 quia omnia quæ spectant ad Fidem & Religionem sunt propria Jurisdictionis Episcopalis ; Ambros. epist. 29. ad Theodos. Imperator. *Si de causis pecuniariis Comites tuos Consulis, quantò magis in causa Religionis, sacerdotes Domini æquum est Consulas. Consideret Clementia tua quantos insidiatores habeat Ecclesia, quantos exploratores ; levem rimam si offenderint, figent aculeam.* Et idem epist. 32. ad Valentinian. *Si tractandum est, tractare in Ecclesia dedici quod Majores fecerunt mei. Si conferendum de Fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum didit judicium Sacerdotibus.* Et in causa Donatistarum Augustin. lib. 4. contra Cresc. cap. 3. *Nonne meliùs, obsecro te, causa veritatis & unitatis, pacificis verbis & capacioribus locis inter Episcopos ageretur, quàm in foro ab Episcopis per advocatos litigaretur.* Boëticus ab Episcopis flagellis damnatus est ab Hæresim ; August. in Psalm. 122. *Nam quis dubitet nuperrimè, sicut audivimus à fratribus, qui interfuerunt Coepiscopis nostris, damnatum illum Boeticam inimicum contra Dominum latratem aignè flagellatum fuisse.* Hoc jure Priscellianus & alii erroris socii, Hæresis damnati in Synodo Cæsar Augustanâ, cui interfuere Aquitani Episcopi : de his rursum actum in Synodo Burdegalensi ; verùm Priscellianus nè audiretur, appellavit Maximum Tyrannum tùm Treviris sedentem. Accusator aderat Ithacius Episcopus, quo instante Priscellianus & alii à Maximo damnati capite pœnas luérunt,

fruſtraque interceſſit Martinus Turonenſis Epiſcopus, nè de cauſa merè Eccleſiaſtica Judex ſecularis cognitionem ſibi aſciſceret; Sever. libr. 2. Hiſt. ſacr. *Namque tùm Martinus apud Treviros conſtitutus, non deſinebat increpare Ithacium, ut ab accuſatione deſiſteret; Maximum orare ut ſanguine infelicium abſtineret; ſatis ſuperque ſufficere, ut Epiſcopali ſententiâ hæretici judicati, Eccleſiis pellerentur; novum eſſe & inauditum nefas ut cauſam Eccleſiæ Judex ſeculi judicaret. Denique quoad uſque Martinus Treviris fuit, dilata cognitio eſt, &c.* De quo & Hieronymus ad Creſiphontem adverſ. Pelag. Quid *loquar de Priſcilliano qui & ſeculi gladio & totius orbis auctoritate damnatus eſt.* Eumdem tamen Martinum impetraſſe à Maximo, nè Tribuni cum jure gladii mitterentur in Hiſpaniam ad inquirendum de Hæreticis refert idem Auctor. de virtutib. B. Martin. dialog. 3. *Et jam pridiè Imperator ex eorum ſententia decreverat, Tribunos ſummâ poteſtate armatos ad Hiſpanias mittere, qui Hæreticos inquirerent, deprehenſis vitam & bona adimerent. Illi præcipua cura nè Tribuni cum jure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur.* Et ante Arrius damnatus eſt in Synodo Nicenâ Macedonius in Synodo Conſtantinopolitana, Neſtorius in Epheſina, Dioſcorus in Chalcedonenſi Innocent. II. in epiſt. ad Epiſcopos Galliarum. quæ extat apud Otthonem Friſingenſ. de geſt. Frideric. 1. libr. 1. cap. 48. *Sed quia hoſtis humani generis ſemper circuit quærens quem devoret, ad expugnandam ſinceritatem fidei, fraudulentam Hæreticorum fallaciam ſubinduxit; contra quas veri Eccleſiarum Rectores viriliter inſurgentes, eorum prava dogmata, cum ipſorum auctoribus condemnarunt. In magna namque Nicena Synodo Arrius Hæreticus eſt damnatus. Conſtantinopolitana Synodus Macedonium Hæreticum debitâ ſententiâ condemnavit. In Epheſina Synodo Neſtorius condignam ſui erroris condemnationem recepit. Chalcedonenſis quoque Synodus Neſtorianam Hæreſim, & Euthychianam cum Dioſcoro & ejus complicibus juſtiſſimâ ſententiâ confutavit.* Petrum Abailardum in Synodo Sueſſionenſis Hæreſis damnatum, Gilbertum Porcetanum Pictavienſem Epiſcopum conventum in Synodo Rhemenſi errorem ejuraſſe refert. idem Friſingenſ. eod. libr. c. 46. 50. & ſeqq. Et Goffrid. vitæ D Bernardi libr. 3. cap. 5. In eadem Synodo damnatus Eudo Pſeudopropheta & Hæreticus, & in turre, id eſt cuſtodia Archiepiſcopi retruſus ex Chronic. Norman. ad ann 1147. Eodem jure Betiſacius quæſtor Joannis Ducis Bituricenſis Præfecti Occitaniæ; cùm peculatûs reus factus eſſet apud Balliyum Biterrenſem, fori mutandi cauſâ ſimulavit ſe Hæreticum; quo audito Ballivus tradidit eum Officiali ejuſdem loci quem his verbis affatus eſt teſte Jo. Froſſardo vol. 4. cap. 7. *Vees-cy Beliſach, lequel nous vous rendons pour Bougre & pour Heretique*

*Heretique, & errant contre la foy ; & s'il ne fut Clerc, nous eussions fait de luy ce que ses œuvres demandent.*

Eâ tempestate Bugeres dicebantur Hæretici ignominiæ causâ, quòd Sodomiticæ labis infamiâ laborarent; Matth. Paris & Matth. Vvestmonaster. ad ann. 1236. iisdem verbis : *Circa dies autem illos, invaluit Hæretica pravitas eorum, qui vulgariter dicuntur Patarini & Bugeres in partibus Transalpinis, de quorum erroribus malo tacere quàm loqui.* Eodem nomine notabantur & fœneratores odio quæstûs; idem Matth. Paris ad ann. 1255. *Usurarii quos Franci Bugeres vulgariter appellant.* De Hugone Albriotio Præposito Parisiensi Hæresis reo judicavit Episcopus Parisiensis ; Juvenal. de Ursinis ad ann. 1381. *En plusieurs & diverses Heresies estoit encouru, & ne craingnoit puissance aucune, pource qu'il estoit fort en la grace du Roy & des Seigneurs. Toutefois feut fort poursuivi par l'Université & Gens d'Eglise, tellement qu'on le preint, & empriſonna t'on, & à la fin feut content de se rendre prisonnier és prisons de Monsieur l'Evesque de Paris, & feut examiné sur plusieurs points, lesquels il confessa, & feut trouvé par Gens Clercs à ce cognoissans, qu'il estoit digne d'estre bruslé. Mais à la Requeste des Princes, cette peine luy feut relaschée, & seulement au Parvis Nostre-Dame, feut publiquement preschè par l'Evesque de Paris, vestu en habit Pontifical, & feut declaré en effet estre de la Loy des Juifs, & contempteur des Sacremens Ecclesiastiques, & avoir encouru les Sentences d'Excommuniement, qu'il avoit par long-temps contemnées & mespriſées, & le condamna-t'on à estre perpetuellement en la fosse au pain & à l'eau.* Inde solemnis obtestatio Optimatum Galliæ, nè Clerici vel Laïci convenirentur apud Judicem Ecclesiasticum, nisi super Hæresi, matrimonio, vel usuris : de qua Matth. Paris. ad ann. 1247. *Nos omnes regni Majores, attento animo percipientes, quòd regnum non per jus scriptum, nec per Clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos fuerit adquisitum, præsenti decreto omnium juramento statuimus & sancimus, ut nullus Clericus, vel Laïcus, alium de cætero trahat in causam coram ordinario Judice vel delegato, nisi super Hæresi, matrimonio vel usuris.*

Nec modo de Hæresi, sed etiam de errore in fide, vel doctrina quæ pariat scandalum, Episcopum cognoscere oportet. Sententiâ Parisiensis Episcopi damnatus unus è Fratribus Ordinis Dominicanorum, qui affirmabat B. Virginem originalis labis minimè expertem fuisse ; Juvenal. de Ursinis ad ann. 1387. *En une Predication dit & tint publiquement, que la glorieuse Vierge Marie, Mere de Nostre Sauveur & Redempteur Jesus-Christ, feut engendrée en peché originel. L'Evesque de Paris le sceut, & sur ce assembla plusieurs notables Clercs, tant Seculiers*

*que Reguliers & Mendians, & feut la matiere ouverte & disputée & debatuë en son Hostel, & feut conclud que ladite conclusion dudit Maistre en Theologie seroit & debvoit estre damnée; & pour ce feut faite une Procession generale à Nostre-Dame de Paris, & par l'Evesque de Paris vestu en estat Pontifical feut ladite proposition damnée bien & solemnellement, &c.* Ab Episcopo Parisiensi damnata etiam sententia Joannis Petiti Theologi, de justa nece Ducis Aurelianensis; Idem de Ursin. ad ann. 1413. *En ce temps l'Evesque de Paris assembla plusieurs notables Clercs, tant Theologiens que Legistes & Canonistes, & feit visiter la proposition que feit Maistre Jean Petit pour justifier la mort du feu Duc d'Orleans, en laquelle ledit Petit voulut monstrer que le Duc de Bourgogne avoit justement fait de le faire tuer & mourir, & que en ce faisant il n'avoit de rien mespris. Et la chose veüe & visitée & diligemment examinée, feut le vingt-quatriesme jour de Feburier ladite proposition condamnée, & dit & prononcé par ledit Evesque qu'elle n'estoit pas recevable, ne apparente.* Idcircò solis Episcopis licet controversias de Fide discutere tamquàm arbitris fidei. Hinc memoratur Archelai Episcopi cum Manichæo disputatio electis arbitris; Epiphan. hæres. 69. art. 10. Et Agelius Novatianorum Episcopus, cùm in disceptandis controversiis de Religione non multùm valeret, Lectorem suæ Ecclesiæ Sisinnium nomine ad hoc munus designavit; cujus consilio usus Nectarius Episcopus Constantinopolitanus Theodosio quærenti quanam ratione schismata & hæreses tolli possent, respondit vitandas disputationes de Fide, quæ non modò non componant discordiam, sed hæreticos multò magis ad contentionem accendant; de quo Socrat. libr. 5. cap. 10. Ideòque Clericis vel laïcis non licet de Fide disputare publicè vel privatim; L. nemo. C. de Summ. Trinitat. L. 2. C. Th. de his qui de religion. contend. cap. quicumque. §. inhibemus, de Hæretic. in 6. nimirum inscio Episcopo. De Fide & Symbolo se adhuc Presbyterum disputasse in Concilio totius Africæ Hippone celebrato jubentibus Episcopis, de se testatur Augustin. L. 2. Retractat. cap. 17. *Per idem tempus coram Episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hippone-regio agebant, de Fide & Symbolo Presbyter disputavi.* Soli enim Episcopi possunt decernere de causis Fidei, & in dubiis debent referre ad Summum Pontificem; can. quoties. 24. qu. 1.

Eadem ratione ad Episcopos pertinet examen & censura Librorum conscriptorum de Fide & Religione. Eapropter Episcopi Hierosolymis congregati, cùm intellexissent Marcelli Ancyrani Episcopi, & Asterii Sophistæ libris Arrii dogma juvari, Asterii quidem quòd esset laïcus nullam rationem duxerunt, sed à Marcello Episcopo libri ab eo conscripti rationem exegerunt: Et quidem ille errorem fassus, librum se

igni crematurum promisit, tum fidem detrectans Episcopatu abdicatus est; Socrat. libr. 1. cap. 24. Etiam libros magicos cremari jussum ab Episcopis; Augustin. in Psalm. 61. de Mathematico publicè pœnitente: *Perierat ergo iste, nunc quæsitus inventus adductus est. Portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis ipse in refrigerium transeat.* Demùm nè libri de rebus sacris edantur sine examine & approbatione Episcoporum vetuit Synodus Tridentina sess. 4. de Canonic. Scriptur. & ante Lateranensis habita sub Leone X. Ex his intelliget Fevretius quàm alienum sit à regulis Patrum & canonicâ disciplinâ, quòd voluit libr. 8. cap. 2. num. 2. editionem librorum Hæreticorum esse casum Regium seu privilegiatum: postquàm enim confessus est hæresim crimen esse Ecclesiasticum, publicatio librorum hæreticorum quibus probatur hæresis, non potuit alio jure censeri; una & eadem res non potest diverso jure censeri; cap. cùm in tua, de decim. Nec mutat naturam rei, quòd ex Constitutionibus libri Hæreticorum edi vetantur, & cremari jubentur; L. quicumque. §. nulli. C. de hæretic. nam & Constitutionibus variæ pœnæ sancitæ sunt in Hæreticos, quibus tamen Episcopis non adimitur cognitio de hæresi, & omnes hujusmodi leges potiùs latæ sunt ad tuendam & corroborandam, quàm ad enervandam Jurisdictionem Ecclesiasticam. Judicium de Hæreticis proprium est Episcoporum: damnati verò de hæresi sive Clerici sive laïci Judici seculari traduntur puniendi; d. cap. ad abolendam. cap. excommunicamus. §. damnati, de Hæretic. Jul. Clarus 5. de sentent. §. hæresis. num. 5. 6. 7. & §. fin. ejusd. libr. qu. 96. Aufrer. de potest. secular. regul. 4. fall. 27. Rigord. in vita Philippi Aug. ad ann. 1209. de Hæreticis sectæ Amalrici: *Et ita hujus sectæ plures Sacerdotes, Clerici & laïci, ac mulieres diutiùs latentes, prout Domino placuit, tandem detecti & capti, & Parisios adducti, & in Concilio ibidem congregato convicti & condemnati, & ab Ordinibus in quibus erant degradati, traditi fuerunt curiæ Philippi Regis, qui tamquam Rex Christianissimus & Catholicus vocatis apparitoribus fecit omnes cremari, &c.* Nec non Episcopi non dedignantur auxilium potestatum secularium in coërcitionem & exterminium Hæreticorum; d. cap. ad abolendam. d. cap. excommunicamus. §. moneantur. Theodosii opem ad purgandum orbem labe hæreticorum invocavit Nestorius Episcopus Constantinopolitanus solemni hac oratione quam celebrat Socrat. libr. 7. cap. 29. δός μοι ὦ βασιλεῦ καθαρὰν τὴν γῆν τῶν αἱρετικῶν, κἀγώ σοι τὸν οὐρανὸν ἀντιδώσω. συγκάθελέ μοι τοὺς αἱρετικούς κἀγώ σοι καθελῶ σου τοὺς πέρσας. *Mihi, ô Imperator, terram Hæreticis tu purgatam tribue, & ego tibi cœlum retribuam: tu mihi in profligandis Hæreticis subveni, & ego in profligandis Persis subveniam.* Donatum Proconsulem Africæ ad Do-

natiſtas coërcendos ita ſollicitavit Auguſtinus epiſt. 127. ut pro eis intercederet nè in necem ſæviretur : *Nollem quidem in his afflictionibus eſſe Africanam Eccleſiam conſtitutam, ut terrenæ illius poteſtatis indigeret auxilio : ſed quia, ſicut Apoſtolus dicit, non eſt poteſtas niſi à Deo, procul dubio cùm per vos ſinceriſſimos Catholicæ Matris filios eidem ſubvenitur, auxilium veſtrum in nomine Domini eſt, qui fecit cœlum & terram. Quis enim non ſentiat in tantis malis non parvam nobis conſolationem divinitus miſſam, cùm tu vir talis & Chriſti nominis amantiſſimus, proconſularibus es ſublimatus inſignibus, ut ab ſceleratis & ſacrilegis auſibus inimicos Eccleſiæ bonæ tuæ voluntati poteſtas ſociata cohiberet, &c.* Conſtitutionibus Franciſci I. 1542. & Henrici II. 1549. Judices quidem Regii in concurſu cum Epiſcopis cognoſcunt de crimine hæreſis quoad inquiſitionem & prehenſionem corporalem, ſed captos Judici Eccleſiaſtico de his ſententiam dicturo tradere tenentur; & ſi crimini hæreſis accedat ſcandalum, vis publica, & turba popularis, ubi de crimine hæreſis judicatum fuerit per Judicem Eccleſiaſticum, tunc cognitio caſûs privilegiati reſervatur Judici Regio : imò hæreſis reos Epiſcopis per ſe ſeu apparitores ſuos prehendere licet ſine permiſſu vel ope Judicis Regii. Ex Conſtitutionibus etiam ultimum ſupplicium ſumptum de Hæreticis ; L. 1. C. de Summ. Trinit. L. 5. §. 8. C. de Hæretic.

## CAPUT IV.

### *Cognitio de Magis & Sortilegis ſpectat ad Epiſcopum. An Sortilegium ubi accedit maleficium, ſit caſus Regius. Crimen mixtum quodnam ſit : Reprehenditur interpretatio Fevretii.*

QUo jure Epiſcopus cognoſcit de hæreſi & Hæreticis, eodem cognoſcit de Magis, Sortilegis & ſortilegiis ; quia ars magica hæreſim ſapit, vel potius eſt idololatria quæ eſt Eccleſiaſticum crimen, quia in Religionem divinam committitur ; L. 4. C. de Hæretic. Nec fallit ratio ; Epiſcopi enim officium eſt contra ſortilegos, aruſpices, & idolorum cultores paſtorali cuſtodiâ invigilare, & eos pro qualitate perſonarum coërcere : nimirum ſi ſervi ſint, verberibus ; ſi liberi, cuſtodiâ ; Gregorius libr. 7. epiſt. 66. ad Januarium Epiſcopum : *Contra Idolorum cultores, vel aruſpices, aque ſortilegos fraternitatem veſtram vehementiùs paſtorali*

*hortamur invigilare custodiâ ; quos tamen si emendare se à talibus , atque corrigere nolle repereris , ferventi comprehendere zelo te volumus : & si quidem servi sunt , verberibus cruciatibusque , quibus ad emendationem pervenire valeant , castigare ; si verò sint liberi , inclusione dignâ districtaque sunt in pœnitentiam redigendi ;* can. contra Idolorum. 26. qu. 5. Quo ex Canone rectè Glossa colligit Magiam & Sortilegium esse crimen Ecclesiasticum ; & hoc jure usi sunt Episcopi Galliarum. De muliere Pythonissa quæ futura præcinebat , unde multum quæstum quærebat Domino , notionem habuisse Viridunensem Episcopum refert Gregor. Tur. libr. 7. cap. 44. *Fuit tunc temporis mulier , quæ spiritum Pythonis habens , multum præstabat dominis divinando quæstum ; eoque in gratiâ profecit , ut ab his libera facta , suis voluntatibus laxaretur. Si quis enim aut furtum , aut aliquid mali perferret , statim hæc quò fur abiit , cui tradidit , vel quid ex ex hoc fecerit , edicebat : sed cùm Agerico Virdunensi Episcopo hæc nunciata fuissent , misit ad comprehendendum eam : quâ adprehensâ & ad se adductâ , juxta id quod in Actibus legimus Apostolicis , cognovit in eâ immundum spiritum esse Pythonis , &c.* Sub ea tempora à Ragnemodo Parisiensi Episcopo per Archidiaconum captus quidam impostor & in vincula missus ; idem Gregor. Turonens. libr. 9. cap. 6. *Sacerdos verò intelligens eum seductorem , jussit eum recludi in Cellulam , captusque ab Archidiacono , & catenis vinctus jussus est custodiri.* Anno 847. Mulier quædam pseudoprophetissa apud Moguntiam synodali sententiâ flagellis publicè cæsa memoratur in Annalibus Pithoei : *Per idem tempus Mulier quædam de Alamanniæ partibus nomine Thiota pseudoprophetissa Moguntiacum venit , quæ Salomonis Episcopi Parochiam suis vaticiniis non minimè turbaverat. Hæc in præsentiam Episcoporum apud Sanctum Albanum deducta , & diligenter de suis assertionibus requisita , Presbyterum quemdam sibi ea suggessisse & se talia quæstus causâ narrasse professa est : quapropter synodali judicio publicis cæsa flagellis ministerium prædicationis , quod inrationabiliter arripuit , & sibi contra morem Ecclesiasticum vindicare præsumpsit , cum dedecore amisit , suisque vaticiniis tandem confusa finem imposuit.* Multis post seculis Decreto Senatûs Parisiensis anni 1282. cognitionem in sagas seu sortilegas Mulieres , quæ jam præventæ erant à juridico Regio , sibi vindicavit Sylvanectensis Episcopus part. 7. arrest. curiæ. arr. 72. Sed postea aliud judicatum Decreto ejusdem Senatûs anni 1387. pro Præposito Parisiensi ; de quo Jo. Gallus quæst. 241. ex L. 3. C. de Malefic. & Mathematic. & Chopin. de sacr. polit. libr. 2. tit. 2. num. 10. 11. De Sagis ubi maleficium accedit , disceptationem esse Judicis secularis nolim negare : Fredegundis uxor Chilperici ubi accepit Theodoricum filium ex Chilperico susceptum magicis artibus à Mulieribus sortilegis sublatum Mum-

moli gratiâ, quo graviori morbo curaretur nece alterius, alias igni cremari, alias rotâ disrumpi jussit; Gregor. Tur. libr. 6. cap. 35. Aymoin. libr. 3. cap. 51. Judæis & mulieribus quas vocant Sagas solemni coronationis Regiæ Edicto Richardi I. Regis Anglorum interdictum, propter incantationes in Regum inauguratione ab his fieri solitas; Matth. Paris in Richard. I. ad ann. 1188. *Huic coronationi multi Judæorum interfuerunt contra Regis prohibitionem: die itaque præcedenti, communi interdictum est edicto, nè Judæi aut mulieres interessent, propter magicas artes quæ solent in Regum coronationibus exerceri, de quibus Judæi & aliquæ mulieres sunt infames.* Sed ubi sortilegio conjungitur maleficium, de maleficio magis quàm de sortilegio cognoscit Judex secularis, & per hoc crimen sortilegii non desinit esse Ecclesiasticum. Alia est causa sortilegii, alia maleficii, & à gravissimis Senatoribus sæpiùs ego audivi Senatum non cognoscere de sortilegio, sed de maleficio. Non aliter de Circumcellionibus & Donatistis cognovit Judex publicus: sed quæstio erat de homicidiis quæ ab his commissa erant, non de religione; nec eos suum ad tribunal, quasi ageretur de hæresi, revocavit, imò pro his intercessit Augustinus apud Marcellinum Comitem epist. 159. *Circumcelliones illos & Clericos partis Donati, quos de Hipponensi Civitate ad judicium pro factis eorum, publicæ disciplinæ cura deduxerat, à tua nobilitate comperi auditos, & plurimos eorum de homicidio quod in Restitutum Catholicum Presbyterum commiserunt, & de cæde Innocentii alterius Catholici Presbyteri, atque de oculo ejus effosso, & de digito præciso fuisse confessos. Unde mihi sollicitudo maxima incussa est, nè fortè sublimitas tua censeat eos tantâ legum severitate plectendos, ut qualia fecerunt, talia patiantur. Quamvis enim ab illorum interitu dissimulare possemus, qui non accusantibus nostris, sed illorum Notoriâ ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinebat, præsentati videantur examini; nolumus tamen passiones servorum Dei, quasi vice talionis, paribus suppliciis vindicari, &c.* Non rectè igitur Fevretius libr. 8. cap. 2. num. 3. sibi suasit Magiam & Sortilegium esse casum Regium seu privilegiatum ubi adest maleficium: hæc enim duo sunt valdè diversa, & singula suo foro reddenda; sortilegi si quem necent suis artibus, non spectantur ut sortilegi, sed ut homicidæ, nec maleficium trahit ad se causam sortilegii quæ nihil habet commune. Non valet etiam argumentum quo utitur Fevretius eodem loco, si capitale sit crimen propter maleficium, nullas de eo esse partes Judicis Ecclesiastici: quia nihil vetat Judicem Ecclesiasticum cognoscere de sortilegio, reservatâ Judici civili cognitione maleficii; nec vetatur Judex Ecclesiasticus cognoscere de criminibus Ecclesiasticis, quòd impares habeat pœnas; re enim cognitâ, reos à se dimittit, eosque tradit curiæ seculari propter atrocitatem de-

licti. Nihilò convenientius est quod addit Fevretius, si absit maleficium, sortilegium esse crimen mixtum, id est, ut ipse interpretatur, hujusmodi, ut de eo Judex Ecclesiasticus cognoscat adversùs Clericos, Judex civilis adversùs laïcos : Sortilegii enim cognitio omninò spectat ad Diœcesanum in Clericos, ad secularem per præventionem in laïcos ex Constitutione Caroli VIII. anni 1490. styl. Parlam. part. 3. tit. 41. de blasphem. & maleficiis. Et malè idem definit crimen mixtum, de quo Judex civilis in laïcos, Judex Ecclesiasticus in Clericos notionem habet : cùm enim Jurisdictio Ecclesiastica & civilis sint omninò distinctæ, can. duo sunt. 96. dist. mixtum crimen dici non potest, de quo quisque Judex competens est in subditos; sed illud mixtum intelligendum est, de quo uterque Judex est competens in Clericos & laïcos, ita ut locus sit præventioni, & cognitio sit occupantis ; cap. cùm sit generale, de foro compet. Et ita intelligi velim quod ait Panormitan. in d. cap. cùm sit generale, sortilegium esse utriusque fori, & ad Judicem secularem spectare ejus cognitionem ; nimirum ita ut ad eum spectet per præventionem.

## CAPUT V.

### *Judicis Ecclesiastici est cognitio de Simoniâ.*

Judex Ecclesiasticus etiam cognoscit de crimine Simoniæ tamquam merè Ecclesiastico, quia Simonia est hæresis; cap. quoties, de simonia. can. quicumque. can. cùm liqueat. can. fertur. 1. qu. 1. can. altare. 1. qu. 3. can. patet. 1. qu. 7. Joannes 8. epist. 94. *Et cùm prima contra sanctam Dei Ecclesiam simoniaca hæresis sit exorta; cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum, quem quis cum pretio ordinat, provehendo egit ut Hæreticus fiat ?* Tum quia prohibitio Simoniæ originem cœpit ab Ecclesia, eaque primùm damnata à Petro Principe Apostolorum in persona Simonis magi ; d. can. cùm liqueat. d. can. fertur. Et simoniæ pœna est canonica, nempè in Clericis καθαίρεσις seu depositio, in laïcis ἀφορισμος seu excommunicatio ; Concil. Chalced. can. 2. can. si quis Episcopus. 1. qu. 1. can. Salvator. 1. qu. 3. Synod. 6. in Trull. can. 23. Synod. 7. can. 19. cap. consulere, de simoniâ. Aliæ & canonicæ sunt Simoniæ pœnæ, in Clericis beneficii privatio ; cap. cùm dilecti, de accusat. non modò ejus in quo simonia commissa est, sed & aliorum ; Nov. Justin. 6. cap. 1. & detrusio in monasterium pœnitentiæ causâ ; can. reperiun-

tur. 1. qu. 1. cap. ex tua, de ſimoniâ. Simoniam eſſe crimen Eccleſiaſticum idoneum argumentum eſt, quòd ejus pœnæ ſint canonicæ, putà depoſitio, excommunicatio, & aliæ ſimiles; crimen enim canonicum dignoſcitur à civili ex genere pœnæ; L. quod ad ſtatum. ff. de pœn. Nec mutat naturam criminis, quòd ſimonia alias pœnas ſortiatur, putà infamiam; can. ſi quis præbendas. 1. qu. 3. L. ſi quemquam. C. de Epiſc. & Cleric. & reſtitutionem dati & accepti in duplum; d. Nov. 6. cap. 1. & Nov. 123. cap. 2. quia crimen denominatur à principali pœna, ea eſt depoſitio vel excommunicatio, quæ eſt canonica, ut optimè docet Baldus in Auth. Clericus quoque. C. de Epiſc. & Cleric. Hoc jure de Simoniæ crimine velut Eccleſiaſtico cognovêre Epiſcopi Galliarum: de ſe teſtis Ivo Carnot. epiſt. 133. *Quòd autem vobis ſuggeſtum ſimoniacam hæreſim me permittente in Eccleſiâ Carnotenſi publicè dominari, omninò veritate caret; quia hoc malum ab initio clericatûs mei ſemper exhorrui, & poſtquàm ad Epiſcopatum veni, quantùm Deo donante prævalui, in ſuperficie reſecavi.* Et paulò poſt: *Si qua tamen talia in auribus noſtris judiciario ordine publicantur, ſi certis documentis approbantur, conſervato quidem legum tramite, inulta præterire non patimur.* Et hæc eſt communis ſententia Doctorum Simoniam eſſe crimen Eccleſiaſticum, ejuſque cognitionem ſpectare ad Judicem Eccleſiaſticum, non ad ſecularem; Gloſſ. & Baldus in d. auth. Clericus quoque. Panormit. in cap. cùm ſit generale, de foro compet. Marcus part. 2. qu. 816. Judex tamen ſecularis in poſſeſſorio beneficii incidenter & per modum exceptionis de Simoniâ cognoſcere poteſt, quia Judex qui de principali cognoſcit, poteſt cognoſcere de incidenti quæſtione; L. quoties. C. de judic. L. 1. C. de ordin. judic. Marcus qu. 496. tom. 1. Aufrer. de poteſt. ſecular. regul. 4. fall. 17. Pejus eſt quod ex Conſtit. Bleſenſ. art. 21. cognitio Simoniæ ſcinditur in partes, & Judici Eccleſiaſtico tribuitur adversùm Clericos, Judici ſeculari adversùs laïcos, ſceleris participes.

## CAPUT VI.

# CAPUT VI.

## *Ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectat cognitio Sacrilegii. Notatur Fevretus.*

SECUNDUM jus Pontificium, Sacrilegium eſt crimen merè Eccleſiaſticum, ejuſque cognitio tam in Clericos quàm in laïcos pertinet ad Judicem Eccleſiaſticum; cap. cùm ſit generale. cap. conqueſtus, de foro compet. & ibi Gloſſ. can. de viro. 12. qu. 2. can. quiſquis. 17. qu. 4. Ratio non una eſt. Prima, quia ſacrilegium committitur vel in rebus ſacris; d. can. quiſquis; vel in perſonis ſacris propter injectionem manuum in Clericos vel Monachos; can. ſi quis ſuadente. 17. qu. 4. & ratione delicti, etiam laïci fiunt fori Eccleſiaſtici; Oldrad. conſil. 86. Secunda eſt, quia pœna ſacrilegii eſt canonica, nimirùm excommunicatio; d. cap. conqueſtus. d. can. de viro; Concil. Turonenſ. 2. can. 24. *Necatori pauperum qui res pervadit Eccleſiæ, Pſalmus* 108. *dicatur, ut veniat ſuper eum illa maledictio quæ ſuper Judam venit, qui dum loculos faceret, ſubtrahebat pauperum alimenta; ut non ſolùm excommunicatus, ſed etiam anathematizatus moriatur.* Alia eſt pœna quaſi canonica, nimirùm multa pecuniaria, quæ infertur ſacro ærario; d. can. quiſquis. Aliis placet crimen ſacrilegii eſſe mixti fori, ac de eo cognoſcere utrumque Judicem tam ſecularem quàm Eccleſiaſticum, ita ut locus ſit præventioni, quod perpetui juris eſt in crimi;nibus mixtis quæ diverſos Judices nanciſcuntur, nè alioqui de eodem crimine duplex judicium fiat, aut pugnantes ſententiæ ſequantur, & variè judicetur; L. 1. & 2. ff. de quibus reb. ad eund. judic. L. cognitio. §. ſi plures, de liberal. cauſ. L. ſingulis, de excep. rei judicat. cap. diſpendia, de reſcript. in 6. Et hæc eſt ſententia Gloſſ. & Panormit. in d. cap. cùm ſit generale. Jul. Clar. in prax. criminal. §. fin. qu. 37. Marci deciſ. 817. part. 2. Rebuff. in quib. caſſb. num. 50. Ant. Fabri in Cod. tit. de crim. ſacrileg. deffinit. 1. Et hoc in ſacrilegio introductum favore Eccleſiæ, ut Eccleſia laïcos convenire poſſit coram quo Judice maluerit, Eccleſiaſtico vel ſeculari, nè ſacrilegium impunitum maneat, quòd ſeculares Judices in exhibendâ juſtitiâ perſonis Eccleſiaſticis ſæpiùs in judicio ſunt remiſſiores; d. cap. cùm ſit generale, Belluga in ſpecul. de propoſit. princip. §. videamus. Non deſunt qui malint ſacrilegium eſſe crimen privilegiarium; hos fortè movet atrocitas delicti cui Eccleſia pœnâ minor ſit, & Conſtitu-

tio Arcadii & Honorii, ex qua ſacrilegium veluti crimen publicum capitali pœnâ à civili Judice afficitur; L. ſi quis in hoc genus. C. de Epiſc. & Cleric. & in hanc ſententiam inclinare videntur Jul. Clar. d. qu. 37. & Rebuff. in proëm. Conſtitut. Gloſſ. 5. num. 117. qui eandem uſu tuetur, & hos lubens ſequitur Fevret. libr. 8. cap. 2. num. 9. Sed verius eſt ſacrilegium eſſe crimen Eccleſiaſticum tum ratione delicti quod committitur in res vel perſonas ſacras, tum ratione pœnæ, quòd ſacrilegii pœna eſt canonica; & ſi judicium Dei ſpectemus in ſacrilegio, eò magis Eccleſiaſticum id cenſeri convenit, quod Deum ferè perpetuum ultorem habet, ut contigiſſe in ſacrilegis effractoribus Baſilicæ S. Juliani Brivatenſis refert Gregor. Tur. libr. 3. cap. 11. *De quibus nonnulli ad Baſilicam Sancti Juliani perveniunt, confringuntque oſtia, ſeras removent, reſque pauperum quæ ibidem fuerant adgregatæ diripiunt, & multa in hoc loco perpetrant mala: veruntamen auctores ſcelerum à ſpiritu immundo correpti, infeſtis dentibus propriis ſe morſibus lacerant, clamantes atque dicentes; Cur nos, Martyr Sancte, ſic crucias.* Vindictam Numinis experti Galli Delphos aggreſſi fulminibus de cœlo, & ſaxis de Parnaſſo ruentibus undique petiti, non ferente Deo etiam pravæ religionis contemptum; Pauſan. in Attic. ὡς δὲ ἐς χεῖρας συνῆεσαν, ἐν ταυθα κεραυνοί τε ἐφέροντο ἐς τὰς γαλάτας, καὶ ἀπορραγεῖσαι πέτραι τῦ παρνασσῦ, δείματά τε ἄνδρες ἐφίσαντο ὁπλῖται τοῖς βαρβάροις. *Ut verò ad manus ventum eſt, & crebra de cœlo fulmina, & ſponte avulſa de Parnaſſo ſaxa Gallos perculêre, & tres viri armati terribili ſpecie contra Barbaros ſtetere.* Nec ſacrilegii ſtatum demutat Conſtitutio Principalis, quia non demit pœnas canonicas ſacrilegii, ſed pœnam corporalem cumulat cum cenſuris Eccleſiaſticis, & per eam non eliditur Juriſdictio Eccleſiaſtica, ſed potiùs adjuvatur, nè crimen Eccleſiaſticum impunitum remaneat.

## CAPUT VII.

### *Sacrorum interturbatio est fori Ecclesiastici. Reprehenditur Fevretius.*

JURE Pontificio Ordinarius observare debet, nè divina turbentur officia, eaque turbantes coërcere per censuras Ecclesiasticas; cap. decet. §. Ordinarii, de offic. ordinar. in 6. quia perturbatio divini cultûs est crimen quod damnatur ab Ecclesiâ; Jo. Chrysostom. in Psalm. 43. αἰσχυνθήσαν οἱ θορυβοῦντες ἐν ἐκκλησίᾳ. *Erubescant qui tumultuantur in Ecclesiâ.* Et pœna hujusce delicti est canonica, nimirùm Sacra perturbantes excommunicantur ab Ordinario; cap. dilectis, de appellat. Pragmatic. tit. de his qui temp. divin. offic. vagant. per Eccles. §. prohibeatur. Hinc ratione delicti in Ecclesiâ commissi, laïci fiunt fori Ecclesiastici; Gloss. in auth. item nulla communitas. C. de Episc. & Cleric. Et sub Regibus primæ stirpis, subortâ rixâ in Basilica Dionysii Martyris inter cognatos viri, & mulieris quæ in eo erat ut purganda esset de suspicione adulterii sacramento patris, res perlata est ad judicium Episcopi; Gregor. Tur. libr. 5. cap. 33. Aymoïn. libr. 3. cap. 29. His Juris cunabulis, cùm laïcus conventus apud Officialem Aurelianensem ut responderet de perturbatâ solemni Litâ, & injuriâ illatâ Clericis procedentibus Litæ causâ, appellasset tamquam ab abusu à nudâ citatione, judicatum est abusui locum non esse auctore Ægidio Magistro Præside Parisiensi tractat. de appellat. tamquam ab abusu. cap. 6. Nec invidiosum est Judicem Ecclesiasticum esse idoneum Judicem in laïcos tumultûs exciti in Ecclesiâ; nam & testis deponens apud Judicem non suum, si falsum testimonium dixerit, potest ab eo coërceri submotâ præscriptione fori; L. nullum. C. de testib. & contumaces præpedientes Jurisdictionem Judicis delegati possunt ab eo multari; can. præterea, de offic. delegat. E contrà perturbationem divini cultûs esse crimen mixtum contendit Fevret. libr. 8. cap. 8. num. 2. nixus autoritate L. si quis in hoc genus. & auth. sed novo jure. C. de Episc. & Cleric. ex quibus perturbantes sacra ministeria, pœnâ capitis vel exilio plectuntur: nititur idem autoritate rei judicatæ, adducto Chopin. libr. 3. de sacra polit. tit. 4. num. 24. & Paponio libr. 1. tit. 5. art. 58. Sed cùm potestas Episcopi tota sit intra Ecclesiam, disciplinæ tuendæ gratiâ, necesse est cognitionem tumultûs contiti in Ecclesiâ omninò pertinere ad Episcopum; frustrà enim Episcopus

præest Ecclesiæ, frustrà magister disciplinæ dictitatur, si æmulum & rivalem Jurisdictionis habeat Judicem laïcum in his quæ ad disciplinam Christianam pertinent in adytis Ecclesiæ; L. 2. ff. de Jurisd. L. 1. ff. de suspect. tut. Nec Constitutiones quæ latæ sunt de pœnis eorum qui interturbarent divina officia, promulgatæ sunt ad scindendam in partes hac in re Jurisdictionem Ecclesiasticam, sed magis ad eam explicandam & tuendam, intentatis gravioribus pœnis quæ excederent modum Jurisdictionis Ecclesiasticæ: & licet semel judicatum auctor sit Chopinus crimen perturbationis divini cultûs esse mixti fori, idem tamen non dissimulat re iterum in judicium deductâ, eandem in consilium missam. Ex quo satis intelligimus non multùm valere autoritatem rei judicatæ quæ variis fluctuat sententiis, & potiorem esse debere sententiam juris, quæ autoritate & ratione nititur.

## CAPUT VIII.

### *Crimen usurarum est fori Ecclesiastici contra Covretium.*

CRIMEN Usurarum est Ecclesiasticum, & fori Ecclesiastici ex communi sententia Auctorum juris Canonici, duplici ratione. Prior est, quia usurarum interdictio originem cœpit à jure divino; cap. super eo. cap. cum tu, de usur. id est, à lege Moysis, Deuteronom. cap. 23. Augustin. in Psalm. 128. *Noli fœnerare: tu accusas Scripturam dicentem, Qui pecuniam suam non dedit ad usuram; non ego illud scripsi, non de ore meo primùm exiit. Deum audi: & ille, Clerici non fœnerent.* Altera est, quia pœna usurarum est canonica, & fœneratores coërcentur censuris Ecclesiasticis, & hujusmodi causa, velut canonica expeditur simpliciter & de plano, sine strepitu, & figurâ judicii; Clem. dispendiosam, de judic. & ibi Gloss. & cùm agitur de reppetendis usuris, censuris Ecclesiasticis compelluntur fœneratores rationes edere; Clem. 1. §. cæterum, de usur. Haud dicam crimen usurarum esse Ecclesiasticum, quòd mortale peccatum contineat, de quo cognoscit Judex Ecclesiasticus per viam disciplinæ Evangelicæ; cap. novit, de judic. Si enim in quolibet casu in quo verteretur peccatum mortale, adeundus esset Judex Ecclesiasticus, penè ex asse evacuaretur Jurisdictio secularis. Et hæc est communis sententia Glossatorum crimen usurarum propriè pertinere ad Judicem Ecclesiasticum; Gloss. in cap. 1. de offic. ordinar. Gloss. & dd. in cap. cùm sit generale, de for. competenti: imò & causam usurarum

esse quasi spiritalem, cùm sit spirituali annexa; Gloss. in cap. ex litteris de jurejur. Covarruv. libr. 3. var. resolut. cap. 3. Aliis placet media sententia crimen usurarum esse fori Ecclesiastici, si agatur an contractus sit usurarius, quia illud est spirituale; secularis, si non quæratur an usura contracta sit, sed de reppetendis usuris indebitis solutis, quòd illud sit facti & merè temporale; Bartol. in L. Titia. ff. solut. Matrimo. Bald. in L. quoties. C. de judic. Frideric. Senens. consil. 96. Marcus. qu. 496. & 535. part. 1. Forensibus magis placet crimen usurarum esse mixti fori, id est, utrumque Judicem promiscuè de eo cognoscere, quòd usura utroque jure Canonico & Civili vetita sit, & usuræ interdictio pertineat ad utilitatem Reipublicæ, & commodum negotiationis & societatis civilis. Annuere eis videntur Pontifices eo quòd Judæos compescendos esse per Principes & Potestates seculares ad remittendas Christianis usuras scriptum est in cap. post miserabilem, de usur. & in hanc sententiam inclinat Panorm. in d. cap. cùm sit generale. Belluga in specul. de propos. Princip. §. de usurariis. Covarruv. d. loc. Jul. Clarus libr. 5. sent. §. usura. num. 8. & §. fin. quæst. 37. & post eos Chopin. de sacra polit. libr. 2. cap. 2. num. 16. 17. & idem de doman. libr. 2. tit. 7. num. 20. quos avidè secutus est Fevret. libr. 8. cap. 2. num. 6. Sed non ideò crimen usurarum sit mixtum seu commune, quòd usura utroque jure vetita sit: nam crimen usurarum est Ecclesiasticum jure præventionis, quòd priùs vetitum sit à jure divino, nempè Lege Moysis quæ est primæva & typus omnium legum; in omnibus enim actionibus ut sciatur quæ cujusque sit natura, vis & potestas, spectanda est causa & origo obligationis; L. qui id quòd. ff. de donat. L. tutor, de fidejuss. L. clam possidere, de adquir. possess. L. 3. C. ad Macedon. Nec officit Jurisdictioni Ecclesiasticæ quod ex d. cap. post miserabilem, Principes & Potestates seculares adhibentur, ut Judæi compellantur usuras Christianis remittere: hoc enim introductum est in subsidium Ecclesiæ, quæ satis non valebat ad compescendos Judæos; imò specialiter hoc institutum ad promovendum delectum sacræ expeditionis adversùs Sarracenos, ut qui ære alieno tenebantur Judæis vel aliis creditoribus sub gravioribus usuris, provocarentur ad suscipiendam sacræ militiæ tesseram remissione usurarum quasi stipendii vice, ut liquet ex integra Decretali quæ legitur apud Innocent. III. libr. 2. epist. 331. Et idem ante constitutum Bullâ Eugenii II. sacræ itidem expeditionis causâ, quam intexuit Otho Frisingens. de gest. Frideric. libr. 1. cap. 43. de qua Bernard. epist. 322. ad Spirenses, de Judæis: *Attamen exigendum ab eis juxta tenorem Apostolici mandati, ut omnes qui Crucis signum susceperint, ab usurarum exactione liberos omnino dimittant.*

# CAPUT IX.

*Adulterium est crimen Ecclesiasticum : Reprehenditur Fevret. Variæ adulterii pœnæ. Mactari adulteros idem est quod virgis cædi : inde vernaculum*, Matter.

ADULTERIUM etiam numeratur inter crimina Ecclesiastica ; Episcopus enim habet potestatem inquirendi & judicandi de adulterio secundùm Canones, & cùm opus fuerit, publicum adhibendi auxilium ; cap. 1. de offic. ordinar. Conc. Aurelianens. 4. can. 29. *Si quæ mulieres fuerint in adulterio, cum Clericis deprehensæ, Clericis districtione adhibitâ mulieres ipsæ prout sacerdoti visum fuerit, districtioni subjaceant, & à civitatibus ut Sacerdos præceperit, repellantur*, collat. Cartaginensis cap. 102. *Iste Vitalis Diaconus fuit, Catholicus in civitate Citifensi, rebaptizatus factus est Presbyter, projectus est causa adulterii.* Etiam in Clericis Ecclesiarum quæ sunt annexæ Monasterio, cognitio de adulterio pertinet ad Episcopum, non ad Abbatem ; Goffridus Abbas Vendocinens. libr. 4. epist. 47. *Herbertus Presbyter de Saviniaco* ( quæ Ecclesia parebat Monasterio Vindocinensi ) *quandam maritatam tenebat, cujus maritum nocte graviter vulneravit ; nec ista à nobis, sed ab Episcopo suo sunt examinanda.* Imò Episcopus habet potestatem dispensandi cum Clericis de adulterio, pœnam scilicet depositionis remittendo post peractam pœnitentiam ; cap. etsi Clerici. §. de adulteriis. Et Clericus de adulterio semel punitus per Judicem Ecclesiasticum, non potest iterum de eodem per Judicem secularem ; d. cap. etsi Clerici. Adulterium verò censetur Ecclesiasticum crimen, non quasi sit levius delictum & inter minora crimina, quid enim adulterio gravius ; can. quid in omnibus. 32. qu. 7. & graviores mores sunt adulteria, ex Ulpiano libr. regular. tit. de dotibus. Et quod dicitur in d. cap. etsi Clerici, Episcopum cum Clericis dispensare de adulteriis & aliis minoribus criminibus, ita accipi velim ut adulterium numeretur inter minora crimina, non per se, sed comparativè respectu homicidii, incestûs, sacrilegii quæ sunt atrociora crimina. Magis est ut adulterium collocetur inter Ecclesiastica crimina, duplici ratione. Prior est quia per adulterium temeratur fides matrimonii, quod est unum è Sacramentis Ecclesiæ ; can. nemo.

32. qu. 4. cap. intelleximus, de adulter. Per adulterium penè solvitur conjugium cum fide ipsius coniugii; Isidor. Pelusiot. libr. 3. epist. 76. ἡ δὲ μοιχεία εἰς τοὺς τῶν γάμων συνθήκας ὥρα. *Adulterium ad ipsa matrimonii pacta tendit.* Unde adulteri sacrilegi dicuntur; L. quamvis. C. ad L. Jul. de adulter. Altera est, quia adulterii pœnæ sunt Canonicæ; nempe in Clericis depositio, in Laïcis excommunicatio; d. cap. intelleximus can. eos. can. Clericus. 81. dist. Occurrunt & aliæ pœnæ adulterii secundùm Canones etiam in Laïcos, puta flagellatio, abscissio vestium ante, & retrò, & detonsio capillorum ignominiæ causâ; de qua intelligendus est can. de Benedicto. 32. qu. 1. *Jubemus ut eum cum ipsa quoque districtè mactare non differas, & caluatos ab invicem separare.* Et hoc genus pœnæ in adulteris usurpari in Saxonia testatur Bonifacius Episcopus Moguntin epist. 19. *Nam in antiqua Saxonia si Virgo paternam domum cum adulterio maculaverit, vel si mulier maritata, perdito fœdere matrimonii adulterium perpetraverit, aliquando cogunt eam propriâ manu per laqueum suspensum, vitam finire, & super bustum illius incensæ, & concrematæ corruptorem ejus suspendunt; aliquando congregato exercitu fœmineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis cædentes & vestimenta ei abscindentes juxta cingulum, & cultellis suis totum corpus ejus secantes & pungentes, minutis vulneribus cruentatam & lacerατatam de villa ad villam mittunt, & occurrunt semper novæ scapellatrices, zelo pudicitiæ adductæ, usquedum eam aut mortuam aut vix vivam derelinquant.* Idem in quibusdam locis moris esse ait Glossa in d. can. Benedicto. & Panormit. in cap cùm sit generale, de for competent. Boër qu. 297.

Mactari dicuntur adulteri in d. can. qui virgis cædebantur, & quibus vestis abscindebatur & capillus tondebatur ignominiæ causâ; quia hujusmodi pœna propter dedecus penè morti comparatur. Mactare est cædere virgis; Plaut. in Aulul. *Dotatæ mactant, & malo & damno viros.* Idem in Epidic. *Macto ego illum infortunio.* Unde ortum opinor vernaculum *Matter.* Hac analogiâ Matapena nomen fuit castro quod conditum est in contumeliam Haduissæ comitissæ Orderic. Vital. libr. 11. *In loco qui vetus Rothomagus dicitur, castrum condere cœpit, quod matapenam id est divincens meretricem pro despectu Haduissæ Comitissæ nuncupavit.* Et Robertus Abbas S. Albani per locum dictus est Robertus Matefelon à Vvillelmo comite Harundellæ, quòd ab eo compulsus fuisset cedere Ecclesiâ de Vvimundam quæ erat cella Monachorum S. Albani. Matt. Paris in Hist. Abbat. S. Albani. *Unde semper Comes postea cautè sua commutans in jocosa ait: Per lanceam Dei nomen tuum de cætero mutabitur, & vocaberis Robertus Mateselon nomen adeptus & te-*

*nens ab effectu.* Nec vox ista ignota fuit Latinis Plaut. in Aulularia. *Dotatæ mactant & malo, & damno viros.* Nec proprium id pœnæ genus adulteris ; nam & olim reis cùm torquebantur, vestis scissa ignominiæ causâ ; Quintil declamat. 7. *Mirum hercle si scindo vestes, nudo corpus, ignes, flagella deposco. Homini non est nova res dolor corporis appliciti, quod sæpe laceraque veste non potest ferre pudorem, quod nescit ad flagellorum vices membra componere.* Et mox : *Diceres me hercle te velle torqueri, ego scindo vestes, tu intremiscis.* Et idem declam. 18. *Pater in tormentis filii non aversos tenuit oculos, ipse vestes scidit, vela-menta laceravit.* Inter pœnas Canonicas adulterii censetur & detrusio in Monasterium quoad mulieres, quia detrusio in monasterium non imponitur pœnæ causâ, sed providæ dispensationis causâ, ut in tuto sit custodiâ Monasterii pudor mulieris lapsæ, & ut colloçetur in loco in quo ei non liceat malè vivere ; d. cap. de benedicto. cap. tuæ, de procurat. vel pœnitentiæ causâ : Unde Monasterium pœnitentium à Justiniano Constantinopoli institutum, Μετανοίαν vocarunt ; Procop de ædific. Justinian. Si agatur de adulterio quoad separationem tori, Judicis Ecclesiastici disceptationem esse certi juris est ; d. cap intelleximus. d. cap. tuæ. cap. 1. ut lit. non contestat. Panormit. in d. cap. cùm sit generale. Decius Consil. 212. part. 2. Belluga in specul. de proposit. princip. §. sunt & aliæ. Jul. Clarus in §. fin. 37. num. 3. Quòd si agatur criminaliter de adulterio, solum, Judicem secularem de eo cognoscere placet ; L. quamvis. C. ad L. Jul. de adulter. Aliorum sententia est adulterium esse mixti fori tam in Laïcos quàm in Clericos, ita ut locus sit præventioni ; Jul. Clar. in §. adulterium num. 6. & d. §. final qu. 37. num. 3. Marcus qu. 513. Boër. d. qu. 297. Damhouder. in prax. cap. 89. num. 11. & seq. part. 1. Aliter Glossa in pragmatic. tit. de concubinar. §. & cùm omne, verf. hi ad quos pertinet, voluit adulterium quandoque esse crimen Ecclesiasticum, quandoque mixtum, quandoque seculare pro varietate casuum ; nimirum si agatur de adulterio ad separationem tori, vel censuras Ecclesiasticas, esse crimen Ecclesiasticum ; si ad detrusionem in Monasterium, adiri posse utrumque Judicem Ecclesiasticum & Civilem ; cap. gaudemus, de convers. coniug. Auth. sed hodie. C. de adulter. Si agatur criminaliter, rem esse tantùm fori secularis, nec locum esse Judici Ecclesiastico ; cap. sententiam, ne Cleric. vel Monach. Bald. in auth. Clericus quoque. C. de Episc. & Cleric. & Panormit. in d. cap. Cùm sit generale. Durior his omnibus ac deterior est sententia Fevretii libr. 8. cap. 2. num. 10. Adulterium etiam in Clericis omnino esse fori secularis, & Clericos hujusce criminis reos postulatos apud Judicem secularem, non uti præscriptione

criptione fori, quasi Constitutionibus Regiis id criminis numeretur inter crimina capitalia : inauditum enim est ex quapiam Constitutione Regiâ adulterium esse capitale ; non irrogabat pœnam sanguinis ac nè quidem deportationis, sed tantùm relegationis L. si quis viduam. ff. de quæst. & aliis infinitis locis. Hinc Augustum, ubi adulteros pœnâ capitis affecit, legum suarum modum excessisse ait Tacit. 3. Annal. *Augustus culpam inter viros ac fœminas vulgatas, gravi nomine læsarum religionum ac violatæ majestatis appellando, clementiam Majorum, suasque ipse leges egrediebatur.* Constitutione Constantini adulterium factum est capitale ; d. L. quamvis ; de qua intelligendus Arnob. 4. adversus gentes : *Ad libidinem homines proni, atque ad voluptatum blanditias naturæ infirmitate proclives, adulteria tamen legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione jecisse.* Et Hieronym. libr. 1. adversus Jovinian. *Quotidie Mœchorum sanguis effunditur, adulteria damnantur, ac inter ipsas secures ac tribunalia flagrans libido dominatur.* Hac lege Cethegus Senator adulterii pœnam capite luit ; Ammian. L. 28. *Tunc Cethegus Senator adulterii reus delatus, cervice periit abscissâ.* Constantini legem secutus Carolus Magnus adulterium pari cum sacrilegio capitis pœnâ proscripsit, ex Capitul. libr. 6. cap. 325. & eo fortè se referens Ivo Carnotens. epist. 10. ad Sanctimoniales quasdam : *Si enim aliqua vestrûm*, inquit, *esset alicui nuptiali fœdere sociata, & ad alium transiret, nonnè adultera judicaretur? nonnè capitali sententiâ à judicibus puniretur?* Sed antiquioribus moribus Galliæ adulterium non esse capitale, locupletes autores sunt Joannes Faber in §. item lex Julia. inst. de public. judic. & Marcus d. decis. 513. & hanc pœnæ remissionem in adulteros valdè detestatus est Thomas Cantiprat. libr. 2. apum. cap. 30. *Ita & de adulteris dicimus, qui proximorum uxores defœdant, quare secundùm leges civiles non sit statutum, ut crimen tam abominabile puniatur?* Ante Carolum etiam adulterium non fuit capitale : Septiminam ob adulterium flagellis cæsam, & cauterio vultum adustam, ad molam damnatam, Droctulfum ejus adulterum incisis auribus & capillis ad vineam, refert Gregor. Tur. libr. 9. cap. 38. *Septimina verò cum Droctulfo vehementer cæsa, ac cauteriis accensis in facie vulnerata, ablatis omnibus quæ habebat in Marilegium villam deducitur, ut scilicet trahens molam, iis quæ in Gynæcio erant positæ, per dies singulos farinas ad victus necessarias præpararet : Droctulfum autem incisis capillis & auribus, ad vineam excolendam delegaverunt.*

## CAPUT X.

### *Concubinatus in Clericis est fori Ecclesiastici. Refutatur captiosa interpretatio Fevretii.*

CONCUBINATUS pariter est crimen Ecclesiasticum, quia ejus interdictio originem cœpit ab Ecclesiâ; can. nemo. 32. qu. 4. nec jure civili vetitus fuit concubinatus; L. in concubinatu. ff. de concubin. Gloss. in pragmatic. tit. de concubinar. §. & cùm omne vers. hi ad quos pertinet. Ægid. Magister de appellat. tamq. ab abusu. cap. 6. Hieronym. ad Ocean. *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi: Aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frœna laxantur; & solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas.* Hoc jure Eusthatium Lectorem Cæsarienſem per calumniam accusatum apud Episcopum de stupro cum filiâ Presbyteri, depositum refert Pallad. Histor. Lausiac. cap. 141. Et Marcion Ponticus à patre Episcopo ob stuprum illatum Virgini Ecclesiâ pulsus, pœnitentiâ à patre non impetratâ Romam profectus, à Pontifice audivit non mitiùs cum eo actum iri, nisi pater annueret; Epiphan. hæres. 42. Fevret. lib. 8. cap. 3. num. 7. non ausus inficiari quin concubinatus in Clericis sit crimen Ecclesiasticum, ut per obliquum frustretur Jurisdictionem Ecclesiasticam, quam directò petere non potest, illud in crimen seculare migrare vult, si sit publicum propter scandalum. Sed fucatâ interpretatione non convenit, Ecclesiæ quòd suum est tolli: delictum fateor in Clericis gravius si sit publicum, quàm si occultum; Ambros. de Abrahamo libr. 1. *Tolerabilior est si lateat culpa, quàm si culpæ usurpetur autoritas.* Sed parum refert an publicum sit, an occultum; quia concubinatus esse non potest sine consuetudine ex qua necesse est scandalum cieri, maximè in Clericis quorum vita & mores diligentiùs observantur à laïcis. Et ut intelligat quàm frivola & captiosa sit hujusmodi distinctio, etiam publicos concubinarios esse fori Ecclesiastici patet ex Concordato tit. de publicis concubinariis, ex quo ii variis pœnis afficiuntur imponendis ab Episcopo: ac primùm ab Episcopo suspenduntur à perceptione fructuum Beneficii per tres menses, tum si concubinam à se non abjecerint, veniunt privandi omnibus beneficiis. His argumentis nihil est quod dubitemus concubinatum prorsus esse fori Ecclesiastici: verumtamen si Clericus monitus non abstineat, tunc rectè aditur Judex secularis; Conc. Hispalens. I. can. 3. *Placuit proindè, ut si Presbyteri, Diaconi vel Clerici consortia extranearum fœmi-*

*narum, vel ancillarum familiaritatem, post Sacerdotis sui admonitionem à se minùs removerint, sæculi Judices easdem mulieres, cum voluntate & permissu Episcopi comprehensas in suis lueris usurpent, &c.* Et Synodus Augustana habita anno 952. sub Joanne XII. *Nullus in Clericatûs officio manens mulierem subintroductam secum habere permittat: si verò aliqua suspicionum maculis adspersa, contra hæc agere tentaverit, ab Episcopo vel ejus misso virgis cæsa detondeatur; si autem secularis potestas hoc fieri prohibuerit, regiâ potestate fœmina coacta, prælatæ sententiæ subjaceat.* Etiam de concubinis Clericorum cognoscere Judicem Ecclesiasticum moris fuit in Anglia; Matth. Paris ad ann. 1225. *Eodem anno exivit Decretum ab Archiepiscopo Cantuariensi* ( Huic nomen erat Stephanus de Langetuna ) *& Episcopis ejus suffraganeis in hunc modum: Concubinæ Sacerdotum & Clericorum qui infra sacros Ordines constituti & beneficiati sunt, Ecclesiasticâ careant sepulturâ, nisi sanè se correxerint incolumes, vel tanta earum in extremis appareat pœnitentia, propter quam non immeritò cum eis debeat dispensari. Item non recipiantur ad osculum pacis, nec panem benedictum percipiant in Ecclesiâ, quamdiù concubinarii eas detinent in domibus suis, vel publicè extra domos. Item si pepererint, non purificentur, nisi priùs sufficientem præstiterint cautionem Archidiacono, vel ejus Officiali, de satisfactione in proximo capitulo post purificationem earum faciendâ. Item Sacerdotes in quorum Parochiis concubinæ talium commorantur, si non hoc ostenderint Archidiacono vel ejus Officiali, suspendantur, & priusquàm relaxentur, gravi pœnitentiæ subjaceant. Item quæ convinci poterit quòd Sacerdos eam carnaliter cognoverit, publicam agat pœnitentiam & solemnem, ac si de adulterio esset convicta, tamquàm pro duplici adulterio puniatur, nè tanti reatûs impunitas aliis transeat in materiam delinquendi.* Tamen quia concubinæ Clericorum sunt personæ laïcæ, lubens & non ingratiis concedo, nullas in eas esse partes Judicis Ecclesiastici: concubinæ non sunt fori Ecclesiastici propter commixtionem sceleris cum Clericis, quia nulla est societas maleficiorum; L. 1. §. planè. ff. de tutell. & rat. distrah. L. si plures, de administr. tutor. Et hac in re mihi potius est judicium nobilis matronæ quæ omisso Clerico concubinam suo foro vindicavit, eamque latiore coronâ velut Presbyteram dehonestavit; Jacob. à Vitriaco Occidental. histor. libr. 2. cap. 8. *Quædam autem nobilis mulier in villa quam habebat frequenter admonuit Presbyterum ut suam relinqueret concubinam; quo renuente & respondente, Quid ad vos de Sacerdotibus? ipsa respondit contra vos nullam possum exercere justitiam: veruntamen omnes hujus villæ, qui non sunt Clerici ad meam spectant Jurisdictionem. Jubens autem Sacerdotis ad se adduci concubinam, fecit ei fieri amplam coronam dicens: Quia non vis relinquere Sacerdotem, volo te ordinare in Sacerdotissam.*

## CAPUT XI.

### *Cognitio Homicidii quoad Clericos pertinet ad Judicem Ecclesiasticum: Notatur Fevretius. An idem in Veneficio.*

HOMICIDII cognitio quoad Clericos pertinet ad Judicem Ecclesiasticum; cap. sicut dignum est, de simon. quia homicidio statutæ sunt pœnæ canonicæ in Clericis, depositio & detrusio in Monasterium; d. cap. sicut dignum. §. vult. Gregor. Tur. libr. 5. *Episcopus in homicidio, adulterio & perjurio deprehensus, à Sacerdotio divellatur.* Et homicidium est crimen commune, nisi committatur ex insidiis; quo casu est regium & privilegiarium, de quo suo loco dicemus. Hoc jure Dioscorus Episcopus Alexandrinus ob nefariam necem Flaviani Episcopi Constantinopolitani in Concilio Chalcedonensi est depositus; Liberat. in Breviar. cap. 12. & 13. Eodem jure Salonius Ebredunensis & Sagittarius Vapincensis Episcopi homicidii, adulterii & aliorum scelerum rei in Synodo Lugdunensi depositi; Gregor. Tur. libr. 5. can. 20. Aymoin. libr. 3. cap. 28. Ob nefariam cædem Joannis Archiepiscopi Rothomagensis Monachi Sancti Audoëni in Concilio damnati, & pœnę causâ per diversa Monasteria in ergastulum detrusi; Matth. Paris ad ann. 1073. *Eodem anno invaserunt Monachi Sancti Audoëni Joannem Archiepiscopum Rothomagensem, Missam celebrantem in festivitate ejusdem Sancti, cum armata manu virorum. Unde judicatum est in Concilio in eadem civitate congregato, præsidente Rege Anglorum Villielmo, Monachos hujus criminis reos, per Abbatias carceribus retrudi, & perpetuam agere pœnitentiam super tam gravi delicto.* Quod & Matth. Vvestmonaster. iisdem verbis. Erat quòd de hoc dubitaretur, quia cædes Pontificum est enorme flagitium, cujus cognitio tribuitur Judici seculari secundùm can. sunt quædam. 23. qu. 5. *Sunt quædam enormia flagitia, quæ potiùs per mundi Judices, quàm per Antistites & Rectores Ecclesiarum vindicantur; sicut cùm quis interficit Pontificem Apostolicum, Episcopum, Presbyterum sivè Diaconum. Hujusmodi reos Reges & Principes mundi damnant, &c.* Tamen homicidium à Clericis commissum esse fori Ecclesiastici jure & moribus obtinuit: inde cùm Clericus homicidii reus postulatus conveniretur apud Episcopum Sarisberiensem, instantibus Regiis Magistratibus & propinquis defuncti ut meritas pœnas daret, deficientibus probationibus, indicta est ei purgatio canonica; quo in purgatione deficiente consultus Tho-

mas Archiepiscopus Cantuariensis edixit ut omni privatus Beneficio Ecclesiastico, in Monasterium perpetuæ pœnitentiæ causâ retruderetur : quæ fuit una è causis schismatis inter Henricum II. Regem Anglorum & Thomam, excandescente Rege quòd mitiùs actum esset cum Clerico; Vita & Proceſſ. S. Thomæ Cantuar. libr. 1. cap. 22. *Contigit ut quidam operarii diabolici, nomine dumtaxat Clerici, sed de sorte Sathanæ, de maleficiis accusati, capti tenerentur in vinculis, inter quos Sacerdos unus erat de homicidio infamatus & accusatus à propinquis defuncti. Iste ob privilegium Ordinis ad Diœcesanum Episcopum Sarisberiensem captus dirigitur, Regis Officialibus & propinquis defuncti accusantibus, & acriter instantibus, ut Episcopus exhiberet justitiam. Sed Sacerdote constanter inficiante cùm non posset per accusatores convinci, canonica indicitur purgatio accusato; sed eo in purgatione deficiente, mittit Episcopus ad Archipræsulem de jure consulens, & ut in exequendis procederet securiùs. Archipræsul verò consultus quidem mandavit, ut omni privatus Beneficio Ecclesiastico exautorizaretur, & in Monasterio ad agendam perpetuam vitæ districtissimæ pœnitentiam perpetuò recluderetur, &c.* Ecclesiæ Normannicæ remissa ex parte servitus quâ tenebatur, Beneficio Richardi I. Regis Anglorum, ita tamen ut Clerici essent in potestate Judicis secularis in homicidio, furto & aliis enormibus flagitiis; Matth. Vvestmonaster. 1190. *Circa illos dies annuente Rege Richardo liberata est Ecclesia Normannica à longo servitutis jugo quo premebatur; quòd scilicet nullâ occasione, à secularibus caperentur Clerici potestatibus sicut consueverant, nisi pro homicidio, furto, incendio, vel hujusmodi enormi flagitio.* Fevret. libr. 8. cap. 12. num. 18. non aliâ ratione nititur probare homicidium esse crimen fori secularis quàm hacce, quòd ejus pœna sit capitalis : sed quàm prava est hujusmodi ratiocinatio. Etsi enim homicidium sit capitale, reus non liberatur à pœnâ homicidii Ecclesiasticâ, sed ut pœna æquet atrocitatem facinoris, tradendus est Judici seculari; cap. cùm non ab homine, de judic.

Veneficium etiam est fori Ecclesiastici, eodem enim jure censetur quo homicidium; venefici eâdem pœnâ tenentur qua homicidæ; can. 92. Synod. VI. in Trull. licet gravius videatur veneficium quàm homicidium, quòd venenum propinetur ex insidiis : plus est enim occidere veneno quàm gladio; L. 1. C. de malefic. & mathematic.

# CAPUT XII.

## *Blasphemia est fori Ecclesiastici. Refellitur Fevretus.*

BLASPHEMIA in Deum, Dei-param Virginem & Sanctos est crimen Ecclesiasticum, cujus cognitio pertinet ad Episcopum, quia sapit hæresim, ejusque pœnæ sunt canonicæ ; cap. statuimus, de maledic. Ecclesia enim non debet tolerare illius opprobrium, qui probra nostra sustulit; cap. in nonnullis, de Judæis; necnon blasphemi tamquam sacrilegi puniendi sunt; cap. cùm sit generale, de foro competent. atque blasphemiæ reum Episcopali judicio flagellis cæsum se audiisse refert Augustin. in Psalm. 122. *Nam quis dubitet, sicuti audivimus à fratribus qui interfuerunt Coepiscopis nostris, damnatum illum Boeticum inimicum contra Dominum latrantem, dignè flagellatum fuisse.* Scio multis placere blasphemiam esse mixti fori Ecclesiastici & secularis, & blasphemum in utroque foro puniri; quòd Canones videantur tribuere Jurisdictionem Judici seculari in crimine blasphemiæ; d. cap. statuimus. d. cap. in nonnullis. Panormit. in d. cap. statuimus. Aufrer. de potest. secul. reg. 41. fallent. 14. Rebuff. in quib. casib. Judex secul. num. 49. Calderin. consil. 11. de judic. & foro compet. Ancharan. consil. 15. Boër. decis. 301. Sed in utroque cap. Ecclesia auxilium Judicis secularis implorat in blasphemos & Judæos, non ut propriam Jurisdictionem cum potestatibus secularibus dividat, sed ut illarum solatio utatur, si necesse fuerit in executione rei judicatæ, ut disertè scriptum est in d. cap. statuimus. Gravius est quòd voluit Fevret. libr. 8. cap. 1. num. 2. blasphemiam esse omnino casum privilegiarium, quasi importet confiscationem corporis & bonorum. Aliâ ratione Chopin. de doman. libr. 2. tit. 7. num. quòd blasphemi divinæ Majestatis rei sint. Equidem jure civili pœna blasphemi est ultimum supplicium; Nov. Just. 77. & Constitutione D. Ludovici candente ferro oris deformatio; de quo genere pœnæ Jonvilla in ejus vita : *Et aussi oüy dire que depuis qu'il fut retourné d'oultre-mer qu'il avoit fait bruster & mercher à fer chault le neys & la baulievre d'un Bourgeois de Paris, pour un blasphemequ'il avoit fait.* Sed ex his non probatur blasphemiam esse omninò Judicis secularis : etsi enim blasphemis irroganda veniat pœna corporalis, Judex Pontificius non vetatur de his cognoscere, & ubi re cognitâ intellexit delictum excedere modum Jurisdictionis Ecclesiasticæ, tunc debet tradere reum Judici seculari puniendum; cap. cùm non ab homine, de

judic. & hoc pacto utrique Jurisdictioni quod suum est relinquitur. Ex Constitutione Caroli VIII. blasphemia est crimen commune, cujus cognitio tribuitur Judici seculari in laïcos, Judici Ecclesiastico in Clericos, permissâ tantum Judici seculari capturâ Clericorum. Quo jure igitur contra Constitutionem Regiam crimen commune convertitur in privilegiarium, & Judex secularis excedit lineas, quas posuêre Christianissimi Reges utriusque Jurisdictionis æquissimi arbitri?

## CAPUT XIII.

### *Judex Ecclesiasticus cognoscit de Perjurio. Refellitur Fevretius.*

COGNITIO de Perjurio pertinet ad Judicem Ecclesiasticum; cap. novit, de judic. Gloss. & Panormitan. in cap. cùm sit generale, de foro competent. quia ejusdem est cognoscere de juramento an licitum sit necnè propter spiritualitatem, id est, religionem quam in se habet jusjurandum; & hoc est quod dicitur in cap. cùm C. laïcus, de foro compet. cognitionem perjurii pertinere ad Judicem *Ecclesiasticum* ratione juramenti, id est, eadem ratione qua cognoscit de jurejurando; quia perjurium est transgressio jurisjurandi; tum etiam quia perjurii pœna est canonica, nimirum Beneficii privatio in Clericis; cap. querelam, de jurejurand. Marcus quæst. 665. part. 1. Jul. Clarus 5. sentent. §. perjurium. num. 4. Et ita cùm Joannes Tabennesiotes Episcopus Alexandrinus Episcopatu depositus Romam profugisset, & apud Simplicium Pontificem conquestus esset se depositum, quòd Conc. Chalcedonensis doctrinam tueretur; Pontifici de causâ depositionis scisciranti reus rescripsit non aliâ de causa eum abdicatum, quàm quòd perjurii reus esset, nimirum ob ambitum Episcopatum, contra fidem & religionem jurisjurandi; Evagr. libr. 3. cap. 15. Nicephor. Callist. libr. 16. cap. 11. 15. In laïcis perjurii pœna est pœnitentia injungenda ab Episcopo; cap. quantò, de jurejurand. Jure civili verò perjurium non punitur in foro, & contempta jurisjurandi religio solum Deum ultorem habet; L. 2. C. de reb. credit. & jurejurand. Perjurium esse fori Ecclesiastici, satis argumento est, quòd Summus Pontifex potest gratiam facere jurisjurandi, id est, absolvere à juramento, ut perjurium vitetur; cap. non sine, de

arbitr. cap. cùm ex injuncto, de nov. oper. renunciat. Et quòd olim idem licebat Principi L. ult. ff. ad Municipal. & Tranquill. in Tiber. cap. 35. hoc jus ei proprium erat tamquam Pontifici; Imperatores enim ab Augusto Pontificatum maximum principali purpuræ adjunxerunt, & amictum Pontificalem à Sacerdotibus accepêre ad Gratianum usque, qui oblatam vestem Pontificiam rejecit, ratus nefas esse Christiano Principi hujusmodi veste uti; Auctor est Zozim. libr 4. Hinc inter damnata capitula Clarendonensia censetur illud quod vetuit Henricus II. Rex Anglorum, nè Judices Ecclesiastici cognoscerent de perjurio; Jo. Sarisber. epist. 59. *Hæc capitula inprimis damnata sunt, quòd non liceat Episcopo excommunicare aliquem qui de Rege teneat sine licentiâ ipsius, quòd non valeat Episcopus coërcere aliquem Parochianorum suorum, pro perjurio vel fide læsa.* Nec invidiosum Dei Sacerdotes cognoscere de perjurio, tamquam de violata religione, cùm ipsi sacrificuli gentilium eodem jure usi sint; Plaut. in Rudente. *Libet jurare furi meo, Pontifex perjurio es.* Non inficior aliis placere perjurium esse utriusque fori; Panormit. in d. cap. cùm sit generale, Belluga in specul. de proposit. princip. §. quædam. num. 1. 2. 3. Guid. Pap. qu. 178. & licet in criminibus mixtis sit præventioni locus etiam adversùm laïcos, aliud servari in Galliâ, & in his laïcos conveniri coram Judice seculari, Clericos coram Judice Ecclesiastico: quæ est sententia Rebuff. in quib. casib. Judex secular. num. 72. quam avidè suam fecit Fevret. L. 8. cap. 2. num. 4. sed ea quàm pugnet cum religione jurisjurandi, & saniore doctrinâ juris, ex præmissis judicabit æquus lector. Licet verò de juramento cognosceret Judex Ecclesiasticus, nefas ei fuisse fateor cognoscere de viribus contractûs; & quia obtentu juramenti contractibus apponi soliti laïci traducebantur ad forum Ecclesiasticum, non injuriâ Decreto Senatûs Parisiensis anni 1290. In causâ Archiepiscopi Tolosani vetitum est, nè deinceps jusjurandum contractibus apponeretur nè Jurisdictio secularis evacuaretur; Benedict. in cap. Raynut. in verb. duas habens filias. num. 247. Jusjurandum non est de substanstia contractus, & adhibetur tantùm ob fidem contractûs tuendam; Gregor. Nazianzen. orat. 40. εἰ γὰρ τὰς πρὸς ἀνθρώπους ὁμολογίας ἐμπεδοῖθεος μέσος παραλιφθεὶς: *Nam si ad hominum pacta Deus medius adhibetur.* Jusjurandum igitur non potest tamquam decipula apponi ad rapiendam Jurisdictionem secularem: Jusjurandum enim non debet esse vinculum iniquitatis; d. cap. quantò. can. inter cætera 22. qu. 4.

CAPUT XIV.

# CAPUT XIV.

## *Causa Injuriarum in Clericos est fori Ecclesiastici. An idem in causâ Libelli famosi.*

SI cum Clerico agatur actione injuriarum civili, vel criminali, is conveniendus est apud Judicem Ecclesiasticum, quia in civilibus vel criminalibus causis Clerici non alium sortiuntur, quàm Judicem Ecclesiasticum; can. Clericum nullus & passim. 11. qu. 1. Nec spectanda Novella Valentiniani de Episcopali judicio, quâ cavetur ut Episcopi actione injuriarum conveniantur apud Judicem publicum, si atrocior fuerit injuria: quia legis appellatione indigna habita est Constitutio Principis Ecclesiæ infensissimi. Si Clericus libellum famosum sparserit, casum privilegiarium esse putat Fevret. libr. 8. cap. 2. num. 7. Etsi tamen libellus famosus atrociorem injuriam contineat, non excedere modum Jurisdictionis Ecclesiasticæ probatur duobus argumentis: prius est, quòd si qui deprehensi fuerint libellos famosos spargere, in Ecclesiâ anathemate percelluntur ex Concil. Eliberit. can. 42. can. si qui 5. qu. 2. Alterum est, quòd quempiam qui libellum famosum valvis Ecclesiæ affixerat adversùs mulierem unam è Diaconissis, se excommunicasse refert Basil. epist. 249. τῷ ἐμοὶ ὑπεβαλλόσαν ἐπέθηκα δίκῃ τῷδε, ἐξορίστας αὐτὸν τῆς ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας. *Pœnam huic homini, quam pro potestate potui inflixi, eumque ab Ecclesiæ Communione separavi.* Quid si Clerico injuria irrogata sit à laïco, an eâ de re cognitio erit Judicis Ecclesiastici in laïcos. Olim res pertinebat ad judicium Episcopi; cap. olim, de injur. can. Guilisarius 23. qu. 4. quia injuria illata Clericis spectat ad Deum; Salvian. libr. 8. de gubernat. Dei. *Sacrilegii quippè genus est Dei odisse cultores: sicut enim si servos nostros quispiam cædat, nos in servorum nostrorum cædit injuriam, & si à quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filii pietas paterna torquetur; ita & cùm servus Dei à quoquam*

*læditur*, *Majestas divina violatur*. Et id olim servatum in Galliâ auctor est Guid. Pap. quæst. 562. Sed hodiè nullæ in his sunt partes Judicis Ecclesiastici, ex quo Constitutione Regiâ anno 1539. Judex Ecclesiasticus non cognoscit inter laïcos, nisi in causis Sacramentorum, vel aliis spiritualibus.

# DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA

## TUENDA ADVERSUS INSULTUS

Auctoris tractatûs de Abusu, & aliorum.

## LIBER QUINTUS.

### CAPUT PRIMUM.

*Crimen mixtum est, de quo uterque Judex competens est, & in quo præventioni locus est. Reprehenditur hîc perpetuus error Fevretii.*

DELICTA alia sunt merè Ecclesiastica, id est, ad notionem Judicis Ecclesiastici pertinentia; alia merè secularia, id est, ad cognitionem Judicis laïci pertinentia; alia mixta seu communia, id est, quæ sunt utriusque fori, Ecclesiastici & secularis, & in his locus est præventioni; cap. cùm sit generale, de for. compet. id est, disceptatio est Judicis qui priùs hac de causâ aditus est, nè mutuo conflictu & concertatione Judicum crimina impunita maneant, & dum Judices inter se certant de competenti foro, reus lubricò effugiat, & nè pugnantes sententiæ subsequantur; L. cognitio. §. si plures. ff. de liberal. caus. In civilibus præventio litis inducitur per citationem; cap. pro-

posuisti, de foro compet. L. si quis posteaquàm. ff. de judic. vel per litis contestationem; L. ubi acceptum. ff. eod. L. cùm quædam, de Jurisdict. Et ubi plures Judices in eadem actione concurrunt, electio est actoris coram quo agat; Gloss. in L. ult. C. ubi in rem act. Rebuff. tract. in quib. casib. Judex secular. num. 72. non diffitetur crimina mixti fori esse, & utrumque Judicem de his cognoscere per præventionem etiam contra laïcos. Sed in his aliud servari in Galliâ affirmat, & in his laïcos conveniri coram Judice seculari, Clericos coram Judice Ecclesiastico: & hîc est perpetuus lapsus Fevretii, quo evertitur ratio mixtorum criminum. Si enim crimina mixta de jure sunt utriusque fori, & in his locus est præventioni, ea amplius mixta dici non possunt de quibus Judex secularis cognoscit in laïcos, & Judex Ecclesiasticus in Clericos, quia Jurisdictio Ecclesiastica & civilis sunt omninò distinctæ; can. duo sunt. 96. dist.

## CAPUT II.

### *Crimen falsi in Litteris Apostolicis rst fori Ecclesiastici.*

FALSI crimen in Litteris Apostolicis est crimen Ecclesiasticum seu fori Ecclesiastici, quia ejus pœna est canonica, nimirum in Clericis officii & Beneficii Ecclesiastici privatio, in Monasterium detrusio, & redactio ad Communionem laïcam; can. si Episcopus. 50. dist. cap. ad falsariorum, de crimin. falsi. Innocent. III. libr. 1. epist 261. & 533. Quâ de causâ confingens Litteras Apostolicas vel Episcopales, singulis festis diebus solemniter denunciari jubetur excommunicatus; Richardus Archiepiscopus Cantuarienfis apud Petrum Blesens. epist. 53. *Præterea quoniam in his partibus publica falsariorum pestis obrepsit, qui Bullis adulterinis & litteris calumnias innocentibus movent, & statum justè possidentium subvertere moliuntur, providentiæ vestræ districtè præcipimus, quatenùs solemniter denunciari faciatis excommunicatos singulis festivis diebus eos qui Domini Papæ Bullam vel nostra, & vestra sigilla falsare præsumunt eisque consentientes, ut quos à suâ malignitate non cohibet propriæ judicium conscientiæ, saltem frequens denunciationis iteratio valeat deterrere.* Sed quia falsi crimen gravius est, quàm ut pares huic pœnas habeat Judex Ecclesiasticus, nimirum lege Cornelia pœna falsi est capitalis; L. 1. & 5. C. ad leg. Cornel. de falsi. & Constitutionibus, in libero homine deportatio, vel publicatio omnium bonorum, in servis ultimum

ſupplicium; L. ubi C. eod. L. 1. §. ult. ff. eod. unde ab accuſatione falſi arcentur Sacerdotes; Collat. Carthaginenſ. 1. cap. 61. *Falſi crimen non objicere condecet Sacerdotem, nec committere potuiſſe credendum eſt.* Re cognitâ per Judicem Eccleſiaſticum Clerici falſi convicti poſt degradationem traduntur Judici ſeculari puniendi, & laïci falſi rei per eundem Judicem legitimè puniuntur; d. cap. ad falſariorum. Et ita crimen falſi eſt fori Eccleſiaſtici quoad pœnam Eccleſiaſticam, & civile quoad pœnam civilem, ex ſententia Panormitan. in d. cap. cùm ſit generale, de foro compet. Clericus verò confingens inſtrumentum publicum ſub ſigillo regio, non utitur privilegio fori, & hoc genus falſi omninò ſpectat ad Judicem Regium; Gall. qu. 56. & 186.

## CAPUT III.

### *Homicidium qualificatum eſt privilegiarium. Homicidium ſui ipſius in Clerico fori eſt Eccleſiaſtici. Homicidium per monomachiam etiam eſt privilegiarium.*

HOMICIDIUM qualificatum, id eſt, à Clerico patratum datâ operâ, ex inſidiis, eſt crimen privilegiarium quod omninò ſpectat ad Judicem ſecularem, eundemque regium; cap. 1. de homicid. in 6. nimirum propter atrocitatem criminis: atrocitas enim ſeu enormitas flagitii eſt argumentum Juriſdictionis ſecularis; can. ſunt quædam 23. qu. 5. Et hoc eſt quod noſtri vocant Aſſaſſinium, à nefariâ ſectâ Aſſaſſinorum, quod erat Sicariorum genus qui à Sarracenis ſubmittebantur ad tollendos ex inſidiis Principes Chriſtianos, & eorum nece belli patrii molem à ſe avertendam. Ejuſdem ætatis ſcriptores Murdrum vocabant; Matth. Paris in Joanne ad ann. 1216. *Prima propoſitio contra Regem Angliæ fuit, quòd Arthurum nepotem ſuum propriis manibus per proditionem interfecit peſſimo mortis genere, quod Angli Murdrum appellant.* Abbas Urſpergenſ. in Chronico: *Ille enim malignus* (hic erat Otto Palatinus de Vvitiliſpach. interfector Philippi Regis) *ad præfatos Epiſcopum & Marchionem confugit; unde & illi rei habiti ſunt de tali mordro.* Noſtri olim homicidium *d'aguet apensè* ex inſidiis meditatis; Juvenalis de Urſinis in vita Caroli VI. ad annum 1414. *Et ne peut-on oncques ſçavoir qui ce feit, & diſoient les aucuns que c'eſtoit feit d'adventure, & les autres qu'il avoit eſté mis d'aguet appenſé*: Hodiè contractiùs, *guet-à-pens.* Et

ita judicatur Clericos hujuſmodi maleficii reos non gaudere privilegio fori; Jo. Gallus quæſt. 350. Boër. deciſ. 69. num. 19. Aufrer. de poteſt. ſecular. regul. 1. fallent. 18. Id genus cædis ita grave & nefarium viſum eſt, ut etiam abſens tribus edictis citatus moribus noſtris capite plecteretur; Matth. Paris loco modò laudato: *Conſuetudo eſt in Regno Franciæ, quòd ex quo aliquis accuſatur coram ſuo Judice de tam crudeli homicidio, quod Murdrum appellatur; & ille qui accuſatur non venit, verùm modo legitimo ſe excuſat; pro convicto habetur, & tamquam convictus per omnia judicatur, & ei tam ad mortem, ac ſi præſens eſſet.* Homicidium ſui ipſius in Clerico, an eſſet fori Eccleſiaſtici an regii in Senatu diſputatum eſt. Hinc objiciebatur id genus homicidii eſſe atrocius; quia ſævitia in ſeipſum, omnia naturæ vincula exſcindit, qui enim ſibi non parcit, multo minùs aliis parcet; L. 3. §. ſic autem. ff. de his qui ſibi mort. conſciver. non nihil in alium auſurus, qui hoc adversùs ſe auſus eſt; L. cùm autem. §. excipitur. ff. de ædil. edict. Senec. 8. controverſ. 4. *Nihil non auſurus fuit, qui ſe potuit occidere.* Et qui ſibi vim affert, ſibi & vitæ inſidiatur, quod eſt deterrimum genus necis. Eorum qui ſibi mortem conſciviſſent graviſſima pœna: eorum ſc. cadavera inſepulta jacebant in area publica; Cedren. in Romano Argyropoli: ἑαυτὸν ἀπεκρημνίσας τῷ τείχει καὶ συντριβεὶς ἀπεθανε ῥίφεις μετὰ τῶν αὐτοφόνων. *Se ipſum de muro præcipitem dedit, confractâque cervice, eò abjectus eſt quò ſolebant qui ſibi ipſis mortem conſciviſſent.* Idem in Michaele Paphlagone: κἀκεῖνον ἔξω ἔρριψαν, κατὰ τὸν τῶν βιοθανάτων νόμον. *Ipſum autem inſepultum abjecerunt, ut lex jubet eos qui ſibi mortem conſciverunt.* Idem Zonar. Sed alii in contrarium exiſtimabant non eſſe ſpectandam atrocitatem facti, quia magis furori, quàm nequitiæ & ſceleritati imputandum eſſet, vel inſidiis diaboli, & non aliam eſſe pœnam canonicam hujuſce generis homicidii, quàm nè pro his qui ſibi manus intulere, oblatio, id eſt, Miſſæ ſacrificium fiat; can. non eſt noſtrum. can. placuit. 23. qu. 5. & in hanc ſententiam itum, rem eſſe fori Eccleſiaſtici, refert vir clariſſimus Simeon Oliva Senator Toloſanus Juris & usûs forenſis peritiſſimus libr. 1. cap. ult. Homicidium ex duello ſeu monomachiâ eſſe caſum Regium, & ad Præpoſitum Mareſcallorum ſpectantem judicatur, quia deteſtabile eſt homicidii genus quod tollit corpus & animam. Et Eccleſiæ ipſa deteſtatur monomachiam, & probationem per id genus certaminis ſeu judici in quo Deus tentatur; can. monomachiam. 2. qu. 5. cap. 1, & paſſim de purgat. vulgar. Clericus in maleficio quoque deprehenſus ſine habitu & tonſurâ privilegium fori amittit; cap. ex parte, de privileg. cap. perpendimus, de ſentent. excommunicat. Aufrer. de poteſtat. ſecular. regul. 1. fall. 19. Euſtathius Sebaſtienſis Epiſcopus in Armenia

depositus, quòd veste non congruâ Sacerdotio uteretur : ἐπειδὴ ἀνάρμοστον τῇ ἱερωσύνῃ τολμῶ ἠμφιέστο, ait Socrat. lib. 2. cap. 33. idem Sozomen. lib. 3. cap. 13. Eusebius tamen Samosatensis Episcopus à Valente in Thraciam relegatus, quamplures Ecclesias Pastore destitutas intelligens, pio consilio veste mutatâ, habitu militari & capite tyarâ operto Syriam, Phœniciam & Palestinam peragravit, tum quo Presbyteros & Diaconos crearet, tum quo alia Episcopalia ministeria obiret; Theodorit. libr. 4. cap. 12.

## CAPUT IV.

### *Crimen Perduellionis olim in Episcopis & Clericis fori Ecclesiastici, desit in privilegiarium quoad Clericos.*

Crimen perduellionis seu majestatis, cujusnam esset tribunalis in Clericis, Ecclesiastici an civilis, non una & constans fuit ratio pro vario statu Reipublicæ. Athanasius Episcopus Alexandrinus ab Arrianis insimulatus de vectigali lini Ægyptiis imposito, apud Constantium se purgavit; Socrat. libr. 1. cap. 20. Epiphan hæres. 68. Nimirum non vectigal lini indictum, sed à Fidelibus id ultrò oblatum de consuetudine in ornatum Ecclesiæ, auctor est ipse Athanas. apolog. 2. de fuga. Idem novis calumniis petitus, quasi interminatus esset se vetiturum nè frumentum Alexandriâ, ut solebat, deveheretur Constantinopolim; Socrat. cap. 23. ejusd. libr. Calendio Antiochenus Episcopus à Zenone in Oasim Insulam exilii causâ damnatus, quòd Illi, Leontii & Pamprepis qui ab eo defecerant, partes foveret; Nicephor. libr. 16. cap. 13. Zonar. in Basilic. In Galliâ reverentiùs actum est cum Episcopis & Clericis propter dignitatem Ordinis : Prætextatus Rothomagensis Episcopus à Chilperico Majestatis, homicidii & furti postulatus, Episcopali judicio, annuente Rege, traditus; Gregor. Tur. libr. 5. cap. 19. *His ita gestis audiens Chilpericus, quòd Prætextatus Rothomagensis Episcopus contra utilitatem suam populis munera daret, eum ad se arcessiri præcepit. Quo discusso erit cum eodem res Brunichildis Reginæ commendatas; ipsisque ablatis, eum in exilio usque ad sacerdotalem audientiam retineri præcepit. Conjuncto autem Concilio exhibitus est : Erant autem Episcopi qui advenerant apud Parisios, in Basilicâ Sancti Petri Apostoli, &c.* Ursicinus quoque Cadurcensis Episcopus in Matisconensi Synodo in triennium suspensus Episcatu, quòd Gundobaldum Clotharii filium sese dicentem falsâ opinione

deceptus admisisset; Idem Gregor. Turouens. libr. 8. cap. 20. *Ursicinus Cadurcensis Episcopus excommunicatur, pro eo quòd Gundobaldum excepisse publicè est confessus; accepto hujusmodi placito, ut pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vino & carnibus abstineret, Missas celebrare, Clericos ordinare, Ecclesiasque & chrisma benedicere, eulogias dare penitùs non auderet; utilitas tamen Ecclesiæ per ejus ordinationem, sicut solita erat, omnino exerceretur.* Ægidius etiam Rhemensis Episcopus coïtæ conspirationis in Childebertum Regem delatus, in Metensi Synodo Episcopatu depositus, & Strasburgum exilii causâ deportatus: Idem Gregor. Turonens. libr. 10. cap. 19. & Flodoard. hist. Rhemens. libr. 2. cap. 2. iisdem verb. *Hæc Episcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium, obtentâ vitâ, ipsum ab ordine sacerdotali, lectis Canonum sanctionibus, removerunt: qui statim ad Argentoracensem urbem, quam nunc Strateburgum vocant, deductus, exilio condemnatus est.* Ebo Rhemensis, Agobardus Lugdunensis, Theodulfus Aurelianensis Episcopi, dejectionis Ludovici Pii cum Lothario & aliis Regni proceribus conscii, in Synodo Episcoporum depositi; Aymoïn. libr. 5. cap. 26. Flodoard. libr. 2. cap. 20. Balduicus Noviomensis libr. 1. cap. 41. Sigebert. ad ann. 843. Auctor vit. Ludovic. Pii. Et horum facinus locum dedit can. 12. Aquisgranens. Concil. habiti anno 836. *Et idcircò in commune statuimus, ut si quispiam Episcoporum aut quilibet sequentis Ordinis Ecclesiastici, deinceps timore aut cupiditate, aut qualibet suasione, à Domino & Orthodoxo Ludovico Imperatore defecerit, aut etiam Sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, & ejus contrariis malevolâ intentione quolibet modo se copulaverit, gradum proprium canonicâ atque synodali sententiâ amittat, &c.* Vvenilo Senonensis Episcopus à Carolo Caluo perfidiæ delatus in Synodo Tullensi, de quo extat libellus proclamationis ipsius Caroli adversùs Vvenilonem porrectus Episcopis in Synodo considentibus. In Synodo Suessionensi damnati duo Monachi perduelles & conscii evasionis Pipini Aquitaniæ Regis, qui à Carolo Caluo in Monasterio S. Medardi detonsus erat: Synod. ipsa Suessionens. can. 3. *Ejectos jussu venerabilis Rothadi Suessionum Episcopi, ad Synodi audientiam Archidiaconus deduxit, & partim confessi, partim convicti conspirationis malum perpetrasse, Canonum severitate depositi sunt, (Presbyteri quippe erant) & separatim in Monasteria sui Ordinis longè distantia relegati.* In Hispaniâ Gothorum Reges judicio de Episcopis & Clericis abstinuêre, etiam in crimine majestatis, & res derelicta Concilio Patrum, nè sanctissimus Ordo cognitione Judicis laïci dehonestaretur; Synod. Toletan. VII. can. 1. *Ideòque placuit nunc concordi sententiâ definire, ut quisquis in ordine Clericatûs à maximo gradu usque ad minimum constitutus in alienæ*

gentis

*gentis regionem se quacumque occasione transduxerit, quò genti Gothorum, vel patriæ vel regno specialiter sub hac occasione possit nocere, vel fieri disposuerit vel aliquatenùs fecerit; quisquis hoc fecisse dinoscitur, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu privetur, ut locum ejus in quo ministraverat alter, continuò perpetim regendum accipiat.* His regulis Sisbertus Episcopus Toletan. in Concilio Toletano XVI. ob crimen conspirationis in Egirum Regem Episcopatu dejectus, simul & anathemate multatus, ita ut non prius, quàm in summo vitæ discrimine absolvi posset, ut patet ex ejusd. Concil. can. 11. Vaseo in chronic. ad ann. 69. Mariana de reb. Hispanic. libr. 6. cap. 18. Sub æram M. XX. Adulfus Episcopus Compostellanus per calumniam factionis cum Sarracenis insimulatus apud Veremundum Regem, Oveti coram Principe adfuit, & in eum taurus immissus: verùm non sine miraculo taurus facto impetu eum illæsum præteriit, & in ejus manu cornua deposuit, ut refert Lucas Tudens. libr. 4. Reverentiâ Ordinis, ab Episcopis & Clericis pœnas sanguinis non exegêre Principes etiam in crimine majestatis; satis eis fuit eos perpetuâ pœnitentiâ, vel exilio multari: non est auditus Chilpericus cùm à Prætextato minùs canonicas pœnas exigeret: Gregor. Tur. libr. 5. cap. 19. *His ita gestis petiit Rex, ut aut tunica ejus scinderetur, aut centesimus octavus psalmus, qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput ejus recitaretur; aut certè judicium contra eum scriberetur, nè in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego restiti juxta promissum Regis, ut nihil extra Canones gereretur.* Hodiè verò Episcopi & Clerici non eodem jure censentur in crimine majestatis. Episcopis enim semper dantur Judices Episcopi, de quo suo loco dicemus; in Clericis verò crimen majestatis est privilegiarium, cujus cognitio omninò pertinet ad Judicem regium in Clericis propter atrocitatem facinoris; Benedict. in cap. Raynut. verb. & uxorem decis. 2. num. 143. Jul. Clarus. §. final. qu. 36. num. 27. Imbert. libr. 3. instit. cap. 6. Carond. 7. Pandectar. cap. 13. Chopin. de doman. libr 2. tit. 7. & confiscatio bonorum ob id criminis pertinet ad fiscum regium, non ad inferiores dominos; L. quisquis. C. ad L. Jul. Majestat. Guid. Pap. qu. 76. & 341. & Chopin.. d. loc.

## CAPUT V.

### *Vis publicæ seu portûs armorum cognitio spectat ad Judicem Regium. Pœna canis sellæ seu rotæ.*

MORIBUS nostris vis publicæ uel portûs armorum cognitio spectat ad Judicem regium, nec in ea Clericis prodest exceptio fori; Jo. Faber in L. addictos. C. de Episcopal audient. Guid. Pap. qu. 437. Benedict. in cap Raynut. verb. & uxorem. decis. 2. num. 144. Chassan. in consuet. Burgund. Rubr. *Si aucun commet simp'e larcin.* in verb. *s'il n'a grace.* num. 80. Jul. Clarus §. fin. qu. 36. num. 26. Belluga in specul. de proposit. princip. §. dubitatur num. 3. Covarvu. pract. qu. cap. 33. Imbert. libr. 3. instit. forens. cap. 6. Ratio hujus regulæ duplex est: Prior quia gestatio armorum Clericis interdicta est, ex Conc. Pictavien. cap. 2. de vit. & honest. Cleric. can. Clerici. can. quicumque. 23. qu. 8. Clerici arma gestantes post trinam monitionem amittunt privilegium fori; cap. in audientia. cap. contingit, de sentent. excommunicat. Etiam privatis interdicitur usus armorum; L. unic. C. ut armor. usus inscio principe interdictus sit, & Constit. Frederici de pacis violatoribus. Imo in Gallia solis Nobilibus licet gladio accingi, nisi in itinere ob tutelam corporis. Gunterus Ligurin. libr. 1.

*Quoslibet ex humili vulgo, quod Gallia fœdum*
*Judicat, accingi gladio concedit equestri.*

Burkard. de Casib. Monast. S. Galli cap. 7. *Ministeriales optimos mansus curiarum nostrarum neligebant, cellerarii Ecclesiæ jura villicationis in modum beneficiorum habere cotendebant, & contra consuetudinem quidam ex ipsis more Nobilium gladium cingebant.* Alia ratio est, quia Principis maximè interest vim publicam quæ armis infertur hominibus ad hoc coactis & manu militari, compesci, nè publica pax perturbetur: L. nam salutem ff. de offic. præfect. vigil. cap. 1. de prohibit. feud. alienat. cap. 1. de pace tenenda in usib. feudor. Tamen consuetudo quâ utimur, excessit modum Constitutionum regiarum & Imperialium; Constitutione Friderici I. de pace violata quæ pertinet tam ad Clericos quàm ad Laïcos, Clerici si publicam pacem vi & armis perturbaverint, habent suum judicem Episcopum, & ab eo puniuntur privatione officii, vel beneficii

Ecclesiastici; hoc uno reservato Judici seculari, quòd multa viginti librarum addicitur Comiti seu Judici in cujus territorio delictum commissum est. Frequens est apud Germanos, ut multa aut pars multæ tribuatur Judici etiam Ecclesiastico; Conc. Tribur. can. 5. can. omnes 17. qu. 4. Ex consuetudine Gallicanâ & Germanicâ quoad Laïcos, pœna perturbatæ pacis in Nobilibus viris est circumferre canem humeris in proximum usque comitatum, in plebeiis vel rusticis sellam ante pœnam capitis, Otto Frising. de Gest. Friderici. libr. 2. cap. 28. *Denique vetus consuetudo pro lege apud Francos & Suevos inolevit, ut si quis nobilis ministerialis vel colonus coram suo Judice pro hujusmodi excessibus reus inventus fuerit* (sub de turbata pace absente Principe) *antequàm mortis sententiâ puniatur, ad confusionis suæ ignominiam Nobilis canem, ministerialis sellam, rusticus aratri rotam de comitatu in proximum comitatum gestare cogatur.* Quod metro non ineleganter expressit Gunter. libr. 5.

*Quippe vetus mos est, uti si quis Rege remoto,*
*Sanguine, vel flammâ, vel seditionis apertæ*
*Furtivè seu crebris regnum vexare rapinis*
*Audeat, ante gravem quàm fuso sanguine pœnam*
*Excipiat, si liber erit, de more vetusto*
*Impositum scapulis ad contigui Comitatûs*
*Cogatur per jura canem confinia ferre,*
*Sin alius sellam.*

Hoc pœnæ genus subiit Otto Comes Palatinus, ut patet ex his quæ sequuntur apud Ottonem Frisingensem & Gunterum: Eadem pœnâ multatus Eberhardus Comes ob pacem violatam; Vvitichind. rer. Saxonic. libr. 2. *Qua presumptione Rex* (is erat Henricus I. Imp. *auditâ, condemnavit Eberhardum centum talentis, æstimatione equorum, omnesque principes militum, qui eum ad hoc facinus juvabant, dedecore canum quos portabant usque ad urbem Regiam quam vocamus Magdeburg.* Imo & præter pœnas civiles, violatores pacis excommunicatione multantur, & eo nomine Ecclesiis locorum interdicitur; Ivo Carnotens. epist. 266. *Suasit enim Hugo filius Gervasii propter violatam pacem se esse injustè excommunicatum, & terræ patris sui injustè divinum officium esse interdictum.* Constitutione B. Ludovici ann. 1254. si Clerici deprehensi fuerint arma gestantes, arma quidem eis adimuntur à Judice regio, sed statim traduntur suo Judici multâ pecuniariâ puniendi: quòd si Judex Ecclesiasticus rem neglexerit, captis pignoribus compelluntur ad emendam seu multam luendam.

## CAPUT VI.

### *Latrocinii quæstio pertinet ad Judicem regium. Idem cognoscit de Incendiariis.*

LATROCINIUM à nostris refertur inter casus privilegiarios, cujus notio omninò pertinet ad Judicem regium etiam in Clericis, quod satis ferendum videtur duplici ratione. Prior est, quia latrocinium est furtum atrocius quod per vim committitur in via publica, in mari, aut in domibus ; Auth. sed novo. C. de servis fugitivis. Hieronym. in Osee cap. 7. *Fures insidiantur, & occultâ fraude decipiunt ; Latrones audacter aliena diripiunt* : & Augustin. de civit. Dei libr. 4. cap. 4. *Remotâ justitiâ quid sunt regna, nisi magna latrocinia ; quia & ipsa latrocinia quid sunt, nisi parva regna.* Et hoc est quod nostris dicitur *Vol*, à verbo, involare, quod idem sonat ac per vim eripere, ut in L. 6. ff. de incend. ruin. naufrag. *Aut vela conscinduntur, aut anchoræ involantur de mari.* Plin. libr. 9. cap. 59. de Piscatore Anthiæ piscis : *Singulos involat veriùs quàm capit.* Optat. libr. 4. adverf. Donatist. *Numquid de subducto vestimento, aut de involato gremio, aut de aliquibus rebus quæ ablatæ vel lucra vel damna inter homines faciunt.* Et Catull. *Remitte pallium mihi meum, quod involasti.* Publicarum autem viarum cura & securitas pertinet ad Principem ; L. 1. §. summa. ff de his qui effud. Tum quia latrocinio publica pax perturbatur, ac pacis tuendæ causâ principis interest maximè regionem latronibus & grassatoribus purgari : & hoc maximum fait studium Augusti finito bello civili, pace terrâ marique partâ, & post eum Tiberii, grassatores cohibere militum stationibus per congrua loca dispositis ; Tranquill. in August. cap. 32. *Grassatores dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit.* Et idem in Tiber. cap 37. *In primis tuenda pacis à grassaturis ac latrociniis, seditionumque licentiâ curam habuit, stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit.* Quod secuti Imperatores optimè institutum servaverunt. Tertull. Apologetic. cap. 2. *Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur.* Et qui præponebantur perquirendis latronibus ἀρχιλῃσταρχαι dicti, id est pacis Præfecti ; L. Divus Hadrianus. ff. de Custod. reor. L. unic C. de Irenarch. vel latrunculatores ; L. solemus. ff. de judic. Hinc pacis ab Augusto orbi terrarum datæ clarissimum argumentum ponitur, quod terrâ marique latrocinia sustulit ; Strabo libr. 3. φέρεται δὲ καὶ ἡ νῦν εἰρήνη τῆς λῃστείων καταλυθέντων, ὥϛ ἡ

σύμπασα ὑπάρχει ῥαστάνη τοῖς πλοιζομένοις. *In mari nunc pax est abolitis latrociniis : itaque summa est navigantibus securitas.* Et Constitutione Friderici I. de pacis violatoribus comprehenduntur latrones & incendiarii, de quibus mox dicendum.

Incendium etiam censetur inter casus privilegiarios ; quia incendiarii latronibus conjunguntur, utrique publicæ pacis conturbatores existunt, & iisdem pœnis, id est, pœnis capitis afficiuntur ; L. Capitalium. §. incendiarii. ff. de pœn. L. qui ædes. de incend. ruin. naufrag. Incendii casum altæ Justitiæ & Comitibus qui eam exercent, tribuit Constitutio Friderici : *Quòd si aliquis in ducatu alicujus incendium fecerit, ipse proscriptum pronunciet, ac deinde justitiæ suæ auctoritate proscribat : id ipsum faciant Marchiones, Palatini, Comites, Lantgravii & Comites alii, nec alicui eorum liceat talem absolvere, nisi Domino Imperatori.* Et olim tempore D. Jo. Chrysostomi cùm Ecclesia Constantinopolitana incendio deflagrasset, de incendiariis quæstio habita est à Præfecto urbi, etiam adversùs Clericos falsò ad invidiam Chrysostomi insimulatos, nimirum Eutropium lectorem, Tigrinum Presbyterum, & nobilem virginem Olympiadem Diaconissam ; Sozomen. libr. 8. cap. 24. Nicephor. libr. 13. cap. 23. & 24. Et ubi Jurisdictio Ecclesiastica convalvit in Normania quæ tum erat ditionis Anglicæ, & Clerici suo judici redditi sunt Constitutione Richardi I. Regis Anglorum, excepti sunt tres casus homicidii, furti & incendii ; Matt. Vvestmonaster. ad ann. 1190. *Circa illos dies annuente. Rege Richardo liberata est Ecclesia Normanica à longo servitutis jugo quo premebatur, quòd scilicet nulla occasione à secularibus capientur Clerici potestatibus sicut consueverant, nisi pro homicidio, furto incendio, vel hujusmodi enormi flagitio.* Denique in toto jure Gallicano, Imperii meri quod vocant altam Justitiam sunt latrocinium & incendium ; Stylus Parlament. cap. 31. In terra consuetudinaria Franciæ aliqui casus non reputantur de alta Justitia, nisi tres, incendium, raptus, & murtrum ; de quo videndus Chopin. de doman. libr. 2. tit. 7. num. 12.

# CAPUT VII.

*An Inceſtus ſpiritualis ſit commune delictum, an privilegiarium. De ſtupro Veſtalium judicium fuit penès Pontifices.*

AN Inceſtus ſpiritualis ſit commune delictum, an privilegiarium variè judicatum. Hujuſmodi flagitium privilegiarium eſſe, & regio foro vindicari placuit Senatui Rhedonenſi ex Bellordeo controverſ. libr. 9. cap. 11. quem lubens ſecutus eſt Fevret. libr. 8. cap. 2. num. 13. Fautores hujus ſententiæ movet enormitas criminis nè quidem nominandi inter fideles, quòd delictum Preſbyteri cum muliere vel puella ſubdita pœnitentiæ causâ, eſt inceſtus ſpiritualis; Parochus enim patris loco fungitur, dum Sacramentum Baptiſmi & alia quibus renaſcimur in gratiam, miniſtrat, & concubitus cum muliere pœnitente non minùs grave eſt, quàm cum filiâ ſpirituali, eundemque pœnitentiæ modum recipit; can. non debet. 30. qu. 1. Adeoque nefaria & horrenda viſa eſt Clerici libido cum mulierculâ pœnitente, ut pœnitentiæ uſus à Nectario Epiſcopo ſublatus ſit in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ, quòd mulier ingenua & nobilis publicè confeſſa ſit fœdam ſibi conſuetudinem fuiſſe cum Diacono, dum pœnitentiæ causâ verſaretur in Eccleſiâ; Socrat. libr. 4. cap. 19. Idem videtur dicendum multò magis de ſtupro cum Virgine Deo dicatâ: Si quis Aſcetriam, id eſt, Monacham corruperit, vel ſollicitaverit, capite plectitur, bonaque ejus monaſterio vindicantur, & mulier cum ſuis rebus cautiori, id eſt, diſtrictiori monaſterio traditur, ex Nov. Juſtin. 123. cap. 43. quam Gratianus intexuit in can. ſi quis rapuerit. 27. qu. 1. Eòque atrocius eſt hujuſmodi delictum, quòd non unum eſt crimen, ſed triplex; Primum eſt inceſtus; can. Virginibus, ead. cauſ. & qu. Cyprian. epiſt. 62. *Quid Chriſtus Dominus & Judex noſter, cùm Virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam, jacere cum altero cernit, quàm indignatur & iraſcitur? & quas pœnas inceſtis ejuſmodi conjunctionibus comminatur?* Cur Inceſtus? Quia virgo Deo dicata eſt mater ſpiritualis tamquam ſponſa Chriſti qui eſt pater noſter; can. qui abſtulerit. 12. qu. 2. & hac ſignificatione Græcis ἀμμᾶς dicitur; Pallad. hiſtor. Lauſiac. cap. 42. εὐλογυσον μὲ ἀμμᾶ. Et mox: ἄυτη γὰρ ἐστὶν ἀμμᾶς οὕτω γὰρ καλοῦσι τὰς πνευματικὰς μητέρας. *Benedic Amma. Hæc enim*

*est Ammas, sic enim vocant matres spirituales.* Sic Præpositæ Virginum, matres vocantur; Optatus Milevitan. libr. 2. adverſ. Donatiſt. *Invenerunt matres quas de castimonialibus fecerunt mulieres.* Auguſtin. epiſt. 109. *Præpositæ tamquam matri obediatur.* Sic Sacerdos qui Virginem conſecravit, ſi eam vitiaverit, inceſtum committit, ut potè pater ſpiritualis; Optatus. lib. 2. *Super memoratus Fœlix inter crimina ſua & facinora nefanda, ab eo comprehensâ puellâ cui mitram ipſe impoſuerat, à qua paulò ante pater vocabatur, nefariè inceſtare minimè dubitavit.* Secundum in eo crimen eſt adulterium: Adulterium enim committitur in virgine Deo dicatâ quæ eſt ſponſa Chriſti; Baſil. ad Amphiloch. can. 18. Gloſſ. in d. can. Virginibus. Ambroſ. ad Virginem lapſam. cap. 5. *Nam ſi inter decem teſtes confectis ſponſaliis, nuptiis conſummatis, quævis fœmina viro conjuncta mortali, non ſine magno periculo perpetrat adulterium; quid quod inter innumerabiles teſtes Eccleſiæ, coram Angelis & exercitibus Cœli facta copula ſpiritalis per adulterium ſolvitur.* Inceſtum magis quàm adulterium contrahi dixit Hieronym. libr. 1. adverſ. Jovinian. *Virgines enim quæ poſt conſecrationem nupſerunt, non tam adulteræ ſunt quàm inceſtæ.* Eodem ſcelere committitur etiam ſacrilegium, quia Virgo profeſſa eſt vas Deo ſacratum; d. can. Virginibus, & ibi Gloſſ. Marcus deciſ. 964. part. 1. Adulterium ſimul & ſacrilegium ineſſe dicitur in epiſtola Epiſcoporum in causâ Pictavienſis Monaſterii B. Radegundis apud Gregor. Turonenſ. libr. 9. cap. 39. *Si fortaſſis Chriſto relicto homini voluerit nubere, diabolo captivante, non ſolum ipſa quæ refugit, ſed etiam ille qui ei conjunctus eſt, turpis adulter, & potiùs ſacrilegus quàm maritus: vel quiſquis, ut hoc fieret, venenum magis quàm conſilium miniſtravit, ſimili ultione, ſicut de illâ dictum eſt, cœleſti judicio, nobis optantibus, percellatur; donec ſeparatione factâ, per competentem execrandi criminis pœnitentiam, à loco quo egreſſa fuerat, recipi meruerit & adnecti.* Imò & quartum facinus in eodem conjungitur, nimirum Apoſtaſia: unde Virgines quæ ſemel profeſſam virginitatem infringunt, dicuntur prævaricari; Synod. Ancyr. can. 18. in can. quotquot. 27. qu. 1. *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ ſunt, profeſſione contemptâ, &c.* Græcum ἀθετῆσι τὴν ἐπαγγελίαν. Synod. Arauſican. I. can. 28. *In utroque ſexu deſertores profeſſæ caſtitatis, prævaricatores habendi.*

Stuprum Virginis conſecratæ longè adulteriogravius eſſe optimè probatur hoc argumento, quòd lege Juliâ adulterium non erat capitale, at pœna ſtupri Veſtalis erat capitalis, nempè vivæ in terram defodiebantur; Auguſtin. de civit. Dei libr 3. cap. 5. *Nam & ipſi Romani antiqui, in ſtupro detectas Veſtales Sacerdotes vivas etiam defodiebant; adulteras autem fœminas quamvis aliquâ damnatione, nullâ tamen morte plectebant:*

*usque adeò graviùs severiùsque vindicanda putabant adyta divina, quàm humana cubilia vindicabant.* Et quod culpam Virginis magis execrabilem & regio cognitore dignam efficit, est, quòd in eam incidit vis publica, & claustri effractio quæ regio Judici olim concessa etiam in causâ Pictaviensis Monasterii; de quo Gregor. Turonens. libr. 10. cap. 15. Verùm si rem maturiùs perpendamus, atrocitas criminis non est idonea causa propter quam Episcopus amittat Jurisdictionem propriam; quia Ecclesia habet pœnas canonicas in ultionem hujusce criminis. Incestûs spiritualis pœna est in Episcopis & Presbyteris, & pœnitentia quindecim vel duodecim annorum pro distinctione Ordinum; d. can. non debet. in laïcis excommunicatio & publica pœnitentia; d. can. Virginibus. Sub Regibus primæ stirpis Leubovera Abbatissa Monasterii Sanctæ Crucis Pictaviensis à Chrodieldi unâ è sacris Virginibus filiâ Chariberti insimulata apud Episcopos quòd virum fœmineâ veste amictum in obsequio haberet; Gregor. Tur. loco proximè laudato: *Tunc residentibus Sacerdotibus qui aderant super tribunal Ecclesiæ, adfuit Chrodieldis multa in Abbatissam jactans convicia cum criminibus, adserens eam virum habere in Monasterio, qui indutus vestimenta muliebria pro fœminâ haberetur, cùm esset vir manifestissimè declaratus, atque ipsi Abbatissæ famularetur assiduè.* Nec invidiosum quod obtinuit Episcopos de probro sacrarum Virginum cognoscere: nam & Pontifices de pollutis Vestalibus pœnas sumebant; Dionys. Halicarnass. libr. 2. τιμωρίαι τε ἐπὶ τοῖς ἁμαρτανομένοις κεῖνται, μεγάλαι, ὧν ἐξεταστάι τε καὶ κολαστὰι κατὰ νόμον εἰσὶν οἱ ἱεροφάνται. *Pœnæ delinquentibus graves constitutæ, quarum arbitri & exactores sunt ex lege Pontifices.* De incestu causam dixit apud Pontificem Maximum, assidente Collegio Pontificum, Posthumia virgo Vestalis ob mundiorem cultum in suspicionem adducta; Livius libr. 4. *Eodem anno Posthumia virgo Vestalis de incestu causam dixit, crimini obnoxia ob suspicionem propter cultum amœniorem, ingeniumque liberius quàm Virginem decet, parum abhorrens famam, ampliatam deinde absolutam, pro Collegii sententiâ Pontifex Maximus abstinere jocis, colique sanctè potiùs quàm scitè jussit.* Eodem judicio damnata Minucia Vestalis; idem Livius libr. 8. *Minucia Vestalis suspecta primò propter mundiorem justò cultum, insimulata deinde apud Pontifices ab indice servo, cùm decreto eorum jussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere, facto judicio viva sub terram ad portam Collinam dexterâ viâ stratâ defossa.* A Domitiano jure Pontificis Maximi damnata & Cornelia Vestalis, adhibito Collegio Pontificum; Plin libr. 4. epist. 11. *Cùm Corneliam maximam Vestalem defodere vivam Domitianus cupisset Pontificis Maximi jure, seu potiùs immanitate Tyranni, licentiâ Domini, reliquos Pontifices, non in Regiam, sed in Albanam*

*nam villam convocavit.* Aliis placet ſtuprum à laïco illatum ſacræ Virgini, eſſe crimen mixtum, id eſt, utriuſque fori ut ſacrilegium, & præventioni locum eſſe; Aufrer. de poteſtat. ſecul. regul. 4. fallent. 11. Nuper tamen Senatus Toloſanus judicavit commune id eſſe delictum, & Virgo profeſſa cujus nomini parcimus, ſtupri inſimulata, reddita eſt Judici Regulari.

## CAPUT VIII.

### *Inceſtus ſimplex & Sodomia ſunt fori Eccleſiaſtici in Clericis.*

INCESTUS ſimplex an ſit delictum commune, an privilegiarium, quæſitum eſt. Quibuſdam placuit inceſtum foro ſeculari concedi propter enormitatem flagitii, inceſtus enim eſt graviſſimum crimen jure gentium prohibitum; L. ſi adulterium. §. quare. ff. ad L. Jul. de adulter. Et hoc eſt quod ait Papinianus in L. ult. ff. de condict. ſine cauſ. jure gentium inceſtum committi, id eſt, culpari ob prohibitionem ipſius quæ proficiſcitur ex jure gentium, quia natura ſeu naturalis ratio hujuſmodi commixtionem abhorret: quam ob cauſam etiam Perſis & Macedonibus inceſtum exprobrat Tertullian. Apologetic. cap. 9. *Perſas cum ſuis matribus miſceri Cteſias refert: ſed & Macedones ſuſpecti, quia cùm primùm Oedippum tragediam audiſſent, ridentes inceſti dolorem,* ἐμεν, dicebant, εἰς τλὼ μητερα. Inceſti crimen adulterio gravius; d. L. ſi adulterium. §. nonnunquam. can. adulterii 32. qu. 7. ideòque inceſti pœna eſt capitalis; d. L. ſi adulterium, & ibi Barthol. quod jus reppetendum eſt ex 12. tabulis; M. Tull. 2. de legib. *Inceſtum Pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto.* Inceſti matrimonii minor eſt pœna, nimirum confiſcatio bonorum & deportatio, cinguli ſpoliatio & verberatio, ſi viles ſint perſonæ; auth. inceſtas. C. de inceſt. nupt. Enormia autem flagitia potiùs per mundi Judices, quàm per Antiſtites & Rectores Eccleſiarum vindicantur; can. ſunt quædam 23. qu. 5. Inceſtus tamen nequaquam eſt extra metas Juriſdictionis Eccleſiaſticæ: Primò, licet inceſtus gravior ſit, non effugit Juriſdictionem Eccleſiaſticam, quia Eccleſia ſuas habet pœnas in ejus ultionem, & re cognitâ quia impares habet pœnas, reus tradendus eſt Judici ſeculari puniendus; cap. cùm non ab homine, de judic. cap. novimus, de US. Secundò, diſciplinæ Eccleſiaſticæ intereſt etiam in gravioribus Clericos non eripi Judici Eccleſiaſtico, nè eorum culpa lateat

proprium Judicem, & obſervantiâ proprii Judicis Clerici faciliùs in officio, & obſequio contineantur. Tertiò inceſtus non numeratur inter crimina privilegiaria quorum cenſum habuere Gallicani ſcriptores. Hoc religionis ſenſu æquior Eccleſiaſticæ diſciplinæ arbiter Senatus Toloſanus conſtanter judicavit Inceſtum commune delictum eſſe in Clericis ſuo, id eſt, Eccleſiaſtico Judici reddendum: Ita ſolemniter judicatum anno 1642. 9. Maii per orante Nicolao Pariſotio celeberrimo Advocato in cauſa Rudolphi Regis Præpoſiti Uceticenſis, adulterii & inceſtûs incuſati; Idemque ante judicatum anno 1636. 15. Aprilis in caſu Puteoli Preſbyteri, qui de inceſto reus factus erat apud Convenarum Epiſcopum.

De Sodomia pariter diſputatum eſt an commune delictum eſſet, an privilegiarium. Qui privilegiarium aſſerunt, quos inter Fevret. libr. 8. cap. 2. num. 14. moventur atrocitate criminis quod tantò gravius eſt inceſto, quantò inceſtus gravior eſt adulterio, quòd contra naturam committatur; d. can. adulterii, unde extraordinariæ voluptatis nomine intelligitur, can. in eo fornicator 32. qu. 4. Eoſdem movet quod Sodomiæ pœna eſt capitis; L. cùm vir nubit. C. ad Jul. de adulter. Nov. Juſtin. 77. ut non luxurientur homines contra naturam; Marc. tom. 1. qu. 508. Hac lege Hugo Spenſerius unus è Primoribus Anglicis Judicio Baronum Angliæ ob Sodomiam & hæreſim capite damnatus memoratur à Froſſardo vol. 1. cap. 14. Sodomiæ & pœna ignis; Albert. Argentinenſ. in chronic. *Mediolanenſis quendam de Sodomia damnatum ducere edecreverant ad cremandum, ut Alemannis egredientibus ad videndum, clauſis portis Regem occiderent deſolatum.* Verius tamen eſt Sodomiam in Clericis eſſe fori Eccleſiaſtici, quia ſapit hæreſim; ex quo Bugeres ſeu Bugrii & hæretici promiſcuè accipiuntur. Notum eſt quod ſcripſit Froſſard. vol. 4. cap. 7. de Betiſacio quæſtore Joannis Ducis Bituricenſis, qui peculatûs delatus, ſe ultrò faſſus eſt Bugerem & hæreticum, quò declinaret Judicem ſecularem: quo audito ſtatim redditus eſt Officiali Biterrenſi. Eodem & jure Clericus qui polluit ſtatuam muliebrem, quod eſt turpiſſimum Sodomiæ genus, à Judice Eccleſiaſtico depoſitus, & in perpetuum ergaſtulum truſus eſt; Ivo Carnotenſ. epiſt. 166. *De Preſbytero qui in ſtatua fœminea ſacramenta Eccleſiaſtica prophanavit, breviter reſpondeo quia ut ſacrilegus & idololatra judicandus eſt, quem ſi tractare vultis ſecundùm cenſuram canonicam, oportet ut adhibitis vobis aliis quinque Epiſcopis, publicè detractis ſacerdotalibus indumentis, per ſingulos eum gradus deponatis, & depoſitum perpetuo carcere damnetis, aut in æternum exilium detrudatis.* Et quòd Clericum Sodomiticum ab Officiali ad Laïcum Judicem revocatum, & ſententiâ ipſius ultimo ſupplicio affectum ex Thuano re-

fert auctor Pontificiæ Jurisdictionis historiæ libr. 4. cap. 3. num. 11. non usquequaque convellit Jurisdictionem Ecclesiasticam : idem enim fatetur Judicem Laïcum hunc ad se non priùs revocasse, quàm semel & iterum interpellato Ordinario cessante.

## CAPUT IX.

### *An quæstio Raptûs sit fori Ecclesiastici quoad Clericos.*

AN Raptus sit crimen civile, & ipsius cognitio spectet ad Judicem secularem an Ecclesiasticum, quæsitum est. Ubi agitur inter Laïcos, nihil est quòd dubitetur esse crimen civile, & spectans ad Judicem secularem ; L. raptores C. de Episc. & Cleric. L. unic C. de rapt. virgin. Nov. Justin. 143. & hoc satis intelligimus ex genere pœnæ, quæ est capitis & publicationis bonorum ; d. L. raptores : aliàs si Ecclesia ratione peccati cognosceret de raptu inter Laïcos, facilè & liceret evacuare Jurisdictionem temporalem, quod ferendum non esset ; Cyn. & Bald. in auth. Clericus. C. de Episc. & Cleric. Marc. qu. 2. vol. 1. & qu. 462. vol. 2. Etiam quoad Clericos videtur idem dicendum, raptûs cognitionem esse Judicis secularis, quia raptus non committitur sinè vi publicâ quæ omnino est fori regii, & in eo offenditur libertas eligendi matrimonii, quæ maximè spectat ad rempublicam ; L. Titio centum. §. Titio centum. ff. de condit. & demonstrat. & ita delicatula est, ut nuptias etiam rescripto Principis conciliari vetetur ; L. unic. C. si nupt. ex rescript. petant. Conc. Paris. 1. can. 6. can. nullus. 32. qu. 2. Symmach. libr. 1. epist. 4. Cassiodor. 7. var. 40. 46. Jurisdictioni tamen Ecclesiasticæ suas esse partes in cognitione raptûs tam in Clericos quàm in Laïcos argumento est, quòd raptûs pœna in Clericis est depositio, in Laïcis excommunicatio, ex Conc. Chalcedonens. can. 17. can. eos qui can. de puellis. 32 qu. 2. can. statutum. 27. qu. 2. quod jus altiùs repetendum quàm è Concilio Chalcedonensi : Raptorem enim puellæ se excommunicatum denunciasse, & locis quibuscumque susciperetur cum rapta sacris interdixisse indicat Basil. epist. 244. Ejusdem argumenti est quòd suscepti ex raptore cum rapta arcentur à sacris Ordinibus, nisi cum eis dispensetur ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, & meritorum prærogativam ; Synod. Meldens. can. 64. Inde divisis tribunalibus de raptu cognitum per Judices seculares & Ecclesiasticos, ubi Balduinus Comes Juditham Caroli Calvi filiam

ſine aſſenſu patris duxit uxorem ; cum raptore legibus actum, & poſtquàm is lege Francorum, id eſt, civili judicio damnatus eſſet ; idem ſententiâ Epiſcoporum diris excommunicationis proſcriptus, deſiderante Rege ; Capitul. Carol Calvi tit. 30. cap. 5. *Filiam noſtram Judith viduam ſecundùm leges divinas & humanas ſub tuitione Eccleſiaſtica, & regio mundebrerdo conſtitutam Balduinus ſibi furatus eſt in uxorem, quem poſt legale judicium Epiſcopi regni noſtri excommunicaverunt ſecundùm ſacros Canones, & diffinitionem ſancti Gregorii Papæ qui dicit, &c.* Quæſtio raptûs non eſt aliena à Judice Eccleſiaſtico, quia annexa eſt quæſtioni matrimonii : verùm quæſtio raptûs eſt præjudicialis, id eſt, priùs de ea quæritur, quàm Judex Eccleſiaſticus attingat cauſam matrimonii, ex Conſtit. Melodunenſ. artic. 25. Jo. Paponius. in Syntagmat. arreſt. tit. de raptu, arr. 2. Carond. 1. Pandect. cap. 13.

## CAPUT X.

### *Crimen falſæ Monetæ, & crimen falſi cujus ſint fori.*

CRIMEN falſæ Monetæ eſt privilegiarium de jure, quia vitio Monetæ crimen læſæ-Majeſtatis committitur, & pœna capitis irrogatur; L. quicumque. ff. ad. L. Cornel. de falſ. L. ſi quis nummos. C. de falſ. monet. Nimirùm jus cudendæ monetæ eſt de Regalibus; cap. unic. quæ ſunt Regalia in uſib. feudor. cap. quantò, de jurejur. Ob id Ariandrum Ægypti Præfectum capite puniit Darius Rex Perſarum, quòd æmulatione nummi aurei à ſe fuſi, argenteum cudiſſet; Herodot. libr. 4. Perennium unum è carioribus amicis morte multavit Commodus, viſis nummis ejus vultu ſignatis ; Herodian. libr. 1. Et quidem jus cudendæ monetæ Imperatoribus ita proprium fuiſſe notum eſt, ut vel ipſi Perſarum Reges nummi aurei ſuâ imagine inſignis cuſione abſtinerent, & primi omnium Francorum Reges, ſpretâ majeſtate Imperii Romani nummum aureum ſuâ imagine ſignarint: Procop. de bello Gothic. libr. 3. Hac de cauſa Mediolanenſes pactis conditionibus pacis Friderico I. jus cudendæ monetæ & alia Regalia remiſere ; Guntherus Ligurini libr. 8.

*At primùm Ligures ſuper hoc à Rege rogati*
*Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ*
*Cumque molendinis telonia, flumina, pontes,*
*Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt*

*Et capitolitium certo sub nomine censum,*
*Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.*

De quo & Radevicus meminit libr. 1. de gest. Frideric. cap. 41. Ut verò falsæ monetæ vitio occurreretur, extra conspectum Principis monetam, id est, officinam monetæ alio loco esse quàm in Palatio vetuit Carolus Magnus; qua de re præter Capitular. 18. libr. 2. extat aliud ejusmodi à Jacobo Sirmundo editum. *Ut in nullo loco moneta percutiatur nisi ad curtem: & illi denarii palatini mercentur, & per omnia discurrant.* Et post eum Carolus Calvus capitulo 31. art. 12. *Sequentes consuetudinem prædecessorum nostrorum sicut in illorum capitulis invenitur, constituimus ut in nullo loco alio in omni regno nostro moneta fiat, nisi in Palatio nostro, &c.* Hinc & cognitio criminis adulterinæ monetæ pertinet ad Judicem Regium, non ad Judices inferiores; Chopin. de doman. libr. 2. tit. 7. num. 17. 18. Et bona damnatorum ob crimen falsæ monetæ addicuntur fisco regio, non inferiori domino temporali; L. 1. C. de bon. vacant. libr. 10. Chopin. eod. loc. num. 13. Guid. Pap. qu. 76. Bodin. 1. de repub. cap. 10. Non desunt tamen Jurisdictionis Ecclesiasticæ vestigia in judicio hujusce criminis in Clericos. Clericum falsæ monetæ reum ab ordine & beneficio deposuit Ivo Carnotensis Episcopus, & cùm reus appellasset ad Urbanum II. Pontificem, & litteras absolutionis per subreptionem ab eo elicuisset, amarulentam hac de re scripsit epistolam ad Pontificem quæ est 25. cujus ecce particula: *Hoc ideò suggero sanctitati vestræ, quia quidam Clericus nostræ urbis, falsis delationibus aures vestræ pietatis jam secundò pulsavit dicens, se per conjecturas accusatum, & de sola suspectione proscriptum. Sed causa illa propter quam à Clero separatus est, tam manifestis indiciis est revelata, tam certâ accusatione publicata, tam evidenti exitu comprobata, ut nemini non tantùm civium, sed etiam comprovincialium dubium sit, quin in domo suâ falsam monetam fabricari fecerit, & in quadam Ecclesia ejusdem præposituræ, quam ei Gaufridus vendiderat, contra voluntatem omnium fratrum. Hoc publicum facinus, & quædam ejus horrenda flagitia, Deo volente, vera esse probabo suo tempore in vestrâ præsentiâ. Ideò Sacramentum quod mihi obtulit, intuitu caritatis nolui suscipere, sciens eum peccatum perjurii peccato priori velle superponere: tamen propter reverentiam vestræ paternitatis ad quam confugerat quamvis dolosè, interim volui ei reditus unius præbendæ integerrimè dare, & cibum mecum in mensa, donec possem de hoc negotio in præsentia vestra agere, & consilio vestro quæ restituenda viderentur, misericorditer restituere.* De quæstione falsi incidente in contractu regio signo munito, cognitio quoque pertinet ad solum Judicem regium: licet enim quæstio falsi incidens liti civili fortiatur eundem Judicem, quem lis principalis; L. si lis pecuniaria. C.

ad leg. Cornel. de falſ. L. quoties. C. de Judic. tamen ſi falſum committatur in contractu regio ſigno ſancito, cognitio eſt ſolius Judicis regii, quòd eo potiſſimum injuria fiat majeſtati Principis; Chopin. loco modò laudato. num. 5. Imbert. libr. 3. Inſtitut. cap. 6. Clericus etiam falſum deponens apud Judicem ſecularem, ex delicto eum Judicem ſortitur, licet aliàs incompetentem; L. nullum, & ibi Gloſſ. C. de teſtib. quod in Gallià ſervari quoad pœnam pecuniariam tradunt Aufrer. de poteſt. ſecular. reg. 1. fallent. 2. Benedict. in cap. Raynut. in verb. & uxorem deciſ. 2. num. 142.

## CAPUT XI.

### *Infractio Salvæ-gardiæ Regiæ pertinet ad Juridicum Regium.*

INTER privilegiaria crimina cenſetur & infractio ſalvæ-gardiæ, id eſt, commiſſum in fraudem tuitionis ſeu ſecuritatis cuipiam conceſſæ à Principe; veluti ſi quis poſitus ſub cuſtodiâ Regis vulneratus vel occiſus ſit, vel damno affectus in rebus ſuis, quia in eo majeſtas Principis offenditur. Salva gardia eſt proprium beneficium Principis, tum quoad res, tum quoad perſonas; ſolius Principis eſt imponere titulos prædiis alienis, vel vela regia ſuſpendere ad ſecuritatem prædiorum; L. 1. & 2. C. ut nemo privat. titul. præd. imponat. vel vela regia ſuſpendat. Eadem ſunt quæ cortinæ regiæ; Ambroſio epiſt. 33. *Dum hæc tracto, ſuggeſtum eſt mihi cortinas regias eſſe collectas, refertam autem populo baſilicam, præſentiam mei poſcere.* Et mox: *Exactus eſt totus ille dies in mœrore noſtro, ſciſſæ tamen ab illudentibus pueris cortinæ regiæ.* Adeo propria erat Principis hujuſmodi impoſitio titulorum ſeu velorum regiorum, ut non liceret privatis potentiorum nomine titulos prædiis imponere; L. unic. C. de his qui potentior nomine titul. prædiis affigunt. Hac de re Auguſtin. in pſalm. 21. ubi affatur hæreticum: *Quid ad defenſionem poſſeſſionis tuæ titulos Chriſti poſuiſti? Nonnè hoc faciunt nonnulli in domo ſua? Nè domum ipſius invadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces: ipſe vult eſſe poſſeſſor, & frontem domus ſuæ vult de titulo alieno muniri; & cùm titulus lectus fuerit, conterritus quis potentiâ nominis, abſtineat ſe ab invaſione.* Et idem de verbis Domini Sermon 62. *Hæretici & ſchiſmatici de furtis Dominicis peculia ſibi fecerunt, & greges non Chriſti, ſed ſuos contra Chriſtum paſcere voluerunt. Planè in ipſis deprædationibus ſuis titulum illius poſuerunt, ut prædæ ipſorum quaſi defenderentur per titulum potentis. Quid facit Chriſtus quando tales convertuntur, qui*

*foris ab Ecclesiâ titulum ejus baptismatis acceperunt? Ejicit prædatorem, titulum non deponit, & possidet domum; quia invenit ibi titulum suum.* Ecclesiæ interdicta est & hujusmodi impositio titulorum prædiis alienis, velut propria Principis; Gregor. 1. libr. 4. epist. 44. ex Canon. consuetudo. 16. qu. 6. *Consuetudo nova in Ecclesia hac, & valdè reprehensibilis erupit, ut cùm rectores ejus patrimonii urbana vel rustica prædia juri illius petere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant, atque hoc quod competere pauperibus æstimant, non judicio, sed manibus defendant.* Idem quoque Pontifex libr. 4. epist. 18. queritur de Stephano Chartulario quòd nomine fisci bona singulorum invaderet, & indictâ causâ titulos prædiis & domibus imponeret. Idemque libr. 1. epist. 63. quia audisset domum Petronii Notarii Romanæ Ecclesiæ à Constantio defensore non jure titulatam, mandavit ut titulo depositio domum Theodoræ relictæ Petronii restitueret sine morâ. Solius Principis est etiam privatis tuitionem concedere, pro securitate personarum, nè à potentioribus opprimantur; Cassiodor. 4. var. 41. *Sed nè cujusquam forsitan plectenda temeritas, in te impetus reparare possit audacia, Patricii Albini, salvis legibus, tuitio te deputata communiet.* Et hoc apertiùs elucet ex tuitionis formulâ quam idem Auctor dictavit 7. var. 39. Hoc jure in Galliâ qui tuitionem impetrassent à Principe, dicebantur positi in verbo Regis; Gregor. Turonens. libr. 9. cap. 27. de puellâ quæ Amalonem Ducem pudicitiæ suæ intentantem necaverat: *Verùm etiam præceptionem tribui jussit* (Guntchramnus Rex) *ut in verbo suo posita, à nullo unquam parentum defuncti illius, in aliquo molestiam pateretur.* Quò pertinet Marculfi formula libr. 1. cap. 24. Pariter Principis est privatis tribuere defensores quos Græci ἔκδικους, cum Episcoporum provisione, id est, consilio & assensu, nè pauperes à potentioribus conterantur; Conc. Carthag. V. can. 9. can. ab Imperatoribus 23. qu. 3. & Capitul. 31. libr. 5. Itidem Regis est præbere salvum conductum; Ivo Carnotens. epist. 9. ad Philippum I. Regem. *Quicumque autem illi sunt, si conductum bonum mihi, & his qui mecum sunt miseritis, ut securi simus in eundo & redeundo, & apud vos morando, paratus sum in præsentia vestra æmulorum meorum objectionibus respondere.* Et Guill. Brito Philippid. libr. 6.

*Nec salvum præstar viris pendente querelâ*
*Conductum, juris ut postulat ordo, volebat.*

Ex consuetudine tamen Reginæ velut augustæ majestatis participes tuitionem concessêre; Gregor. Tur. libr. 9. cap. 19. *Quoniam Regina Brunichildis in verbo suo posuerat Sichariam.* Inclinante regni statu, etiam

Duces & Comites eodem jure usi sunt; Hildebert. Cenomanens. epist. 26. ad quamdam Comitissam: *Episcopo Carnotensi conductum, sicut fertur, providisti ad Concilium profecturo: quod si ita est, præfatæ gratiæ beneficium mihi communices, exoro.* Et Innocent. III. in cap. accedens 1. ut lit. non contest. de Guillielmo Vicecomite qui suspectum habebat Comitem Britanniæ: *Et licet*, inquit, *litteras non habuerit de conductu.* Episcopi etiam in negotiis Ecclesiasticis idem jus tentarunt; Ivo Carnotens. epist. 50. ad Richerium Senonensem Arch. *Unde rogo mansuetudinem vestram, ut à Pieveris usque ad vos securum mihi conductum præparetis.* Rebus tamen restitutis, omne jus patrocinii publici rediit ad Principem: inde infractio salvæ-gardiæ meritò pertinet ad solum Judicem regium etiam adversùs Clericos; Gall. qu. 3. Guid. Pap. qu. 437. Aufrer. de potest. secular. super Eccles. regul. 1. fallent. 12. Benedict. in cap. Raynut. in verb. & uxorem decis. 2. num. 147. Chassan. in consuet. Burgund. Rubric. *Si aucun commet larcin*, verb. *s'il n'a grace.* num. 81. Imbert. libr. 3. cap. 6. Bacquet. de jurib. justit. cap. 7. num. 32. Hoc jure Dux Lotharingiæ majestatis reus factus apud Carolum VI. quòd regia signa quæ erant apposita in argumentum regiæ salvæ-gardiæ in loco eminentiore, apud municipium novi Castelli in Lotharingia sustuliset; Juvenal. de Ursinis in vit. Caroli VI. ad ann. 1412. *Et envoya-t-on faire certain exploit audit lieu de par le Roy, dont le Duc de Lorraine feut mal content, & feit prendre des Officiers Royaux qui faisoient ledit exploit, & de ceux à la requeste desquels il se faisoit: & encore feit-il pis, car il y avoit des Pannonceaux, & Escussons aux armes du Roy en la Ville qu'on y avoit attachez en aucun lieu en signe de sauvegarde, lesquels il feit prendre & lier à la queüe de son cheval, & les traisnoit, laquelle chose venuë à la connoissance des Gens du Conseil du Roy, feut deliberé qu'on luy feroit son procez comme à crimineux de leze-Majesté, & feut adjourné à comparoir en personne en la Cour de Parlement, &c.*

CAPUT XII.

## CAPUT XII.

### *Privilegiarii casus sunt offensio Magistratuum officio fungentium, & infractio Regiarum Constitutionum.*

PRIVILEGIARIORUM casuum censum implet offensa quæ per Clericos infertur Magistratui Regio officio suo fungenti, quia ejus injuria spectat ad Principem, L. quisquis. C. ad leg. Jul. majest. & quilibet Magistratus potest Jurisdictionem suam defendere pœnali judicio; L. 1. ff. si quis jus dicent. Neque hoc invidiosum est, quoniam etiam Judices Ecclesiasticos, impedientes Jurisdictionem suam propria authoritate posse punire volunt Pontifices; cap. 1. de offic. delegat. cap. ex parte, de US. cap. Romanâ, de pen. in 6. cap. dilecto, de sentent. excommunicat. eod. De jure si Magistratus municipalis servum alienum, honorem ornamentaque sua, id est, insignia dignitatis petulanter intemptantem, virgis ceciderit, non tenetur injuriarum; 1. item apud Labeonem. §. unde quærit. ff. de injur. L. 4. C. eod. quia injuriam feciſſe non videtur Magistratus, qui dignitatis contumeliam repellit; Ascon. verr. 3. *Qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti Magistratus veluti majestatis læsæ reus est.* Non omittendum hoc loco quod memoratur de Severo tum Legato Proconsulis Africæ, quòd plebeium in ejus amplexum ruentem fiduciâ antiquæ familiaritatis, flagris ceciderit cum elogio; Spartian. in ejus vita: *In qua Legatione, cum eum quidam municipium suorum Leptitanus præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebeius amplexus esset, fustibus eum sub elogio ejusdem præconis cecidit: Legatum Populi R. homo plebeius temerè amplecti noli.* Hoc jure si Clericus quid injuriâ fecerit adversùs Judicem regium officio fungentem, potest ab eo coërceri; Aufrer. de potest. secular. regul. 1. fall. 14. Chassan. in consuet. Burgund. rubr. *Si aucun commet larcin.* verb. *s'il n'a grace.* num. 82. & seqq. Hujus juris non inscius Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, cum Henricum II. Regem Anglorum adversùs Clericum quemdam ob contumeliam illatam Justiciario regni, & ejus occasione adversùs universum Clerum valdè exasperatum sentiret, publicè eum ab officio & beneficio in tempus suspensum virgis cædi jussit, ut Regis animum emolliret; nec hoc pacto Regi satisfacere potuit eum deposcenti ad pœnam corporalem; quâ de re Auctores vitæ S. Thomæ. libr. 1. cap. 22. *Illud etiam minimè prætermittendum, quòd circa illud tempus Philippus de*

*Lydrois Canonicus Justiciarium Regis quibusdam contumeliis affecerat. Propter quòd Rex non solùm adversùs ipsum, sed potiùs adversùs totius regni Clerum exasperatus videbatur : ( Solet quippe mox in tantam cujusvis officii professionem conferri, si quid fortè turpiter, vel enormiter ab aliquibus de professione admittitur. ) Verùm querelâ ad Archipræsulem delatâ, dictus Clericus etiam supra modum delicti, ut vel sic faciliùs quiesceret Regis indignatio, est punitus publicè, scilicet virgarum disciplinæ adjudicatus, & per annos aliquot ab omni officio & Ecclesiastico beneficio quod in regno habebat, suspensus : verùm cùm Regi non sufficeret hoc, videbatur potiùs Rex reum Clericum ad aliquam pœnam corporalem deposcere, &c.*

Privilegiariis casibus accensetur & infractio Regiarum Constitutionum, maximè earum quæ spectant ad libertatem regni ; putà si Clerici delinquant adversùs Constitutiones Regias, causam dicunt apud regium Judicem ; Aufrer. in clem. 1. de offic. ordinar. Imbert. libr 3. instit. for. cap. 3. num. 1. Hoc jure Presbyteri celebrantes nuptias vetitas filiorum-familias sine consensu parentum, conveniuntur apud Judicem regium ; Ferron. in consuetud. Burdegalens. tit. de dote §. 2. Transgressionem Donatistarum principalium jussionum ad cognitionem Judicis secularis pertinere insinuat Gregor. 1. libr. 5. epist. 63. ad Mauritium Augustum : *Qualiter autem pietatis vestræ serenitas contra Donatistarum flagitiosissimam pravitatem consideratione justitiæ, & sinceriſſimæ religionis zelo commota sit, directarum lucidissimè tenor insinuat jussionum. Sed venientes viri Reverendissimi ex Africanâ Provinciâ Episcopi, asserunt ita esse incautâ dissimulatione postpositas, ut nec Dei illic judicium haberetur in metu, nec principales hactenùs jussiones sortirentur effectum. Sed quia causa ipsa secularis Judicis intererat, eosdem Episcopos ad pietatis vestræ existimavi esse vestigia dirigendos ; ut per semetipsos serenissimis auribus suggerant, quæ se fatentur pro Fide Catholicâ pertulisse.*

# CAPUT XIII.

## *Crimen conſpirationis in Epiſcopos cujuſnam ſit fori. Genus criminis olim frequens in Galliâ.*

DETESTABILE crimen eſt tam in Clericis quàm in laïcis conſpiratio adversùs Epiſcopos, quæ Græcis dicitur φρατρία; Conc. Chalced. can. 28. can. conjurationum 11. qu. 1. Deteſtabile, inquam, crimen quod non ſolùm Eccleſiaſticæ, ſed etiam ſeculares damnant leges; can. conſpirationum ead cauſ. & qu. Nimirùm hujus flagitii pœna in Clericis eſt depoſitio, in laïcis excommunicatio; can. conſpirationum ead. cauſ. & qu. In laïcis proſcriptio bonorum, & ultimum ſupplicium: Ex conſtitutione enim Honorii, Clerici prohibentur illicita & tumultuoſa conventicula celebrare, etiam extra Eccleſiam in privatis ædibus, proſcriptionis domûs periculo imminente domino ædium qui eos ſuſceperit; L. conventicula. C. de Epiſc. & Cleric. Et Conſtitutione Marciani vetitum eſt nè ſeditio vel tumultus, vel conclamatio fiat in Eccleſiis ſub pœnâ ultimi ſupplicii; & ſi tumultus moveatur in Eccleſiis, liceat adire Judicem, & legitimum expoſcere præſidium; L. denunciamus, de his quî ad Eccleſ. confug. Perſæpè hujuſmodi tumultus in Eccleſiis ſuborti occaſione electionis Epiſcoporum, in quâ plebs in varias partes diſtracta plerumque proſiliebat ad tumultus & cædes, uti fœdo exemplo evenit in electione Damaſi Pontificis factâ, competente Urſicino: quâ de causâ multi è fautoribus ſchiſmatis ſupplicio affecti à Maximino Præfecto urbis; de quo Ammian. libr. 27. & Socrat. libr. 4. cap. 20. Et ob eandem cauſam, fortè ut vitaretur ſeditio & tumultus in electionibus, plebem arceri ab electione Epiſcoporum voluit Synod. Laodicen. can. 13. can. non eſt permittendum 63. diſt.

Conſpirationis in Epiſcopos crimen eò graviùs puniendum fuit etiam adhibito judicio ſeculari, quòd fuit frequentius maximè in Galliâ; Callixtus epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ, ex d. can. conſpirationum: *Conſpirationum crimina veſtris in partibus vigere audivimus, & plebes contra Epiſcopos ſuos conſpirare nobis manifeſtum eſt*, &c. Inde ut conſuleretur ſecuritati Epiſcoporum, Synod. Vvormatienſ. can. 74. repetiit Canonem 18. Synod. Chalced. de conſpiratione in Epiſcopos. Tumultuantes in Eccleſiis & conſpirantes adversùs Epiſcopos ſubeunt etiam Judicem forenſem, quia pro reis divinæ majeſtatis, & ſeditioſis habentur, quorum

pœna est capitalis ; L. 1. & 2. C. de seditios. L. si quis aliquid. §. 2. ff. ad L. Jul. majestatis : & ita in causâ Pictavensis Monasterii, cognitio seditionis & tumultûs ab ipsis Episcopis rejecta ad Judicem regium ; Gregor. Tur. libr. 10. cap. 15. *Hæc autem Childebertus Rex audiens, legationem ad Guntchramnum Regem direxit ut scilicet Episcopi conjuncti de utroque regno, hæc quæ gerebanur sanctione canonicâ emendarent. Ob hanc causam Childebertus Rex mediocritatis nostræ personam cum Ebregesilo Agrippinensi, & ipso urbis Pictavæ Maroveo Episcopo jussit adesse : Guntchramnus verò Rex Gundegisilum Burdegalensem cum provincialibus suis, eò quòd ipse Metropolis huic urbi esset. Sed nos resultare cœpimus dicentes, quòd non discederemus ad hunc locum, nisi sæva seditio, quæ per Chrodieldem surrexit, judicis districtione prematur. Pro hâc causâ Macconi tunc temporis Comiti prolata præceptio est, in qua jubebatur ut hanc seditionem, si resisterent, vi opprimeret, &c.* Adeò detestabile est crimen conspirationis adversùs Episcopos, ut civitas Scyllacænorum quæ est in Calabriâ, Sede Episcopali multata sit ob geminam cædem suorum Antistitum, & Parochiæ vice tradita viciniori Episcopo regenda ; can. ita nos. 25. qu. 2. Et si Episcopus occisus fuerit, alter in ejus locum non subrogatur, donec rei detecti & puniti fuerint, nè fortè scelus impunitum maneat ; Ivo decret. part. 10. cap. 19.

## CAPUT XIV.

*Venatio pro crimine. Privatis non licet forestam instituere sine consensu Principis. Castitia sunt casæ in sylvis custodiæ causâ.*

APUD Anglos venatio quæ jure naturali singulis permissa est in oblectamentum, lege conversa est in maleficium ; & crimina inter privilegiaria post homicidium qualificatum sive murdrum, & incendium locum tenuit forisfactum forestæ, id est, transgressio interdicti venationis in sylvis regiis, tam in Clericis quàm in laïcis, ita ut si quis Clericus vel laïcus venaretur in sylvâ regiâ, non alium quàm regium Judicem subiret. Henricus I. Rex Anglorum venationis studio ferocior venationem ferarum in universâ Angliâ sibi peculiarem fecit ; pedes canum quotquot inventi in viciniâ sylvarum, uno pede debilitari jussit ; vix paucis è Nobilioribus & familiaribus propriis in saltibus venandi copiam fecit ; Orderic.

Vital. libr. 11. Ejusdem legibus violationis foreſtæ pœna fuit bonorum proſcriptio, vel truncatio membrorum; quò ſpectat Jo. Sariſber. Policratic. libr. 1. cap. 4. *Quodque magis mirere, pedicas parare avibus, laqueos texere, allicere modis vel fiſtulâ, aut quibuſcumque inſidiis ſupplantare, ex edicto ſæpè ſit criminis, & vel proſcriptione bonorum mulctatur, vel membrorum punitur ſalutiſque diſpendio.* Inde ubi Henricus ſpeciali Conſtitutione quam emiſit inſtante Petro Leone Legato Sedis Apoſtolicæ, Clericis reſtituit privilegium fori corruptelâ ſeculi ferè extinctum, tenacius excepit duos caſus, nimirùm foreſtæ & laïci feudi; Matth. Paris in ejus vita ad ann. 1176. *De cætero Clericus non trahatur ante Judicem ſecularem pro aliquo crimine vel tranſgreſſione, niſi pro foreſta & laïco feudo.* Eccleſia ipſa Clericos transgreſſores legis ultrò reliquit foro regio quaſi indignos beneficio Canonum, qui delinquerent in Canones quibus Clericis interdicta eſt venatio; Synodus Juliobonenſis habita anno Dom. 1080. can. 6. apud Ordericum Vitalem libr. 5. *Si Preſbyter forisfacturam fecerit de foreſtis Regis, vel Baronum ejus, nullam inde emendationem habebit Epiſcopus.* Legibus foreſtæ poſtea modus impoſitus: edicto Joannis remiſſa eſt pœna corporalis, & commutata in pœnam pecuniariam, vel exilium; Matth. Paris in ejus vit. ad ann. 1215. *Nullus de cætero amittat vitam vel membra pro venatione noſtra: ſed ſi aliquis captus fuerit & convictus de captione venationis, graviter redimatur, ſi habeat unde redimi poſſit; & ſi non unde redimi poſſit jaceat in priſona noſtra per annum unum & unum diem; & ſi poſt annum unum & diem unum plegios invenire poſſit, exeat à priſona, ſin autem, abjuret regnum noſtrum Angliæ.* Idem ſtatutum lege Richardi I. Matth. Paris ad ann. 1232. *Hanc enim legem de venatione ſublatâ, Rex ille in pace clementiſſimus in hoc temperavit, quòd cùm apud Reges anteceſſores ejus, ſi quilibet in fraude venationis deprehenſi fuiſſent, eruebantur oculi eorum, abſcindebantur virilia, manus vel pedes truncabantur. Sed tale judicium pio Regi Richardo viſum eſt nimis inhumanum, ut homines ad imaginem Dei creati, proferis quæ juxta legem naturalem generaliter omnibus ſunt conceſſæ, de vita vel membris periclitarentur, ut id faciendo feris ac beſtiis deterior videretur. Hoc enim ſolummodò ſufficiebat ei, ut quilibet in tali culpâ deprehenſi, vel Angliam abjurarent, vel pœnam carceralem ſubirent, vel pœnâ punirentur pecuniali, ſalvis omnibus vitâ & membris.* Mitius multò Eduardus III. anno 1339. ſubditis remiſit omnes pœnas contractas ob violatas emunitates foreſtarum; Vvalſingan. in ejus vita: *Pro hac autem conceſſione remiſit dominus Rex & condonavit omnia catalla telonum, & fugitivorum evaſiones incarceratorum, fines exitus & forisfactiones, & amerciamenta murdrorum, & omnia alia delicta infra foreſtas facta, adjudicata, vel adjudicanda.* Erit quòd truces & ferinæ vi-

deantur hujuſmodi leges Anglicæ; ſed nihilò mitiores fuêre Francicæ, quibus æque capitale fuit venari in ſylvâ regiâ, tanti fuêre deliciæ Regum; Gregor. Turonenſ. libr. 10. cap. 10. *Dum ipſe Guntchramnus Rex per Voſagum Sylvam venationem exerceret, veſtigia occiſi bubuli deprehendit: cùmque cuſtodem ſylvæ arctiùs diſtringeret, quis hæc in regali ſylvâ gerere præſumpſiſſet, Chundonem cubicularium Regis prodidit. Quo hæc loquente, juſſit eum adprehendi, & Cabillonum compactum in vinculis duci, cùmque uterque in præſentiâ Regis intenderent, & Chundo diceret numquam à ſe hæc præſumpta quæ objiciebantur, Rex campum dijudicat.* In ſequentibus narratur exitus pugnæ initæ inter Chundonis nepotem & Cuſtodem ſylvæ, utrique infœlix, & mutuâ nece cruentus: quo ſecuto Chundo cùm confugii causâ Baſilicam S. Marcelli peteret, juſſu Regis captus, & ad ſtipitem vinctus, lapidibus eſt obrutus quaſi reus noxæ.

Jus foreſtæ & in ea venandi ita regium fuit, ut non liceret privatis foreſtam inſtituere ſine conſenſu Regis; Capitul. libr. 2. cap. 4. Foreſtis tuendis præponebantur cuſtodes, quos foreſtarios vocitabant, & in ipſis foreſtis inædificabantur caſtitia, id eſt, habitacula cuſtodiæ causâ; Synod. Sueſſionenſ. can. 6. in caſtitiis & ſylvis cuſtoditis. Jacobum Sirmundum & Spelmannum licet ſagaciſſimos viros valdè torſit hujus vocis etymon, ſed parum fœliciter. Ego ſi quis meæ conjecturæ locus, affirmare auſim hanc vocem originem ducere à voce caſtulâ quæ eſt virga lignea; Glaber. libr. 1. cap. 4. *Alius quoque Sarracenorum eorumdem cultro deplanans ligni caſtulam*: Quòd hujuſmodi caſtitia conteſta eſſent ligneis tabulis vel virgis, quibus caſtulæ nomen.

# DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA TUENDA ADVERSUS INSULTUS

Auctoris tractatûs de Abusu, & aliorum.

## LIBER SEXTUS.

### CAPUT PRIMUM.

*De spiritualibus, Judicis Ecclesiastici cognitio est etiam in laïcos. Laïci né stent intra Cancellos. Incastellatio Ecclesiarum vetita.*

JURISDICTIO Ecclesiastica maximè in Clericis suas partes obtinet, sed & ad laïcos usque porrigitur certis in causis. Melioribus Ecclesiæ seculis Christiani etiam laïci non alium inter se agnoscebant Judicem quàm Episcopum, secuti Apostoli verba 1. Cor. 6. nè contagio Ethnicorum Judicum Christiana religio nondum adulta labefactaretur; can. quæcumque. can. relatum. 10. qu. 1. Constitutione Constantini Episcopis non est adempta judicandi potestas; L. 1. C. Th. de Episc. judic. Verùm compositis rebus Ecclesiæ, Jurisdictioni Ecclesiasticæ modus impositus est, nè Jurisdictio civilis quæ Christianis suspecta esse desierat, fœlici mutatione rerum in totum evacuaretur, & inde fortè oriretur ma-

teria schismatis inter imperium & Sacerdotium. Tunc demum Episcopis sublata est potestas judicandi inter laïcos, nisi ex vinculo compromissi; ex Constitutione Honorii L. si qui ex consensu. C. de Episc. & Cleric. & Nov. Valentiniani de Episcopali judicio: Aliàs Episcopus non habet Jurisdictionem in laïcos, nisi in his quæ sunt fidei & religionis, & aliis spiritualibus; ex aliâ Constit. Honorii L. omni innovatione. C. de SS. Eccles. L. 45. C. Th. de Episc. & Cleric. In his Ecclesia semper obsequentes habuit laïcos Jurisdictioni suæ; Ambros. epist. 33. *Causam fidei agendum in Ecclesiâ quis abnuat?* can. convenior. 23. qu. 8. Augustin. libr. 2. contr. Crescon. *Nonnè melius, obsecro te, causa veritatis & unitatis, pacificis verbis & capacioribus locis inter Episcopos ageretur, quàm in foro ab Episcopis per advocatos litigaretur.* Hodiè ex Constitutione Francisci I. ann. 1539. art. 1. Judex Ecclesiasticus non cognoscit in laïcos in merè personalibus, id est, in his quæ spectant res & personas laïcorum quatenùs laïci sunt, sed tantùm in spiritualibus, putà si agatur de Sacramentis, id est, de administratione Sacramentorum, aut si agatur de jure & fœdere matrimonii, vel de separatione tori inter conjuges, vel de jure decimarum; quæ omnia sunt spiritualia. Judex Ecclesiasticus non cognoscit in laïcos nisi de Sacramentis, putà si parentes culpâ suâ puerum mori sinant absque baptismo, vel si quis non accedat ad sacram Communionem saltem in anno, juxta cap. omnis utriusque sexûs, de pœnitent. & remiss. Rebuff. in quib. casib. Judex secular. num. 38. & 74. Judex Ecclesiasticus etiam cognoscit de salario Presbyteri pro celebratione Missæ, quia sacrificium Missæ est opera spiritualis, quæ imponi potest etiam à patrono qui servum manumisit, ut ordinaretur; can. frequens 54. dist. cap. nullus, de serv. non ordinand. cap. 2. de succes. ab intestat. & obsequium precum potest reservari in fundatione Ecclesiæ factâ, quia est beneficium spirituale; Ingulphus in Chronic. Croyland. ex tabulis Bertulphi Regis Merciorum: *Et emancipo ab omni debito Regis, & omnis alterius domini & hominis, cujuscumque fuerit dignitatis, excellentiæ vel honoris, ut nihil amodò de vestri sacri Monasterii Croyl. Monachis litteratis aut laïcis, servis, aut tenentibus vestris exigere poterunt, præter orationes vestras, & beneficia spiritualia, &c.* Hilgaud. in vita Roberti Regis: *Præterea patri Benedicto & suis Piscatoriam Ligeriti fluminis benignissimus adjudicavit, scripto firmavit, & ex his nihil aliud quam intercessionis illius quæsivit suffragia.* Alia fuêre Monasteria Galliæ quæ Regi debebant militiam, alia quæ dona seu censum, alia preces tantùm pro salute Principis & liberorum; quorum notitiam dedit Jac. Sirmundus in notis ad tom. 2. Concil. Galliæ. Hinc & præbendæ cùm confertur, imponi potest onus celebrandæ Missæ; cap. significatum, de præbend. quia

est

est onus spirituale ; cap. 1. de censib. Conc. Hispal. I. can. Eadem ratione Judex Ecclesiasticus potest cognoscere in laïcos de salorio Prædicatorum, quia est quid spirituale quod magis offertur, quàm petitur ; de salario tamen Presbyteri Missam celebrantis, & Prædicatoris notionem sibi vindicat Judex secularis ; Papon. libr. 1. tit. 1. arr. 1. 23. Lucius placit. libr. 1. tit. 1. arr. 1. Maynard. libr. 1. cap. 1.

Pari jure Episcopus potest vetare, nè laïci stent intra cancellos ; Conc. Tur. II. can. 4. quem Raymundus laudat ex Conc. Moguntino cap. 1. de vit. & honest. Cleric. Synod. VI. in Trull. can. 69. laïci non stabunt intra cancellos Communionis gratiâ : Augustin. Homil. 49. *Ego scio quia sapientes amant me ; in hoc à Communione se cohibent, qui sciunt quia novi peccata ipsorum, nè de cancellis projiciantur.* Et alienum ab Ecclesia fuit quòd apud Donatistas recens baptizati spectabantur intra Cancellos ; Idem epist. 168. *Minatur & transit ad partem Donati, rebaptizatur furens, & in maternum sanguinem fremens albis vestibus candidatur, constituitur intra cancellos eminens, atque conspicuus.* Soli Imperatori licebat ex consuetudine Græcorum oblationis causâ sanctuarium ingredi ; d. can. 69. Synod. VI. in Trull. & hoc insinuat Gregor. Nazianz. orat. 20. cùm ait Valentem vertigine correptum præsente Basilio oblationis causâ intra velum pedem posuisse, εἴσω τῦ βήματος. Hujusmodi consuetudine usus Theodosius, cùm Mediolanensem Ecclesiam ingressus esset, & intra sanctuarium constitisset oblationis causâ, & post oblationem intùs propè cancellos maneret ; Ambrosius per Diaconum jussit ut extra cancellos inter laïcos staret, satis callens purpuram Imperatores, non Sacerdotes efficere : cui Imperator non fiduciâ potestatis, sed proconsuetudine Ecclesiæ Constantinopolitanæ se intra cancellos mansisse respondit. Inde Augustus redux Constantinopolim cùm solemni die Sacris adesset, statim atque sacra dona mensæ obtulisset, è sanctuario recessit ; à quo cùm Nectarius qui id temporis Ecclesiæ C. P. præerat, quæreret cur intra cancellos non mansitaret : Seriùs didici, inquit, quid interfit inter Imperatorem & Episcopum, vix tandem nactus veritatis magistrum, unum Ambrosium novi Episcopum, eo dignum nomine ; Theodorit. libr. 5. cap. 17. Judicis Ecclesiastici etiam est prohibere nè supellectilia in Ecclesiâ deponantur custodiæ causâ, nisi urgente necessitate, putà ob hostilem incursum, vel incendium repentinum ; cap. ult. de custod. Eucharist. & hoc nè divinum officium impediatur ; Rebuff. in quib. casib num. 35. Idem Judex potest prohibere nè Ecclesiæ à laïcis incastellentur, id est, in modum arcium muniantur, nè inde servitutis nascatur occasio ; Callixtus II. in can. Sanctorum 10. qu. 1. *Ecclesias à laïcis incastellari, aut in servitutem redigi authoritate Apostolicâ prohibemus.*

Otho Frisingens. libr. 7. chronic. cap. 31. *Ecclesiam etiam Beati Petri, omnium Ecclesiarum caput incastellare sacrilegè & prophanissimè non metuunt.* Et Bertoldus Presbyter Constantiens. in chronic. ad ann. 1087. *Guibertus Hæresiarcha, non magis ab incœpta perversitate cessavit, imò se apud S. Mariam ad Martyres, quam Rotundam dicunt, incastellavit.* Et Thomas Cantuar. in ejus vit. libr. 3. cap. 16. *Non enim decet Ecclesiam incastellare.* Episcopus etiam, ut ea quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis in laïcos in spiritualibus persequamur, laïcos non ritè Dominicum, aut alios dies festos colentes potest coërcere; Conc. Aurelianens. III. can. 29. *De Missis nullus laïcorum ante discedat, quàm Dominica dicatur oratio: & si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio expectetur. Sacrificia verò matutina Missarum sive vespertina, nè quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum spectet. Quod qui fecerit, in Sacerdotis potestate consistat, qualiter ejus districtione debeat castigari.* Unde sumptum est Capitul. 200. libr. 7. & Conc. Turonens. III. cap. 40. Idem etiam potest prohibere nè mercata & placita fiant die Dominico; Conc. Tur. III. can. 40. *Itemque interdicatur, nè mercata & placita usquam fiant die Dominica, &c.* Non immeritò delinquentes in cultu Festorum sunt fori Ecclesiastici, quia hujusmodi indevotio sapit hæresim; Rebuff. in quib. casib. Judex secular. num. 87. Idem & cognoscere potest de laïcis, si ab eis Ecclesia polluta sit fuso sanguine, quia est Ecclesiasticum delictum; Rebuff. ibid. num. 36. Denique laïci non sunt expertes Jurisdictionis Ecclesiasticæ in spiritualibus: ejus rei non ignobile argumentum est quod Gandavensium privilegium fuit anni 1191. nè ullus civis Gandavensis longiùs in jus vocaretur pro causâ spirituali, quàm in ædem D. Joannis Gandavensis, teste Meyero Rer. Belgicar. libr. 7. Extra suos casus Judicem Ecclesiasticum Jurisdictionis in laïcos expertem esse non nego: movet exemplum Christi, qui duos inter fratres aditus arbiter rei familiaris dividendæ causâ, judicium detrectavit: *Quis me*, inquit, *constituit Judicem aut divisorem super vos.* Luc. 12.

## CAPUT II.

### *Cauſæ Matrimoniales pertinent ad Epiſcopum; nec non cauſæ Divortii, & ſeparationis thori.*

Cognitio cauſarum Matrimonalium tamquam merè ſpiritualis pertinet ad Epiſcopum diœceſanum; cap. 1. de Conſanguin. & affinitat. cap. tuam, de ordin. cognit. cap. litteras, de reſtit. ſpoliat. cap. cauſam matrimonii, de offic. delegat. Hoc jure Gaufrido Comiti Vindocinenſi inceſtas nuptias cum Matilde relicta Roberti Vice-Comitis Bleſenſis ejus conſanguinei ſub pœna excommunicationis interdixit Ivo Carnotenſis Epiſcopus epiſt. 129. *Unde tibi mando & per legem Chriſtianum interdico ferales & inceſtas nuptias, quas nec lege poteris defendere, nec legitimos de eis hæredes ſuſcipere. Quòd ſi aliter incæptum tuum adimplere præſumpſeris, & excommunicationem incurres, & infamiæ notam non evades.* Cognitio cauſarum matrimonalium propria eſt Epiſcopi, quia eſt de majoribus cauſis, quæ majores Judices requirit; d. cap. 1. Unde Abbates, Decani, Archidiaconi, Archipreſbyteri vel alii inferiores non cognoſcunt de cauſis matrimonialibus, niſi ex privilegio vel conſuetudine præſcripta; cap. auditis, de præſcript. cap. accedentibus, de exceſſ. Prælat. & d. cap. 1. de conſanguinit. & affinitat. Conc. Trident ſeſſ. 24. de reform. cap. 20. Synodus Londinenſis habita anno Domini 1237. præſide Othone S. Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato in Anglia apud Matth. Paris: *Propterea duximus ſtatuendum, quòd matrimoniales cauſæ, quæ inter cæteras maturitate magnâ & diligenter ſunt tractandæ, viris providis & fide dignis, & habentibus juriſperitiam, vel ſaltem competens exercitium committantur. Si qui verò Abbates, Archidiaconi, vel Decani habent ex privilegio, vel conſuetudine approbatâ, quòd de matrimonialibus cauſis cognoſcant diligenter, ipſas examinare procurent, ita quòd tam ipſi quàm delegati eorum, ad diffinitivam ſententiam non procedant, niſi habitâ priùs deliberatione de cauſæ meritis cum Diœceſano Epiſcopo diligenti, ipſiuſque requiſito concilio, & obtento.* Et cauſa matrimonialis non pertinet ad Decanum, niſi vices Epiſcopi defungatur; cap. ſignificavit, de converſ. conjugat. nec ad Capitulum niſi ſede vacante, quia tunc ſuccedit in Juriſdictione Epiſcopali; cap. Albericus, de teſtib. cap. veniens, de ſponſal. Et conſervatores Apoſtolici non cognoſcunt de cauſis ma-

trimonialibus; Molin. in d. cap. 1. de consanguinit. & affinit. quia habent Jurisdictionem limitatam, cap. 1. de offic. delegat. in 6. Imò quandoque etiam matrimoniales causæ disceptantur apud Episcopos provinciales, id est, in Synodo provinciali, si fortè moveantur inter illustres personas; can. seculares, & ibi Gloss. 33. qu. 2. can. multorum 33. qu. 6. Denique hujusmodi causæ ita sunt fori Episcopalis, ut de his non possit transigi, vel compromitti in arbitros; cap. ult, de transact. cap. pen. de in integr. restit. Gloss. in L. non distinguemus. §. de liberali. ff. de recept. arbitr. & in d. cap. 1. de consanguinit. & affinitat. quia sunt causæ statûs quibus constituitur status & legitimitas liberorum, quæ majores Judices requirunt; L. unic. C. ubi caus. stat. Judex Ecclesiasticus cognoscit de matrimonio, & accessoriè de omnibus quæ pertinent ad validitatem matrimonii, putà de bannis, & an ritè facta sint, & an pro his ex laudabili consuetudine quid debeatur; Rebuff. in quib. casib. Judex secular. num. 9. & Episcopus per censuram Ecclesiasticam potest compellere eum qui promisit Caïam se ducturum uxorem, sponsionis fidem adimplere; cap. ex litteris, de sponsalib. Quæstio verò de damnis & interesse relinquitur Judici seculari. Ad Episcopum pertinet etiam causa divortii, divortium non potest fieri sine judicio Ecclesiæ; cap. porrò, de divort. d. can. seculares. d. can. multorum. Ivo Carnotens. epist. 229. *Ipsi sponte suâ consilio quorumdam Clericorum inter se divortium quæsierunt, ipsi causas divortii me nesciente jurejurando probaverunt.* De Engeltrude uxore Bosonis Comitis, quæ relicto viro, Vvarangero adultero in Galliis adhæsit, actum in Synodo Tullensi; Hincmar. de divort. Lotharii & Theutbergæ, cap. 22. *Sicut Bosonis mulier de quâ in Synodo apud Leucorum civitatem habitâ fuimus cum interpellatione commoniti.* Eamdem ob dissidium cum viro crebro anathemate percussam memoratur in can. Engeltrudam. 3. qu. 4. De divortio Lotharii & Theutbergæ actum apud Nicolaum I. & in Synodis Aquisgrani & Metis in Galliâ habitis, & à Pontifice probatio adulterii quod intendebatur per duellum, denegata, de quo Nicolaus ipse epist. 50. can. monomachiam. 2. qu. 5. & Regino 2. Chronic. Imò Theutgaudus Trevirensis & Guntharius Colonienſis Archiepiscopi in Synodo Metensi depositi, quòd Engeltrudem Bosonis conjugem intra Diœceses suas recepissent, & divortio Lotharii & Theutbergæ annuissent: de quo & Nicolaus I. epist. 58. can. ult. 2. qu. 1. & Regino 2. Chronic. De repudio Hildegardis Comitissæ quam Vvillelmus Comes Pictavienſis à se repulit superductâ Vicecomitissâ Castri Airaldi, querela delata est in Synodum Rhemensem apud Callixtum II. qui Concilio præfuit, de quo Orderic. Vitalis libr. 13. *Interea Hildegardis Comitissa Pictavorum cum suis pedissequis processit, & altâ clarâque voce querimoniam*

*ſuam eloquenter enodavit, quam omne Concilium diligenter auſcultavit; ſe ſi quidem dixit à marito ſuo eſſe derelictam, ſibique Malbergionem Vicecomitis de Caſtello-Airaldi conjugem in throno ſubrogatam: cùmque Papa interrogaret utrum Conſul Pictavenſis ſecundùm ſuum edictum ad Synodum veniſſet, Guillelmus eloquentiſſimus juvenis Epiſcopus Santonenſis, & plures Epiſcopi & Abbates de Aquitaniâ ſurrexerunt, &c.* Epiſcopus etiam cognoſcit de ſeparatione thori inter conjuges ob adulterium, vel ſævitiam viri ſeu malam tractationem; cap. ut lit. non conteſtat. cap. ſignificaſti, de divort. Idem Judex cognoſcit etiam de ſequeſtro, putà an puella de cujus nuptiis agitur, vel mulier quæ petit ſe à viro ſeparari, ſequeſtrò deponenda ſit apud honeſtam matrem-familias; cap. locum, de ſponſalib. cap. ex transmiſſa, de reſtit. ſpoliat.

## CAPUT III.

### *An Judex Eccleſiaſticus cognoſcat de Matrimonio impuberum: Arguitur Fevretius. An idem cognoſcat de dote & dotalitio. Moribus Francorum dos dicta ad fores Eccleſiæ.*

QUÆSITUM eſt an Judex Eccleſiaſticus cognoſcat de Matrimonio impuberum. Fevretius per omnia hoſtili animo agens cum Eccleſia abſciſſe exiſtimat libr. 5. cap. 6. num. 7. nullas eſſe partes Judicis Eccleſiaſtici in hujuſmodi causâ, hac ratione uſus quòd nullæ ſint nuptiæ inter impuberes; Judex verò Eccleſiaſticus non ſit competens de vinculo matrimonii, atque ita ejus Juriſdictio ceſſet, ubi nullum eſt matrimonium. Sed verius eſt Judicem Eccleſiaſticum eſſe idoneum & competentem de matrimonio impuberum, duplici ratione: prior eſt, quòd in ea occurrit quæſtio facti an ſint impuberes qui contraxerunt, quæ omninò eſt fori Eccleſiaſtici: altera eſt, quòd non perpetua eſt regula quâ nititur Fevretius nuptias nullas eſſe inter impuberes; nuptiæ enim contrahi poſſunt etiam inter impuberes duobus caſibus: primus eſt, ſi contrahantur neceſſitatis causâ, putà inter Principes, vel illuſtres familias pacis publicæ vel gravioris litis & diſſidii componendi causâ; cap. 2. de deſponſat. impuber. can. 1. 31. qu. 2. Secundus eſt, ſi contrahentes ſint proximi pu-

bertati, & malitia, id est, natura præcox suppleat ætatem; cap. de illis, eod. tit. quo casu nuptiæ contractæ inter impuberes, non dissolvuntur secutâ copulâ carnali; cap. à nobis, eod. tit. Imò nuptiæ inter impuberes quæ ab initio non valent, ex post-facto convalescunt, superveniente consensu post pubertatem; L. minorem. ff. de rit. nuptiar. L. dotis promissio, de jur. dot. cap. ult. de sponsalib. Et Fevretius ipse non potuit diffiteri de matrimonio impuberum aliquando actum apud Judicem Ecclesiasticum principales inter personas; quod non inani & stultâ cautione factum esse credendum est, sed potiùs adhibito peritorum consilio, quibus visum esset non alium hac de re esse Judicem competentem quàm Ecclesiasticum: quod spernendum non fuit in re tanti momenti, in qua agitur de salute animæ & statu liberorum.

Jure Pontificio ubi Judex Ecclesiasticus cognoscit de matrimonio, incidenter cognoscit de dote & dotalitio, id est, doario; cap. ex parte, de foro competent. cap. 3. de donat. inter vir. & uxor. quod nimis à jure alienum non fuit duplici ratione: Prior est, quia Judex Ecclesiasticus non cognoscit principaliter de dote, putà si agatur de dote restituendâ, morte viri soluto matrimonio, vel constante matrimonio si maritus vergat ad inopiam, sed ita demùm si quæstio dotis incidat quæstioni matrimonii, vel separationis thori; quo casu Judex competens de principali, est competens de incidenti; L. quoties. C. de judic. L. 1. C. de ordin. cognit. Altera est, quia causa dotis est quasi spiritualis, vel annexa spirituali, quia jure Pontificio nullum erat legitimum conjugium sine dote & publicis nuptiis, ut vitarentur clandestinæ nuptiæ; can. consanguineorum. 3. qu. 4. can. qualis debeat. can. nullum 30. qu. 5. Hoc jure dos dicebatur ad fores Ecclesiæ; Matth. Paris ex edicto Joannis Regis anni 1215. *Assignetur autem ei pro dote sua tertia pars totius terræ mariti sui, quæ sua fuit in vita, nisi de minori dotata fuerit ad ostium Ecclesiæ.* Moribus Francorum doarium constituebatur die votorum ad fores Ecclesiæ per cultellum plicatum; Andreas de Yserniis in cap. donare qualit. olim feud. poterat alienar. Jure Pontificio etiam Judex Ecclesiasticus cognoscit de quæstione natalium, id est, de statu liberorum an susceptí sint ex legitimo matrimonio, nec nè; cap. tuam, de ord. cognit. cap. lator. qui filii sint legitimi. Sed moribus nostris utraque quæstio de dote & natalibus pertinet ad Judicem secularem.

Supereſt adhuc quæstio, an Judex Ecclesiasticus qui occupavit quæstionem matrimonii, valeat cognoscere de quæstionibus facti incidentibus. Fevret. libr. 5. cap. 1. num. 11. fortiter censet quæstiones facti incidentes esse remittendas ad Judicem secularem. Sed hoc caute accipiendum est adhibitâ distinctione: aut quæstio incidens est meri facti, putà an Titius

desponsaverit Caïam per verba de præsenti, vel eamdem carnaliter cognoverit, vel simul vixerint tamquam conjuges, & domi nati sint liberi; tunc cognitio pertinet ad Judicem secularem, quia est quæstio meri facti, quæ nihil spirituale continet: aut super certo facto disputatur de jure, putà an valeat matrimonium nec nè, quia opponitur impedimentum canonicum affinitatis vel consanguinitatis, frigiditatis & inhabilitatis; tunc quæstio incidens, quæ licet facti sit, resolvitur in quæstionem juris, pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, quia sine ea principalis quæstio expediri non potest: mandatâ Jurisdictione concessa videntur ea omnia sine quibus Jurisdictio explicari non potest; L. 2. ff. de Jurisdict. L. 1. ff. de suspect. tutor. Alioquin vix Episcopus cognosceret de matrimonialibus causis, & lusoria esset Jurisdictio Ecclesiæ, quæ inefficaciter cognosceret de matrimonio, eam morantibus incidentibus quæstionibus facti, ut optimè docet Belluga in specul. de propos. princip. §. sunt & aliæ. num. 1. Non omittendum quòd licet causa matrimonialis sit maximè fori Ecclesiastici, tamen de incidente quæstione criminis, putà raptûs vel adulterii, non cognoscit Judex Ecclesiasticus, & si de raptu incidat quæstio, Judex Ecclesiasticus supersedere debet quæstioni matrimonii, quousque Judex forensis de raptu pronunciaverit; Ægid Magister tit. de appell. tam q. ab abusu. cap. 6.

## CAPUT IV.

### *De Decimis in petitorio cognoscit Judex Ecclesiasticus, in possessorio Judex secularis. Bannus Episcopalis.*

Judex Ecclesiasticus cognoscit de petitorio, id est, de jure Decimarum; cap. 1. cap. Parochianos, de decim. quia jus decimarum est spirituale. Decima est census Deo debitus in signum universalis dominii; d. cap. Parochianos. cap. 2. de censib. can. decimæ 16. qu. 1. can. majores, eod. caus. & quæst. & laïci ratione decimarum dicuntur tributarii & vectigales Dei; Helmold. hist. Sclavor libr. 1. cap. 3. de conditionibus pacis à Carolo Magno initæ cum Saxonibus: *Porrò ea conditio à Rege proposita, & ab ipsis suscepta est, ut abjecto dæmonum cultu Christianæ fidei*

*Sacramenta ſuſciperent, eſſentque tributarii & ſubjugales Domini Dei, omnium jumentorum ſuorum & fructuum, culturæ ſeu nutrituræ ſuæ decimas Sacerdotibus legaliter offerentes.* Unde in judicio decimarum non juratur in litem, quia eſt cauſa ſpiritualis; cap. litteras, de jurament. calumn. nec de decimis poteſt compromitti in laïcos; cap. contingit, de arbitr. Inde laïci compelli poſſunt ab Epiſcopo Diœceſano ad ſolutionem decimarum per cenſuras Eccleſiaſticas; cap. poſtulaſti, de homicidio. Clem. diſpendioſam, de judic. & ſi quis decimas extra baptiſmalem Eccleſiam dare voluerit, bannum Epiſcopale componit, & communione privatur; can. ſtatuimus 16. qu. 1.

Bannus Epiſcopalis eſt mulcta quæ ſolvebatur Epiſcopo quæ erat ſexaginta ſolidorum, ut in legibus Longobardorum, ex Gloſſ. in d. can. ſtatuimus, & Conc. Piſtenſi: qui decimas dare recuſant, ſi non ſolvant poſt excommunicationem, poteſtate regiâ compelli poſſunt; d. cap. poſtulaſti & Synod. Meldenſ. can. 68. etiam commiſſo prædiorum de quibus non ſolvunt decimas; & hoc eſt quod voluit d. can. 68. eos regiâ poteſtate compelli juxta legale & antiquum edictum: *Qui negligit cenſum, perdat agrum.* Quòd ſi agatur de poſſeſſorio decimarum, quia poſſeſſio eſt magis facti quàm juris, de ea diſceptatur apud Judicem regium ex Conſtitutione Philippi pulchri anni 1303. Rebuff. tract. de decim. qu. 10. num. 2. & 38. idem tractat. in quib. caſib. Judex ſecular. num. 13. & 15. Matth. ad qu. 1. Guid. Pap. 1. Gayll. practic. obſerv. libr. 1. cap. 38. Covarruv. pract. quæſt. cap. 35. Papon. libr. 1. arr. tit. 4. arr. 1. Loëtius in litt. D. num. 29. Quòd ſi agatur de decimis feudalibus, harum cognitio ſive in petitorio ſive in poſſeſſorio pertinet ad laïcum Judicem, quia pro merè temporalibus habentur. Rebuff; & alii locis laudatis.

CAPUT V.

# CAPUT V.

*An Judex Eccleſiaſticus cognoſcat de cauſis Viduarum, Pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum. Notatio vocis,* Miſerabiles. *An idem cognoſcat de cauſis Pœnitentium, & de feudo inter Cruce ſignatos.*

JURE Pontificio etiam Judex Eccleſiaſticus cognoſcit de cauſis Viduarum, Pupillorum, & aliarum perſonarum miſerabilium, quia ejus intereſt viduas defenſare; cap. ex parte, de foro competent. cap. ſuper quibuſdam, de US. Epiſcopi officium eſt, tueri viduas & pupillos, & paupereſ; Synod. Sardicenſ. can. 7. τοῖς πένησι καὶ τοῖς λαϊκοῖς, ἢ ταῖς χήραις συναιρεῖσθαι, καὶ ἐπιμελεῖν. Viduarum curam non minimum onus Epiſcoporum agnoſcit Jo. Chryſoſtom. libr. 3. de Sacerdot. cap. 52. viduæ ſc. & pauperes pari gratiâ erant in matricula Eccleſiæ, ejuſque ſumptu alebantur: can. mulieres 32. diſt. can. viduæ 81. diſt. Euſeb. libr. 6. cap. 35. χήρας σὺν θλιβομένοις, ὃς πάντας ἡ τοῦ δεσπότου χάρις, καὶ φιλανθρωπία διέσωσεν. *Viduas & alios afflictatos, quos omnes Domini gratia & benignitas ſuſtentat.* Flodoard. hiſt. Rhem. libr. 1. cap. 9. ex teſtamento Benagii Rhemenſis Epiſcopi: *Sanctimonialibus & viduis in matriculâ poſitis ſolidos tres.* Quæ cura etiam fuerit Eccleſiæ in tuendis pupillis ſignat Auguſtin. epiſt. 20. in appendice: *Novit optimè religio tua, quam curam tuendis cùm omnibus hominibus, tum maximè pupillis Eccleſia, vel Epiſcopi debeant.* Viduarum cauſas ſibi vindicat Judex Eccleſiaſticus non perpetuo jure, ſed ita demum ſi ſint pauperes & oppreſſæ, putà ſi ſint ſpoliatæ dote vel dotalitio; d. cap. ex parte. cap. nuper, de donat. inter vir. & uxor. Aliud eſt ſi viduæ mentiantur ſe pauperes; cap. ex tenore, de for. compet. cap. ſignificantibus, de offic. delegat. Eccleſia ita viduas tuetur, ut non intendat ſuam Juriſdictionem tollere Judici ſeculari: *Sic ſumus*, ait Pontifex in d. cap. ex tenore, *viduis in juſtitia debitores, quòd aliis injuſtitiam facere non debemus.* Viduæ, pupilli, & aliæ miſerabiles perſonæ ſunt ſub tuitione Eccleſiæ miſerationis intuitu.

Miſerabiles perſonæ ſunt quæ ob viduitatem, ætatem, paupertatem, vel valetudinem miſeratione dignæ ſunt; Quintilian. declamat. 1. *Semper ſe cuſtodiunt miſeri, nè eſſe miſerabiles deſinant.* Hieronym. 2. adverſ. Jovinian. *ſed & ipſæ mulierculæ miſeræ, & non miſerabiles.* Eadem ana-

logiâ Sidonius libr. 1. epist. 7. de Arnaudo : *Paulò post cùm duceretur addictus, miser nec miserabilis erat.* Hæc una fuit è querelis Petri de Cugneriis apud Philippum Valesium, quòd viduæ & pupilli audirentur in foro Episcopali, ut videre est in libello hac de re edito, gravamine 43. Sed si spectemus tempora, hoc satis ferendum fuit propter malignitatem & duritiem sæculi, quo viduæ & pupilli seculari præsidio destituti vim & injuriam quam patiebantur à Potentioribus, non aliâ quàm Ecclesiæ ope repellere poterant : nec culpanda Ecclesia, quæ non lucri, vel Jurisdictionis prorogandæ causâ viduarum & pupillorum causas suscepit, sed potiùs unico pietatis affectu. Eodem modo Imperator de causis viduarum & pupillorum extra-ordinem cognoscit ; L. unic. C. quand. Imperat. inter pupill. vel viduas. Theodoricus apud Cassiodor. 4. var. 9. *Proinde sublimitas vestra tenorem præsentis jussionis agnoscens, supra memoratos adultos, si quis jurgantium pulsare maluerit, ad nostrum Comitatum noverit dirigendos.* Eodem ingenio & causæ viduarum & pupillorum communi calculo Episcopi & Comitis seu Judicis terminantur ex voto magis quàm præcepto Patrum ; Conc. Matisconens. II. can. 12. *Decernimus ut Judices non priùs viduas & pupillos conveniant, quàm Episcopo nunciarint, cujus sub velamine degunt. Quòd si Episcopus præsens non fuerit, Archidiacono vel Presbytero cuidam ejus, ut pariter sedentes communi deliberatione causis eorum terminos figant.* Et easdem causas ante omnes audiri in eleemosyna Regis, id est, gratis sine sportulis placuit ; Conc. Vernens. can. 23. *Ut Comites vel Judices ad eorum placita, primò viduarum, orphanorum, vel Ecclesiarum causas audiant & definiant, in eleemosyna domni Regis ; & postea alias causas cum justicia rationabiliter judicent.* Unde sumptum est Capitul. 33. libr. 2. Imò causæ viduarum & pupillorum secundùm mentem Canonum non absolutè pertinent ad Ecclesiam, sed quoad protectionem tantùm, id est, si hujusmodi personæ egeant auxilio Ecclesiæ, putà si vim & injuriam patiantur à Potentioribus, quæ alio remedio propulsari non possit ; can. 1. & 2. 87. dist. can. administratores. 23. qu. 5. & hæc est sententia Gloss. in d. cap. ex tenore. Dico quoad protectionem, quæ ex necessitate tribuit Jurisdictionem, quia protectio non potest esse efficax sine Jurisdictione, ut probatur in defensoribus Ecclesiarum & Civitatum ; can. Ab Imperatoribus 23. qu. 3. L. 3. C. de defensorib. civitat. & in conservatoribus Apostolicis cap. 1. & 2. de offic. delegat. in 6. Eo cum moderamine causas Pœnitentium non rejecit Ecclesia ; Leo I. epist. 90. in can. aliud quidem 11. qu. 1. *Unde si quis pœnitens habet causam quam negligere fortè non debeat, melius expetit Ecclesiasticum quàm forense judicium.* Eodem nomine & de feudo cognoscebat Judex Ecclesiasticus inter Cruce signatos, quòd sub

tuitione Ecclesiastica positi essent tam in rebus quàm in personis; Ivo Carnotens. epist. 173. *Die statutâ ventum est ad causam, obtulit se ad judicium Rotrocus: secundùm ordinem gestarum rerum dixerunt petitores, qui pro Hugone loquebantur se nolle ad hanc causam ingredi, nisi priùs eis satisfaceret de eo quod non erat intermissa ædificatio munitionis, & recredita redemptio Ivonis. Responsum est ex parte Rotroci neutrum debere fieri, quia munitio illa ei adjudicata erat in curiâ Comitissæ, de cujus feudo erat, cùm judicio Ecclesiæ ad prædictam curiam hæc causa translata esset, & prædictus Ivo pro peregrinatione Hugonis minimè erat reddendus, cùm prædictus Ivo Rotrocum dominum suum diffiduciasset, &c.* Nec Regibus displicuit hujusmodi defensio viduarum & pupillorum, & aliarum miserabilium personarum variis temporibus ab Ecclesiâ susceptа. Ecclesia est mater Fidelium, quæ miseris sinum & dextras porrigit, & ad se confugientes non repellit; Nicolaus I. in epist. ad Carolum Calvum in causâ Theutbergæ apud Reginon. libr. 2. Chronic. *Ecclesiæ refugium quærens, Ecclesiasticum judicium semper expetens, submitti non debet seculari judicio.* Hodie verò rebus in melius compositis, lubens Ecclesia abstinet causis viduarum & pupillorum, & unicum ejus votum est nè res redeat in infœlicem temporum casum, quo viduæ, pupilli & pauperes egeant non defuturo unquam Ecclesiæ solatio & auxilio.

## CAPUT VI.

### *An Judex Ecclesiasticus cognoscat de rationibus Matriculariorum: Reprehenditur Fevretius. Matricularii unde assumpti.*

AD Judicem Ecclesiasticum, an ad secularem pertineat disceptatio de rationibus Matriculariorum, non mediocris momenti quæstio occurrit. Forensium una sententia est Matricularios pro reddendis administrationis suæ rationibus, non apud alium conveniendos esse quàm apud Judicem secularem, quia merè laïci sunt, & res vel pecunia cujus dispensatio eis credita est, licet in usus sacros sit destinata, non est sacra: & hæc est sententia Chopin. de sacr. polit. libr. 2. cap. 2. num. 7. & 8. Duranti quæst. 42. Mayn. libr. 2. cap. 1. Chenu in arrestis quæ sunt ordinis Eccles. tit. 1. cap. 12. Papon. in arrest. tit. d'*appellation comme d'abus*, arr. 14. quam gaudens sequitur Fevretius libr. 4. cap. 7. num. 21. Sed si verum amamus, nulla ratio est quæ cognitionem gestûs Matriculariorum

tribuat Judici seculari. Primò, Matriculariorum officium est merè Ecclesiasticum, & ad Clericos dumtaxat pertinet, cùm in dispensandis rebus Ecclesiæ consistat. Notum est quod placuit Synodo Chalced. can. 26. ut quilibet Episcopus eligat sibi œconomum de proprio Clero, nè Ecclesiæ rerum dispensatio sit sine testimonio; can. quia in quibusdam. 89. dist. can. quoniam in quibusdam. can. in nona. 16. qu. 7. quod comprobatum Conc. Hispal. II. can. 9. d. can. in nona. Laïcos Ecclesiastici patrimonii procuratores esse vetuit Gregorius I. de quo Jo. Diacon. ejus vit. libr. 2. cap. 15. *Nemo laïcorum quodlibet palatii ministerium, vel Ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia Ecclesiastici juris munia, Ecclesiastici nihilominùs viri subibant.* Laïci etiam patroni Ecclesiarum non possunt omninò se immiscere dispensationi rerum Ecclesiasticarum, sed sicut Ecclesia, ita & dos ejus ad Episcopi ordinationem pertinet; can. noverint. 10. qu. 1. can. laïcis. can. filiis. 16. qu. 7. Secundò, actores rerum Ecclesiæ quos vocant Matricularios, si originem & rectiorem rerum usum spectemus, non è laïcis, sed è matriculâ, id est, Clericorum albo eligebantur. Matricula est tabula in quâ continetur census Clericorum cujusque Ecclesiæ, quæ erat penès Primicerium; Isidorus in epist. ad Leufredum, can. perlectis 25. dist. *Basilicanos ipse constituat, & Matriculam ipse disponat.* Unde Matricularii dicuntur juniores seu minores Clerici, qui descripti erant in Matriculâ Ecclesiæ; Adamus Bremens. libr. 3. cap. 5. *Cùm & ego indignissimus Ecclesiæ Dei Matricularius Bremam veni.* Et ideò distinguebantur à Canonicis ut minores; sic in vita S. Gerard. apud Surium Octobris 3. *Erant autem aliquot ibi instituti seu deputati Clerici in ministerium S. Gisleni regularis disciplinæ prorsùs ignari, nec ut sunt hodie Canonici, sed quales sunt quos Matricularios vocant.* Horum munus erat sacras ædes tueri & observare; Gregor. Turonens. libr. 7. cap. 29. *Nonnulli etiam Matriculariorum & reliquorum pauperum pro scelere commisso tectum cellulæ conantur evertere: sed & energumeni ac diversi egeni, cum petris & fustibus ad ulciscendam Basilicæ violentiam proficiscuntur.* Eorumdem erat oblationes accipere; Abbas Urspergensis in Chronic. de Clodoveo Victore Alarici, & equo per eum oblato S. Martino apud Turones ex voto: *Cùmque interfecto Alarico reverteretur cum victoriâ, veniens ad eamdem Ecclesiam, pro solvendo voto dona obtulit plurima; pro equo vero quem ibi dimiserat, dedit matriculariis Ecclesiæ centum solidos ut eum reciperent.* Aimoin. libr. 4. cap. 33. de fundatione Cœnobii Dionysiani per Dagobertum: *Prædia verò tam innumera fratribus in eodem loco Deo famulantibus, sive Matriculariis Ecclesiæ contulit, ut devotio animi ejus plurimis admirabilis esset.* Iidem sunt quos Cubicularios vocat Sigebert. ad ann. 509. & Otho Frisingens. libr. 4. Chronic. cap. 32. Cubicularios etiam nun-

cupavit ædituos seu custodes Basilicæ seu Sacelli Anastas. in Leone I. *Hic constituit super sepulchra Apostolorum custodes qui dicuntur Cubicularii, ex clero Romano.* Ipsorum etiam fuit infantulos expositos ad fores Ecclesiæ colligere & curare; Vandelbert. Diaconus in vita S. Goaris apud Surium 6. Julii. *Moris quippè tunc Trevirorum erat, ut cùm casu quælibet fœmina infantem peperisset, cujus nollet sciri parentes, aut certè quem præ inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum parvulum in quadam marmoreâ conchâ quæ ad hoc ipsum statuta erat, exponeret.* Et paulò post: *Si quandò igitur id contigisset, custodes vel Matriculariі Ecclesiæ puerum accipientes, quærebant in populo, si quis fortè eum suscipere nutriendum, & pro suo deinceps habere vellet.* Cùm igitur Matriculariі essent de Clero, non alium par fuit eos habere Judicem quàm Episcopum. Tertiò, utroque jure œconomi Ecclesiarum & aliorum locorum piorum tenentur actûs sui rationem reddere apud Episcopum; Novell. Justin. 123. cap. 23. Clem. quia contingit. §. ut autem, de religios. domib. Conc. Trident. sess. 22. de reformat. cap. 9. & hoc jus eò convenientius est Matriculariis, quòd eorum munus versatur circa curationem fabricæ, cui addicta est quarta decimarum; can. vobis. can. Vulteranæ. can. quatuor. can. de reditibus. 12. qu. 2. Quartò, Clerici qui contra Canones se immiscent administrationi rerum secularium, amittunt privilegium fori, & non injuriâ conveniuntur coram Judice seculari, haud reclamante Ecclesiâ, ex Constit. anni 1539. can. 4. Quæ invidia igitur laïcos gerentes res Ecclesiæ connivente Republicâ, quoad rationes reddendas subjici Judici Ecclesiastico? Nonnè incongruum est unam eandemque Ecclesiæ substantiam diverso jure censeri usurpationis & Canonum; can. cognovimus. 12. qu. 1. Nonnè aut laïci ab administrandis rebus Ecclesiæ arceri oportet; aut si eis communem esse volunt administrationem rerum Ecclesiæ, Episcopalis fori non esse exortes, cùm in hac Clericorum vices fungantur: quò inclinat Rebuff. in quibs. casib. Judex secular. num. 33. Hac de causâ potissimùm laïcos ab actu rerum Ecclesiasticarum removendos per Episcopum, nè præscriptione fori rationum redditionem frustrentur, censuit Gregor. I. libr. 7. epist. 67. ad Januarium Episcopum Caralitanum: *Indicatum etiam nobis est, quòd laïcis quibusdam curam vestri patrimonii committentes, postmodum in rusticorum vestrorum depræda tionibus, atque per hoc ex fatigationibus fuerint deprehensi, & reddere res quas indecenter retinent habitas, quasi suæ ditionis, quippè vestræ non suppositi curationi, postponant, vobisque despiciant actuum suorum reddere rationem.* Et paulò post: *De cætero verò cavendum à fraternitate vestrâ est, nè secularibus viris, atque non sub regulâ vestrâ degentibus res Ecclesiasticæ committantur, sed probatis de vestro officio Clericis: in quibus si quid reperiri poterit pravitatis, ut in subditis*

*emendare quod illicitè gestum fuerit valeatis, quos apud vos habitûs sui magis officium commendet, quam excuset.* Nec idonea est medela injuriæ quam à laïcis patitur Ecclesia, quòd Episcopo fas esse volunt lustrando Diœcesim inspicere rationes Matriculariorum: quid enim confert nuda inspectio rationum, nisi valeat Episcopus rationes dispungere & exigere, & reliquatores ad præstanda reliqua compellere? Inanis ac penè ludicra fatigatio Episcopi in visitationis annuo munere, si ei adimas Matriculariorum correctionem, quibus impunè erit negligere sarta tecta sacrarum ædium, & fabricæ dotem in usus prophanos spargere, patrimonium Christi & pauperum prædam suam facere in oculis Episcopi, quem non Judicem, sed testem rapinæ habituri sunt. Ecclesiæ planctum circa hæc audiêre Christianissimi Principes, & tandem edictis Caroli IX. anni 1571. 3. Octobris, Henrici IV. anni 1609. 16. Martii, Ludovici XIII. anni 1619. uno calculo Episcopis, Archidiaconis, Officialibus tributa cognitio rerum & redituum qui ad Ecclesias & fabricas pertinerent, & rationum dispunctio, modò gratuita & sine sportulis opera impenderetur, & iisdem edictis additum ut eorum sententiæ non obstante appellatione executioni demandarentur. Sed eodem spiritu quæ prosunt Ecclesiæ leges contemnuntur, ac Canones; & ubi leges & Canones pro Ecclesia militant, consuetudo, id est, corruptela fori vincit leges & Canones.

## CAPUT VII.

### *Quibus casibus de jure cognoscat Judex Ecclesiasticus in laïcos.*

JURE Pontificio laïci non sunt exsortes Jurisdictionis Episcopalis variis casibus, ut malefactores Ecclesiæ, id est, raptores rerum Ecclesiasticarum, Rectori Ecclesiæ coram quo maluerint Judice convenire fas est, quia pro sacrilegis habentur: quòd favore Ecclesiæ introductum est, quoniam Judices seculares in exhibenda justitia personis Ecclesiasticis, sæpè in judicio sunt remissiores; cap. cùm sit generale, de foro compet. can. de viro. 12. qu. 2. Eodem jure si quis Episcopum percusserit, anathemate multatur, & ejus bona Ecclesiæ in perpetuum traduntur; si Presbyterum, vel Clericum inferioris ordinis, deponitur; & si contumax fuerit, excommunicatur; can. si quis deinceps. 17. qu. 4. Laïcorum Ecclesiam gravantium pœna est depositio, id est, amissio cinguli, quod est præcipuum insigne dignitatis; can. nullus Episcopus. 11. qu. 1. Hoc pœnæ genere affectus Raimbaldus miles qui Monachum Bonævallensem vi castra-

vit, quòd ejus famulos herbam suffurantes verberibus malè accepisset; Ivo Carnot. epist. 135. *Coacto rigore Ecclesiastico arma ei abstulimus, &* 14. *annorum pœnitentiam indiximus, ut diebus sibi præscriptis, à cibis lautioribus abstineret, & tam immane facinus eleemosynis & jejuniis expiaret.* In Synodo Belvacensi excommunicatus, & cingulo spoliatus licet absens Thomas de Marna homo improbus & infestus Ecclesiæ; nec factum displicuit Ludovico Crasso qui tum rerum potiebatur, quasi regni majestati noxium: quin imò Christianissimus Princeps, hostem Ecclesiæ regno infidum ducens, precibus Patrum in eundem copias movit; Suger. in vita Ludovici Crassi: *Cujus intolerabili fatigatâ molestiâ cùm sederet Belvaci generali conventu Gallicana Ecclesia, ut in hostes veri sponsi Jesu Christi, hîc etiam judicii primordia, & damnativam promulgare incipiat sententiam venerabilis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus Cono Prænestinus Episcopus, innumerarum pulsatus molestiâquerelarum, Ecclesiarum, pauperum & orphanorum, denegationum tyrannidem mucrone Beati Petri, anathemate scilicet generali detruncans, cingulum militare ei licet absenti descingit, ab omni honore tamquam sceleratum infamatum, Christiani nominis inimicum omnium judicio deponit. Tanti itaque Concilii Rex exoratus deploratione, citissimè in eum movet exercitum, &c.* Percussorum Clericorum præter amissionem cinguli, alia pœna est excommunicatio, quam ut minorem explodit Petrus Blesens. epist. 73. *In Ecclesiâ Anglicanâ damnosa omnibus, & omninò damnanda consuetudo invaluit, quæ nisi per industriam vestram fuerit omninò sublata de medio, in enorme totius Cleri dispendium vehementer excrescet. Si Judæus, aut laicorum vilissimus occiditur, statim supplicio mortis addicitur interfector: si quis verò Sacerdotem, vel Clericum minoris aut majoris status occiderit, Ecclesia solâ excommunicatione contenta, aut ut verius loquar, contempta materialis opem gladii non requirit.* Tertia secundum Canones interfectoris Presbyteri pœna est wirgeldus, id est, pœna pecuniaria quæ pro parte solvitur seu componitur Ecclesiæ cui defunctus præfuit, pro parte Episcopo veluti proximiori hæredi qui ipsum Domino sociavit, can. omnes 17. qu. 4. nimirum multa seu compositio pro interfecto Clerico solvebatur Episcopo, ut in legibus Longobardicis multa solvebatur Judici. Percussores tamen Leonis Papæ ejus nominis III. habitâ decies quæstione juxta legem Romanam, ut majestatis rei capite damnati sunt instante Carolo Magno, de quo Adelmar. in ejus vit. Aymoin. libr. 4. cap. 28. non alienæ legis censurâ; causas enim Ecclesiasticas quoad res & personas lege Romanâ disceptari moris fuit. In Anglia percussores Clericorum à Justiciario Regni damnati, non nisi præsente Episcopo, & hoc fuit unum è quatuor Capitulis, quæ petente Petro Leone Legato Sedis Apostolicæ, servanda constituit Henricus II. apud Matth. Paris ad

ann. 1176. *Tertiò, concessit ut interfectores Clericorum convicti vel confessi coram Justiciario Regni præsente Episcopo puniantur.* Imò & nostris placuit percussores Clericorum coram utroque Judice conveniri posse veluti sacrilegos, & locum esse præventioni; Papon. libr. 1. tit. 4. arr. 6. Ægid. Magist. de appellat. tamq. ab abus. cap. 11. Eodem jure violatores emunitatis Ecclesiæ ratione delicti sortiuntur forum Ecclesiæ, & per Episcopum excommunicantur; cap. sicut antiquitùs. can. si quis ex atrio. can. si quis contumax. can. quisquis 17. qu. 4. putà si quis homicidium vel latrocinium perpetraverit in Ecclesiâ, vel intra atrium Ecclesiæ quod gaudet emunitate Ecclesiæ. Atrium sive ambitus Ecclesiæ est area sive spatium quod est circùm Ecclesiam, in majoribus Ecclesiis quadraginta passuum, in minoribus Ecclesiis seu capellis triginta; d. can. sicut. d. can. quisquis. Et hoc est quod canonicum spatium vocitat Innocent. III. epist. 162. registr. 13. Et hoc spatium ita gaudebat emunitate Ecclesiasticâ, ut laïci in eo non sepelirentur, nisi essent majoris dignitatis; Baldric. Noviomens. libr. 3. Chronic. Cameracens. cap. 22. *In atrio tamen, quia major erat villulæ, subterratus.* De laïcis qui vestes suffurati erant in Ecclesiâ tempore Synodi, tamquàm de infractoribus emunitatis Ecclesiasticæ judicandi suas partes esse duxit Basilius: testis ipse epist. 417. ad Commentariensem: τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησιαῖς ἁμαρτανόμενα ὑφ' ὑμῶν προσήκει τῆς πρεπούσης τυχχάνειν διορθώσεως δικαστὰς δὲ περὶ τούτων μὴ παρευοκλεῖσθαι. *Delicta commissa in Ecclesiis nostram convenit sortiri correctionem, neque Judices propter id molestari.* Eodem jure violatores Treugæ & pacis excommunicandi potestatem habet Episcopus; cap. unic. de Treuga & pace; can. illi qui. 24. qu. 3. quia per eos violatur pactum initum inter Episcopos Galliarum de pace colenda, quod dictum est Treuga Domini, de quo Glaber libr. 5. cap. 1. *Contigit verò ipso in tempore inspirante divinâ gratiâ primitùs in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per universum Galliarum territorium firmari pactum propter timorem Dei pariter & amorem, taliter ut nemo mortalium à feriæ quartæ vespera usque ad secundam feriam incipiente luce ausu temerario præsumeret quidpiam alicui hominum per vim auferre, neque ultionis vindictam à quocumque inimico exigere, nec etiam à fidejussore vadimoniam sumere. Quòd si ab aliquo fieri contingeret contra hoc decretum publicum; aut de vitâ componeret, aut à Christianorum consortio expulsus, patriâ pelleretur: hoc insuper placuit universis, veluti vulgò dicitur, ut Treuga Domini vocaretur.* Iisdem juris elementis pactioni pacis initæ inter Philippum Ducem Burgundiæ & Comitem Flandrensem, & Gandavenses apposita est clausula, quòd si quis Clericus hujusmodi pacis conditiones infringeret, conveniretur apud suum Judicem, quasi de pace infractâ; Jo. Frossard. vol. 2. cap. 178. *Item, que si aucune personne d'Eglise*

*contrevenoit*

*contrevenoit à ladite paix, ſoit baillé à ſon Ordinaire, pour eſtre puny comme de paix enfrainte.* Hoc jure etiam incendiarios & prædones excommunicare poteſt Epiſcopus; can. ſi quis membrorum. can. peſſimam. 23. qu. 8. cap. tua vos, de ſentent. excommunicat. cap. 1. de raptor. & incend. Alexandrum ob latrocinium damnatum, qui ſe non propter maleficium, ſed ob nomen Chriſti perſecutionem paſſum ſimulabat, in communionem Eccleſiæ non receptum tradit Euſeb. libr. 5. cap. 17. καὶ ἡ ἰδία παροικία αὐτὸν ὅθεν ἦν, οὐχ ἑδέξατο, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν λῃστήν. *Attamen propria ac ſua unde erat Eccleſia, eum qui latro erat, recipere nolebat.* Etiam alienos Parochianos ob latrocinium & deprædationis cauſam poteſt excommunicare Epiſcopus; can. placuit. can. de illis. 6. qu. 3. quia ſunt vagi & acephali, & nullius Diœceſis, ideòque non gaudent ſecuritate Eccleſiæ; d. can. ſicut. Eodem demum jure laïci naufragos ſpoliantes excommunicantur; cap. excommunicationi, de raptorib. cap. cùm dilecti, de accuſat. Gregor. VII. libr. 5. epiſt. 14. *Et quoniam Dei judicio nonnullos naufragio perire cognoſcimus, & eos quaſi legali jam jure, diabolico imò inſtinctu, ab his quibus miſericorditer ſublevari & conſolari deberent, deprædari conſpicimus; ſtatuimus, & ſub anathematis vinculo, ut à prædeceſſoribus noſtris ſtatutum eſt, jubemus ut quicumque naufragum quemlibet aut bona illius invenerit, ſecurè tam eum quàm omnia ſua dimittat.* In Synodo Nannetenſi jus naufragii, id eſt, quicquid naufragio enataret ſibi vindicandi, quo ex conſuetudine utebatur Comes Britanniæ, ultrò in manibus Epiſcoporum dimiſit, poſtulans eos excommunicari qui manumiſſa petere, vel manumiſſionis plenitudinem imminuere tentarent: quod comprobavit Honorius II. ut videre eſt apud Hildebert. epiſt. 65. & 67. Et in cauſis quæ ſunt fori Eccleſiaſtici, Juriſdictionem ſuam etiam in laïcos minimè præterire debent Epiſcopi; Gregor. libr. 5. ind. 14. epiſt. 43. ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum: *Oportet namque filiis ſacerdotalem vos affectum impendere, & in cauſis, prout ratio ſuffragatur, juriſdictionem Eccleſiæ veſtræ minimè præterire.*

## CAPUT VIII.

*An Novatores Monitoria impetrare possint nomine Procuratoris fisci. An Ordinarius compelli possit à Judice seculari postulantibus Monitoria concedere. An à concessione Monitorii appellandum sit tamquam ab abusu: Profligatur Fevretius & suis telis confficitur.*

EPISCOPUS solus, aut ejus Officialis potest concedere Monitoria ad finem revelandi pro rebus casu deperditis, vel furto subtractis; cap. si Sacerdos, de offic. ordinar. Gloss. & DD. in L. civile. C. de furt. Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 3. Joannes Monach. in cap. 2. num. 33. de Constitut. in 6. Neviranus in Sylv. nupt. verb. monitoriæ. num. 28. Abbates & alii inferiores minimè possunt hujusmodi Monitoria decernere, tamquam minores, quia Monitorium tendit ad excommunicationem quæ est reservata Episcopo; can. corripiantur. 24. qu. 3. cap. cùm non ab homine, de judic. unde dicitur fœlix mucro Episcopi; can. visis 16. qu. 2. Novatoribus non conceditur Monitorium, quia est beneficium Ecclesiæ quod non patet hæreticis: privilegia Ecclesiæ non prosunt hæreticis; L. 1. C. de hæretic. Nov. Justin. 109. cap. 1. Augustin. in Joann. tract. 6. *Leguntur enim leges manifestæ, ubi præceperunt Imperatores eos qui præter Ecclesiæ Catholicæ Communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis authorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere*; can. quo jure. 8. dist. Monitorium etiam non conceditur excommunicatis, quia à Communione Ecclesiæ alieni sunt; Jo. Monachus. in cap. 2. num. 33. de Constitut. in 6. nulla est societas Christo cum Bélial. Verùm an Novatoribus fas sit impetrare Monitoria sub nomine Procuratoris fisci, Fevret. libr. 7. cap. 2. num. 2. & seqq. post Mornacium tradit hoc usu receptum, nec improbat. Sed absit hæreticos sub sacra imagine Principis latere, & irato Numine perfrui: Ecclesiæ auxilio indignus est, qui Ecclesiam oppugnat; can. dispar. 23. qu. 8. Nec procurator fisci qui est vindex Ecclesiasticæ disciplinæ opem suam debet accommodare hæreticis, nè furoris audacia crescat: Procurator fisci est legitimus accusator, non palpator hæreticorum. Olim in Gallia remoto Ithacio ab accusatione Priscilliani, fisci patronum apposuit Maximus; Sulpit. Sever. histor. sacr. libr. 2. *Cæterùm Ithacius videns quàm invidiosum sibi apud Episcopos foret, si accusato etiam postremis rerum capitalium judiciis astitisset,*

*etenim iterari judicium necesse erat, subtrahit se cognitioni frustrà calido jam scelere perfecto: at tum per Maximum accusator apponitur Patricius quidam fisci patronus.* Adde cùm in Galliâ nemini liceat agere vel excipere per Procuratorem, præterquàm Principi maximè in criminalibus; quoniam jure licebit Novatoribus agere per Procuratorem regium? Singulare Religiosorum Mendicantium beneficium est, quòd omnibus abdicatis, etiam defensione sui, non audiuntur in foro nisi per Procuratorem Regium. Quàm fœda rerum confusio, si Hæretici de privilegiis certent cum Ecclesia, & unitatis larvam præferant unitate patroni & defensoris! Novatores non probantur, sed tolerantur propter bonum pacis, certis depactis conditionibus, à quibus nihil amplius eis sperandum est. Non jure igitur per interpositam personam expetunt Monitoria ab Ecclesiastico Judice, quæ per se non essent impetraturi: quod enim directò prohibetur, per indirectum licere non potest; L. scire. §. 1. ff. de tutor. & curator. dat.

An verò Episcopus, vel ejus Officialis compelli possit postulantibus Monitoria concedere, Fevret. eod. cap. num. 9. de Ecclesiasticæ Jurisdictionis internecione ubique ovans & triumphans voluit eum compelli capione pignorum; quod omninò bonis ferendum non est. Cùm enim Monitorii datio tendat ad excommunicationem, quæ infligi non potest nisi causâ cognitâ, & pro graviori delicto; can. nemo Episcoporum. 11. qu. 3. non est cogendus Judex Monitorium mittere, sed res relinquenda est arbitrio & conscientiæ Judicis; alioquin Episcopus cogeretur infligere excommunicationem sine cognitione causæ ad libidinem Judicis secularis, & excommunicatio non esset ampliùs gladius spiritualis, sed potiùs prophanus & servilis: Jurisdictio Ecclesiastica & civilis sunt duæ Jurisdictiones omninò distinctæ; can. duo sunt. 96. dist. una alteri opem & auxilium ferre debet, non ancillari tamquàm vile mancipium. Nec ferendum est quod vult Fevret. libr. 7. cap. 2. num. 13. & 14. Episcopum esse nudum ministrum, & executorem expeditionis Monitorii. Hujus enim concessio non est officium servile Judicis Ecclesiastici, sed actus merè judicialis qui causæ cognitionem desiderat, & liberum animi arbitrium: Et ita rectè definivit Synodus Tridentina. d. cap. 3. Episcopum non posse compelli à quovis Judice seculari Monitoria concedere, sed totum hoc in ejus arbitrio & conscientia positum esse. Episcopus quidem causâ cognitâ tenetur Monitorium postulantibus concedere, si justa ei videatur causa id faciendi; & si deneget, ab eo potest appellari ad Superiorem, id est, ad Metropolitanum, ut optimè docet Joannes Monachus in d. cap. 2. num. 96. Barbos. de offic. & potest. Episcop. allegat. 96. n. 4. Sed nulla hîc subest ratio appellandi tamquàm ab abusu; non sine injuriâ poscitur remedium extraordinarium adversùs Ecclesiam, cùm ordinarium pateat;

fruſtrà poſtulatur à Principe, quod de jure communi obtineri poteſt; L. Imperatores. ff. de reb. auctor. judic. poſſidend.

Quòd etiam ab ipſa conceſſione Monitorii appellari poſſit tamquàm ab abuſu, ita pronunciavit Fevretius eodem loco, & velut rota ſemel impulſa quieſcere nequit, ſemel propoſitam ſibi appellationem tamquàm ab abuſu in omnibus ſibi fingit. Æquior Senatus Toloſanus, ſi fortè Monitorium non ritè & generalibus verbis conceptum ſit, non recipit appellationem tamquàm ab abuſu, ſed aditur per ſimplicem libellum viâ caſſationis, ut loquuntur. Et Fevretius ipſe cùm ait ab expeditione Monitorii tamquàm ab abuſu appellari licere, ſibi contrarius eſt; ſi enim verum eſſet quod non jure tamen dixit, Epiſcopum nudum eſſe miniſtrum & ſubſcriptorem Monitorii, nudum executorem mandati ſeu præcepti Judicis ſecularis, ab eo appellari penitùs fas non eſſet: ab executore non appellatur niſi modum excedat; L. 1. C. quor. appellat. non recipiantur, nec quicquam eſt quod imputetur Epiſcopo qui Monitorium conceſſit, vel potiùs paruit publico Judici cui neceſſitatem parendi habuit, ſi credendum eſt homini nimis ſeculari.

## CAPUT IX.

### *An Epiſcopo liceat mutare modum ſacri Servitii debiti ex pacto, vel contractu inter Plebanum & Parochianos. Impugnatur Fevretius.*

JURE Pontificio Judex Eccleſiaſticus ſi adeatur, ſolet cognoſcere etiam de reſciſſione contractuum adversùs laïcos; cap. conſtitutus, de in integr. reſtitut. cap. cùm te, de re judicat. cap. pen. de reb. Eccleſ. alienand. quia Eccleſia ad ſe confugientes non ſolet repellere; can. 1. & ſeqq. 87. diſt. Aufrer. de poteſt. Eccleſ. ſup. laïcos. n. 55. & hoc eſt quod ait Nicolaus I. in epiſt. ad Carolum Caluum jam à nobis laudata: *Eccleſia refugium quærens, Eccleſiaſticum judicium ſemper expetens, ſubmitti non debet ſeculari judicio.* Tamen jure quo utimur, Judex Eccleſiaſticus non cognoſcit de executione vel reſciſſione Contractuum, quia Contractus muniuntur ſigillo regio, quod Judici regio tribuit Juriſdictionem exequendi & reſcindendi Contractus. Quæſitum eſt an Epiſcopo liceat immutare modum ſacri Officii quo ex Contractu tenebatur erga Parochianos. Fevret. libr. 4. cap. 11. refert judicatum, id Epiſcopo fas non eſſe

absque abusu. Sed si verum & æquum amamus, nihil vetat Episcopum mutare modum Servitii in stipulatum deducti inter Plebanum & Parochianos, triplici ratione. Prior est, quòd omnes Ecclesiæ cujusque Diœcesis sunt in potestate Episcopi; can. omnes Basilicæ 16. qu. 7. & consequenter in his ea omnia quæ pertinent ad divinum Officium, spectant ad dispositionem Episcopi; can. altaria, de consecrat. dist. 1. Secunda est, quòd legatum ad piam causam relictum, si pecunia non sit sufficiens & idonea, vel aliam ob causam voluntas defuncti commodè impleri non possit, ab Episcopo converti potest in aliam piam causam; L. legatum ff. de usufruct. legat. L. si quis ad declinandum. §. sin autem. C. de Episc. & Cleric. Conc. Trident. sess. 22. de reformat. cap. 6. Guid. Pap. qu. 556. Benedict. in cap. Raynut. in verb. reliquit. num. 17. Nihil igitur obstat Episcopo, quin causâ cognitâ possit mutare Servitium seu obsequium debitum ex pacto vel contractu, cùm non prohibeatur mutare id quod debetur ex testamento, quod est magis favorabile propter favorem novissimarum voluntatum. Nihil enim est quod magis hominibus debeatur, quàm ut supremæ voluntatis, postquàm jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium; L. 1. C. de SS. Eccles. L. 4. C. Th. de Episc. & Cleric. Tertia est, quòd etsi Episcopus demutet formam & modum Servitii, non tentat vel rescindit contractum, quia non inspicit onus servitii velut obligationem quæ continetur contractu; sed illud spectat per se seorsim à contractu velut spirituale officium, cujus ipse est naturalis & legitimus arbiter; si onus servitii sit immodicum & nimis grave, contractus non rescinditur, sed onus minuitur vel rejicitur, proinde ac si de eo nihil actum; quę facta enim lędunt pietatem, nec facere nos posse credendum est; L. filius qui ff. de condit. institut. Imò & cognitio de concordia inter Clericos inita super Beneficio Ecclesiastico spectat ad Judicem Ecclesiasticum, & ita judicatum non negat Loët. in litt. C. num. 43. Ratio est, quia ex concordiâ nascitur actio personalis inter Clericos super re spirituali, quæ omnino est fori Ecclesiastici tum ratione rei, tum personarum.

## CAPUT X.

### *An Episcopus cognoscat de Jurejurando & Perjurio. Jusjurandum apponi solebat omnibus Contractibus.*

JURE Pontificio etiam Episcopus cognoscit de Juramento, an licitum sit & obligatorium, & de Perjurio inter laïcos; cap. ea te. cap. intellecto, de jurejurand. cap. licet, eod. tit. in 6. Jo. Chrysostom. in Act. Apostolor. homil. 9. *καταρθώσατε τυτυς τὺς ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ὄρκυς, τυς δὲ μὴ πειθομένυς, πάντας ἐμοὶ ἀγγείλατε. Emendate juramenta forensia, eos autem qui non obtemperant, omnes mihi indicate.* Cognitio jurisjurandi pertinet ad Episcopum propter religionem jurisjurandi, quod totum sacrum, quia præstatur per Deum tactis sacrosanctis Evangeliis, & in Ecclesia; L. generaliter. §. in omnibus. C. de reb. credit. & jurejurand. Inter damnatissima capitula condita ab Henrico II. Rege Anglorum quæ nefandi schismatis causa fuêre, unum fuit inprimis nè Episcopis liceret punire Diœcesanos de perjurio, vel fide læsa; Jo. Sarisber. epist. 159. *Hæc capitula inprimis damnata sunt, quòd non valeat Episcopus coërcere aliquem Parochianorum pro perjurio, vel fide læsa.* Episcopis Normanniæ duritiè temporum intercepta, edicto Richardi I. Regis Anglorum restituta est cognitio juramenti & perjurii; Matth. Paris ad ann. 1190. *Circa dies istos Ecclesia Dei in Normannia de longo servitutis jugo liberata est, gloriosо Rege Richardo annuente, & omnia disponente: inprimis terminatum est & à Rege concessum, &c.* Et paulò post: *Item generaliter omnes de fidei læsione, vel juramenti transgressione quæstiones, in foro Ecclesiastico tractabuntur.* Nec invidiosum esse debet istud jus Episcopale; nam & inter Gentiles Imperator tamquam Pontifex Maximus cognoscebat de viribus jurisjurandi, & jusjurandum remittere solebat; Papirius in L. Imperatores. ff. ad Municipal. *Imperatores Antoninus & Verus rescripserunt gratiam se facere jurisjurandi ei qui juraverat se ordini non interfuturum, & postea Duumvir creatus esset.* Et Tranquill. in Tiberio. cap. 35. *Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam ante repudiaturum juraverat.* Inde pejerasse non videtur cui remissum est jusjurandum à Lege vel Principe; L. ult. ff. qui satisd. cogantur. L. adigere §. ult. ff. de jur. patronat. Et eodem jure utitur Romanus Pontifex; cap. cùm ex injuncto, de nov. oper. nunciat.

Olim tanta erat jurisjurandi religio, ut jusjurandum omnibus Con-

tractibus apponeretur, quo fides contractûs religione jurisjurandi tutior esset; Gregor. Nazianzen. orat. 40. εἰ γὰρ τὰς πρὸς ἀνθρώπους ὁμολογίας ἐμπεδοῖ θεὸς μέσος, ἀβαλπόδεις πόσος ὁ κίνδυνος ἂν πρὸς αὐτὸν ἐξέμεθα τὸν θεὸν οὐ θηκῶν τάχ' ἂν ἀβαβάται εἰσεκεδαι *Nam si ad hominum pacta Deus medius adhibetur, quantum periculum fœderum quæ cum Deo ipso contraximus, transgressores inveniri.* Hac occasione usu evenit, si fides secularibus, ut Episcopi cognoscerent de Contractibus & de feudis propter juramenti vinculum in his interpositum; cap. novit, de judic. Hac de causa vetitum, nè jusjurandum Contractibus apponeretur, neve ulla ejus ratio in judiciis haberetur, nè hoc obtentu secularis Jurisdictio evacuaretur; quoniam jusjurandum non debet esse vinculum iniquitatis; can. inter cætera. 22. qu. 4. cap. quanto, de jurejurand. Benedict. in cap. Raynut. in verb. duas habens filias. num. 1247. Pasquier. libr. 3. cap. 3.

## CAPUT XI.

### *An Episcopus cognoscat de jure Patronatûs inter laïcos.*

JURE Pontificio Episcopus de jure Patronatûs cognoscit etiam inter laïcos, quia licet jus Patronatûs non sit merè spirituale, quatenus potest poslideri & præscribi per laïcos, tamen est adnexum spirituali, & sapit spiritualitatem; cap. quanto, de judic. cap. de jure, de jure Patronat. cap. præterea, de transact. Moribus nostris causa juris Patronatûs spectat ad Judicem laïcum, quia depravato ferè rerum omnium sensu, jus Patronatûs ratione personarum quæ hujusmodi jure utuntur, vel prædiorum quibus cohæret, magis spectatur ut temporale quàm ut spirituale; Covarruv. pract. quæst. cap. 36. Gayll. 1. practic. observ. 38. Jo. Gallus. qu. 327. Aufrer. de potest. secular. regul. 4. fall. 21. Rebuff. in quib. casib. Judex secular. num. 21. Nec ea Ecclesiæ labes peculiaris fuit Galliæ; jam olim enim Ecclesiam Anglicanam infœliciùs pessumdedit, & hæc fuit materia schismatis inter Henricum II. Regem Anglorum & Thomam Cantuariensem Episcopum, quod tandem ejus martyrio cruentatum. Inter capitula enim condita à prædicto Rege in necem libertatum Ecclesiæ unum inprimis fuit, ut causæ juris Patronatûs spectarent ad Judicem laïcum; Matth. Paris ad ann. 1164. *De advocatione & præsentatione Ecclesiarum, si controversia emerserit inter laïcos, vel inter laïcos & Clericos, vel inter Clericos; in curia domini Regis tractetur & terminetur.* Et hoc juris deinceps à Regibus Anglicis tenaciter vindicatum testatur

aſperior epiſtola Eduardi III. ad Clementem VI. Pontificem conquerentis de proviſionibus Pontificiis Beneficiorum Angliæ, quæ paſſim fiebant Italis & peregrinis in fraudem patronorum, quam intexuit Thomas walſingan. in ejus vita ad ann. 1343. *Nam jus Patronatûs, quod nos & fideles noſtri in talibus obtinemus beneficiis, enervatur; curia noſtra in qua dumtaxat cauſæ ſuper jure Patronatûs dictorum Beneficiorum tractari debent, eluditur, & ſic jura Coronæ noſtræ tam probrosè quàm damnosè deperiunt.*

## CAPUT XII.

### *Epiſcopus eſt executor Teſtamentorum & legatorum piorum. An cognitio de feudo eleemoſynæ pertineat ad Epiſcopum. Notatio vocis*, Eleemoſyna. *Legales homines quinam dicantur.*

UTROQUE jure Epiſcopus eſt legitimus executor Teſtamentorum & legatorum piorum, ſi alii executores teſtamento deſignati non ſint, vel ſint in mora exequendæ voluntatis defuncti; L. nulli. C. de Epiſc. & Cleric. cap. nos quidem, de teſtament. quod inſtauratum eſt à Conc. Trident. ſeſſ. 22. de reformat. cap. 8. Nec id jus novum & invidioſum; nam & veteri jure Pontificio ſi teſtator monumentum ſibi fieri juſſiſſet, Principali vel Pontificali autoritate hæredes compellebantur ad obſequium ſupremæ voluntatis; L. hæreditas. §. 1. ff. de petit. hæredit. Pio conſilio Epiſcopis datur executio noviſſimarum voluntatum de piis diſpoſitionibus, nè hæredum negligentiâ caducæ & irritæ jaceant. Alibi tamen Epiſcopus tuitionem teſtamentorum, id eſt, curam exequendi ea ſuſcipere vetatur; Conc. Carthag. IV. can. 18. can. Epiſcopus. 88. diſt. nè à lectione, oratione & prædicatione verbi Dei avocetur. Utroque jure etiam Epiſcopus poteſt mutare legata pia in aliam piam cauſam, ſi voluntas defuncti commodè impleri non poſſit; L. legatum. ff. de uſufr. legat. L. ſi quis ad declinandum. C. de Epiſc. & Cleric. præter alios proximè adductos. Alexander Conſil. 73. vol. 3. Capell. Toloſan. qu. 26.

Lege Anglicâ pariter cognitio feudi vel prædii de eleemoſynâ, id eſt, prædii Eccleſiaſtici pertinet ad Judicem Eccleſiaſticum, ut in capitulis quæ redacta ſunt ab Henrico II. anno 1164. apud Matth. Paris in ejus vita: *Si calumnia emerſerit inter Clericum & laïcum, vel è converſo, de ullo tenemento quod Clericus velit ad eleemoſynam trahere, vel laïcus ad laïcum feudum; per recognitionem duodecim legalium hominum, juxta capitalis Juſticiarii*

*ſticiarii Regis conſiderationem terminabitur, utrum tenementum ſit pertinens ad eleemoſynam, ſive ad laïcum feudum, coram Juſticiario Regis: & ſi recognitum fuerit ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in curia Eccleſiaſtica, &c.* Et in conceſſione Richardi I. facta in gratiam Eccleſiæ Rothomagenſis & aliarum Normanniæ, anno 1190. apud eundem Matth. Paris: *Item nulla fiet recognitio in foro ſeculari, ſi chartâ vel alio modo eleemoſynatam eſſe poſſeſſionem viri Eccleſiaſtici probare poterunt, ſed ad Eccleſiaſticos Judices remittuntur.* Eleemoſynata poſſeſſio dicitur hîc quæ conceſſa eſt Eccleſiæ, eleemoſynæ titulo: ſic vocat ea ætas quamcumque oblationem quæ fit Eccleſiæ, ut denarium S. Petri, quod fuit vectigal ab Ina & Offa Regibus Anglorum in ſingula tecta impoſitum, in gratiam Eccleſiæ Romanæ; Roger. Hoveden. ad ann. 886. *Hoc anno Ethoes Comes Vviltunenſium eleemoſynam Regis Elfredi detulit Romam:* & eleemoſynam pro aratris, in epiſt. Canuti Regis Angliæ apud Ingulphum in Chronic. Croyland. & apud Vvillelm. Malmeſb. 2. de geſt. Reg. Anglor. cap. 11. *Omnia debita quæ ſecundùm legem antiquam debemus, ſint perſoluta, ſcilicet eleemoſyna pro aratris.* Et Synod. Vernenſ. can. 23. *Eccleſiarum cauſas audiant & definiant in eleemoſyna domini Regis.* Vvillelm. Tyrius libr. 9. cap. 8. de Godefrido Bullionio: *Caſtrum unde ei cognomen erat, Bullionem Eccleſiæ Leodienſi in perpetuam eleemoſynam conceſſit habendum.* Robert. Mont. in ſuppl. Sigebert. ad ann. 1176. *Promovit chartam & ſigillum omnium eleemoſynarum Eccleſiæ.* Recognitio an feudum ſeu prædium ſit de eleemoſynâ, id eſt, quæſtio facti an prædium ſit Eccleſiaſticum, traditur hominibus legalibus. Legales homines ſunt viri probi & idonei æſtimatores rerum; Hoveden. in Richardo I. *Idem verò qui electi fuerant & conſtituti ad hoc negotium Regis faciendum, ſtatuerunt per æſtimationem legalium hominum uniuſcujuſque carrucæ Vvannagium centum acras terræ.* Idem Guillelm. Neubrigenſ. libr. 5. cap. 1. *Hi ſunt qui in foro dicuntur probi & legales homines*; vulgò, *Preud'hommes.* Sed ubi ſemel compertum eſt per legales homines prædium eſſe de eleemoſyna, non negatum cognitionem hujuſmodi prædii pertinere ad Eccleſiaſticum Judicem, propter meritum piæ cauſæ. Multò iniquiùs cum Eccleſia agitur moribus noſtris, quibus cognitio legatorum ad piam cauſam adversùs laïcos eſt fori ſecularis, & ſi laïcus legati pii nomine conveniatur apud Judicem Eccleſiaſticum, appellatur tamquam ab abuſu; de quo Jo. Gall. qu. 9. 26. 212. Aufrer. in deciſ. Capell. Toloſ. qu. 214. Rebuff. in quib. caſib. Jud. ſecular. Tiraquell. 15. privileg. piæ cauſæ. Chopin. de ſacra polit. libr. 2. cap. 5. num. 18.

## CAPUT XIII.

### *An Episcopus cognoscat de re Funeraria. Legum antiquarum emendatio.*

COGNITIO de Funeribus, monumentis & mortuariis pertinet ad Judicem Ecclesiasticum; Panormitan. & alii in cap. quanto, de Judic. Rebuff. in quib. casib. Judex secular. num. 6. Duar. de sacr. Eccles. minister. libr. 7. cap. 6. multis argumentis. Primum est, quòd sepulchra sunt loca religiosa, & illatione mortui locus fit religiosus; L. 2. ff. de religios. imò sepulchra sunt quid sacrum, terra enim humando mortuos sacros facit; Plin. libr. 2. cap. 63. de Terra: *Novissimè complexa gremio jam à reliquâ naturâ abdicatos, tum maximè ut mater operiens, nullo magis Sacramento quàm quo nos quoque sacros facit.* Secundum est, quòd monumentorum extruendorum vel reficiendorum cura spectat ad cognitionem Pontificum, quia ad religionis causam pertinet: unde si testator monumentum sibi fieri jusserit, hæredes Principali vel Pontificali autoritate compelluntur ad obsequium supremæ voluntatis; L. hæreditas. §. 1. ff. de petit. hæredit. & si monumentum refectione indigeat, non potest deponi reficiendi causâ sine decreto Pontificum; L. 2. C. Th. de sepulchr. violat. nè religio quæ jam occupavit locum, violetur: & hoc est quod eleganter dictum est in L. ult. ff. de mort. inferend. si religiosus locus jam factus sit, Pontifices explorare debere, quatenus salvâ religione desiderio reficiendi operis medendum sit. Et pariter ossa seu reliquiæ defunctorum non possunt transferri sine decreto Pontificum, seu jussu Principis; L. ossa. ff. de religios. L. 3. §. non perpetuæ, de sepulchr. violat. quò spectat veteris monumenti inscriptio quæ legitur apud Joseph. Scaliger. Ausonianar. lection. libr. 1. cap. 12. *Reliquiæ trajectæ ex permissu collegii Pontificum piaculo facto.* Commodi cadaver jam sepultum erui jussit Cingius Severus Pontifex non sine collegio Pontificum; Lamprid. in Commodo: *Cingius Severus dixit, Injustè sepultus est: quia Pontifex dico, hoc collegium Pontificum dicit.* Si hæc inter Gentiles, non deterior debet esse sacerdotii ratio inter Christianos, quibus verum Numen, verum & proprium habet Sacerdotem. Tertium est, quòd sepultura est quid spirituale, & dignum Sacerdotum curâ & religione: ideò pro sepulturâ nè quicquam exigatur, vetatur, salvis piis consuetudinibus; cap. abolendæ, de sepultur. cap ad Apostolicam, de Simon. & quarta funerum debetur Ecclesiæ parœciali

tamquam jus canonicum : & hoc est quod intelligitur per hujusmodi clausulam, salvâ justitiâ Ecclesiarum ; cap. certificari, de sepultur. can. quicumque. 16. qu. 7. & hoc jure moris fuit Episcopos in lustranda Diœcesi cognoscere de sepulturis. Hugo Dunelmensis Episcopus cùm peragrans Diœcesim in quopiam Monasterio observasset tumulum pallio serico velatum, lampadibus & facibus accensis illustrem, & audisset esse tumulum Rosimundæ quæ fuerat concubina Henrici II. Regis Anglorum, dejici jussit, & extra Ecclesiam locari ; Roger. Hoveden. in Richardo I. ad ann. 1191. *Eodem anno Hugo Lincolniensis Episcopus faciens visitationes suas per domos Ecclesiarum religiosarum in sua Diœcesi, venit ad Abbatiam Sanctimonialium de Godestone, quæ est inter Oxoniam & Wodestoc ; & cùm intrasset Ecclesiam ut oraret, vidit tumbam in medio ante altare sericu pannu velatam, & lampadibus & cereis circumdatam, & quæsivit cujus esset tumba ; & dictum est ei illam esse tumbam Rosamundæ quæ quondam extiterat amica Henrici Regis Angliæ filii Mathildis Imperatricis, & quòd ipse pro amore illius multa bona Ecclesiæ illi fecerat : & respondit Episcopus, Tollite eam hinc, quia scortum fuit, & sepelite eam extra Ecclesiam cum cæteris, nè Christiana religio vilescat, &c.*

Media sententia actionem funerariam esse mixti fori, & in ea locum esse præventioni. Sed proh dolor ! hujusmodi actio omnino transiit ad forum civile, ex quo Constitutione regiâ anni 1539. Judici Ecclesiastico adempta est cognitio de actionibus personalibus laïcorum nisi in merè spiritualibus, hac ratione quòd actio funeraria est actio personalis, cùm nascatur ex tacito contractu qui cum defuncto initus intelligitur ; L. 1. ff. de religios. Olim inter Gentiles rei funerariæ cognitio fuit penès Pontifices & Principem, quòd ipse Pontificem Maximum se gereret : non alio titulo Princeps funerum cognitionem sibi communem fecit cum Pontificibus, quàm quia Pontificatûs apex eâ tempestate principatui conjunctus erat. Hodie Sacerdotio ab Imperio sejuncto, quo jure Magistratus civiles qui vices Principis gerunt, ea quæ sunt Sacerdotii retinere & usurpare non dubitarunt ? Unicus titulus hujusce juris nova Constitutio anni 1539. Paulò ante eam aliter judicavit juris antiqui tenacior Senatus Parisiensis anno 1528. die 4. Martii, laïcos à parocho conveniendos pro justis funerum quæ præstarentur ex laudabili consuetudine : testem habemus Rebuffum loco supra laudato. Unde igitur tam repentina facta sit mutatio & conversio rerum, non video. Leges quæ pertinent ad religionem & Ecclesiam, æternas & immutabiles esse oportet, cùm habeant causam æternam & immutabilem : harum semper viridis est observantia, ut eleganter dicitur in L. 5. C. de Hæretic.

Placeat igitur Christianissimo Regi Ludovico Theodato, duriori

Constitutioni modum imponere, & jura antiqua, quibus Ecclesia cum regno fœliciter tot seculis coaluit, restituere. Placeat tanto Principi legem temperare, quam haud dubiè emendaturus fuisset, nisi durities seculi & secularium malignitas obstitisset. Non erubescenda Principi legum correctio, quin imò digna Principe rerum omnium in melius restitutio. Nonnè Imperatores tot leges antiquas experimentis edocti, suis Constitutionibus abrogarunt vel emendarunt? Hoc argumento Imperatores ad tollendas nequissimas Leges adversùs Christianos promulgatas provocat Tertullian. Apologetic. cap. 4. *Nonnè & vos quotidiè experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & squalentem sylvam legum novis principalium rescriptorum & edictorum securibus rustatis & cæditis? Nonnè vanissimas Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quàm Juliæ matrimonium contrahi, post tantæ autoritatis senectutem, heri Severus constantissimus Principum excluſit &c?*

## CAPUT XIV.

### *Episcopi habent censoriæ Jurisdictionis imaginem in Magistratum. Magistratibus cur denegaretur communio Ecclesiastica, priusquàm litteras communicatorias accepissent ab Episcopo.*

JURISDICTIO Ecclesiastica & civilis sunt omninò distinctæ & segreges; can. duo sunt. 96. Utriusque fori Judices suis terminis contenti esse debent, ita ut unus in alterius fines non irruat; can. Ecclesias. 13. qu. 1. Hac juris œconomiâ Judex Ecclesiasticus non habet Jurisdictionem in laïcos in rebus civilibus: si tamen Præses vel Rector Provinciæ negligat jus dicere Provincialibus, licet eis adire Episcopum; Nov. Justin. 86. cap. 1. Et Constitutionibus Pontificiis, cessante Judice seculari ob ejus moram & negligentiam lis transfertur ad Episcopum, & quasi jure devoluto laïcis apud eum agere, vel conveniri licet; cap. ex transmissa. cap. licet. cap. ex tenore, de foro competent. can. administratores. 23. qu. 5. E converso Clerici in causis pecuniariis priùs conveniuntur apud Episcopum, sed eo nequeunte propter occupationes sacras vel nolente judicare, lis transit ad Judicem civilem; Nov. Justin. 83. cap. 1. quam Gratianus non omisit in can. si quis cum Clerico. 11. qu. 2. Aliter tamen jure Pontificio Clericis à suo Judice ob defectum justitiæ non licet migrare ad Judicem secularem;

cap. qualiter, de Judic. Episcopis etiam fuit penè censoria Jurisdictio in Magistratus, & jus eos monendi & corripiendi; & si moniti ad meliorem frugem non redirent, fas fuit eos denunciandi Principi & excommunicandi; Synod. Tolet. III. can. 18. *Sint enim prospectores Episcopi secundùm regiam admonitionem, qualiter Judices cum populis agant, ut ipsos præmonitos corrigant, aut insolentias eorum; Principum auribus innotescant. Quòd si correptos emendare nequiverint, & ab Ecclesia, & à Communione suspendant.* Et Synod. Tolet. IV. can. 31. *Episcopi in protegendis populis ac defendendis, impositam à Deo sibi curam non ambigant. Ideoque dum conspiciunt Judices ac Potentes, pauperum oppressores existere, priùs eos sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendari, eorum insolentiam Regis auribus intiment, ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coërceat.*

Quanta & magisteria penè fuerit potestas Episcoporum in Magistratus etiam majores, his argumentis intelliges, quòd Præsides initio administrationis jurabant apud Episcopum quòd pecuniam suffragii nomine non dedissent, & accepto successore compellebantur quinquaginta dies morari in Provincia, ut omnes conventiones & querelas Provincialium exciperent præsente Episcopo, & causam summariè sine scripto examinante; Nov. Justin. 8. cap. 9. & 14. Imò & melioribus seculis, Magistratibus qui cum jure gladii essent propter exercitionem capitalium judiciorum denegabatur communio Ecclesiastica, priusquàm accepissent litteras communicatorias ab Episcopis; Synod. Arelatens. I. can. 7. *De Præsidibus qui fideles ad Præsidatum prosiliunt, placuit ut cùm promoti fuerint, litteras accipiant Ecclesiasticas communicatorias; ita tamen ut in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis agatur, & cùm cœperint contra disciplinam agere, tunc demum à communione excludantur.* Magistratibus non denegabatur communio, nè impunita manerent crimina, sed eis non patebat sine indulgentia, id est, sine litteris communicatoriis Episcopi; Ambros. epist. 59. ad Studium: *Ideò majores maluerunt indulgentiores esse circa Judices, ut dum gladius eorum timeretur, reprimeretur scelerum furor, & non incitaretur: quòd si negaretur communio, videretur criminosorum vindicata pœna. Maluerunt igitur priores nostri, ut id in voluntate magis abstinentis, quàm in necessitate sit legis.*

## CAPUT XV.

### *Episcopi passim electi Arbitri litium inter laïcos. Consensus exterorum Principum in judicium Gallicanæ Ecclesiæ.*

TANTA fuit reverentia Fidelium, & consensio animorum in Episcopos tamquam Patres & Pastores spirituales, ut passim omissis Judicibus civilibus, Episcopos communi consensu de rebus etiam prophanis in arbitros eligerent absque invidia Judicum. In lite vindiciarum de lacu inter duos fratres arbiter sumptus Gregorius Thaumaturgus Neocæsariensis Episcopus, judicandi causâ in rem præsentem venit, ut moris erat in judicio vindicationis; Gregor. Nyssenus in ejus vita: γενέσθαι ἂν τῆς δίκης κύριος ὁ διδάσκαλος, καὶ κατὰ τὸν τύπον τοῖς ἰδίοις αὐτοῦ νόμοις ἐκέχρητο πρὸς τὸν δήσιταν. *Litis fit dominus magister, qui cùm ad locum de quo controversia erat venisset, suis ipsius legibus utebatur ad judicium, nempè suasoriis verbis reconciliationis.* Derelicto Judice civili arbiter electus Ambrosius Episcopus inter Marcellum Episcopum & ejus sororem; testem habemus ipsum Ambrosium epist. 25. *Nam cùm ipse arguerem quòd adhuc inter vos maneret veternosum jurgium, cognoscendi mihi necessitatem partes imposuerunt. Erubui recusare, fateor, cùm præsertim togati utriusque partis invicem se lacesserent, dicentes ut meo sub examine liqueret, cui parti majora juris vel justitiæ suffragia forent. Quid plura? Cùm jam concluſi essent dies, & paucarum horarum superesset spatium, quibus tamen alia audiret Præfectus negotia; petierunt causæ patroni prorogari paucorum dierum tempora, ut ego residerem cognitor. Tantus ardor erat Christianis viris, nè Præfectus de Episcopi judicaret negotio.* Et paulò post: *Recepi cognitionem, ita tamen ut compositionis essem arbiter.* Vix adiri potuisse Ambrosium ob districtionem causarum, dolet Augustin. L. 6. Confess. cap. 3. *Discedebamus, & conjectabamus eum parvo ipso tempore, quod reparandæ menti suæ nanciscebatur, feriatum ab strepitu causarum alienarum, nolle in aliud avocari.* Quid? ipse Augustinus cognitione litium inter laïcos se fatigari queritur non uno loco; ut libr. de opere Monachor. cap. 29. *Multò mallem per singulos dies certis horis, quantum in benè moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de divinis litteris agendum liberas, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis secularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis: quibus nos molestiis idem*

*affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus qui per eum loquebatur, arbitrio.* Idem signat & ipse de verb. Apostoli Sermon. 24. *Fratres mei, in causis & in negotiis vestris, quando ad nos judicanda veniunt, si homini Christiano dico, ut pro tempore redimendo perdat aliquid suum; quantò majore curâ & fiduciâ debeo dicere ut reddat alienum?* De Augustino idem testificatur Possidius in ejus vita cap. 19. *Interpellatus ergo Beatus Augustinus à Christianis, vel à cujusque sectæ hominibus, causas audiebat diligenter ac piè; & eas aliquandò usque ad horam refectionis, aliquandò autem totâ die jejunans, semper tamen noscebat & dirimebat, &c.*

Ab aliis Episcopis idem judicandi officium susceptum indicat & Augustin. de Doctrinâ Christianâ libr. 4. cap. 18. *Sanè si moneremus homines, quemadmodum ipsa negotia secularia vel pro se, vel pro suis apud Ecclesiasticos judices agere deberent, rectè admoneremus ut agerent tamquam parva submissè.* Se ægrotare, & causarum mole opprimi queritur & Gregor. Nazianzenus epist. 88. ἐμὲ γὰρ ἡ νόσος κατέχει καὶ πλέον τοῖς πράγμασι συνδεδεμένον. *Nam me morbus detinet, & magis negotiis afflictatum.* Litibus inter laïcos judicandis magnam autoritatem quæsiisse memoratur Cyrillus Episcopus Alexandrinus, ita ut Orestis Præfecti Ægypti livorem & odium hac de causâ in se moverit, quòd illi videretur multa quæ essent suæ Jurisdictionis ad se pertrahere; de quo Socrat. libr. 7. cap. 13. & Nicephor. libr. 14. cap. 14. Quid? & ipse Gregorius I. Summus Pontifex totius Ecclesiæ curis implicitus, non defiit etiam inter laïcos arbitri officio fungi, & litibus componendis operam dare, nè rixis & altercationibus privatorum pax Reipublicæ & Ecclesiæ dissolveretur; de quo ipse sub initio Pontificatûs libr. 1. epist. 5. *Sub colore Episcopatûs*, inquit, *ad seculum sum reductus. Undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor.* Iisdem studiis Galliarum Episcopi inter Clericos vel laïcos etiam de rebus temporalibus arbitrorum munus non respuêre. Inter Beccensem Abbatem & Molismenses Monachos arbitrium de spolio suscepit Ivo Carnotensis Episcopus; Auctor mihi est ipse epist. 9. *Sed Abbas Beccensis cognoscens & erubescens inordinatam spoliationem factam Molismensibus à quibusdam Neophytis monachis suis, multùm me rogavit, ut vel pacem inter eos componerem, vel justè inter eos decernerem.*

Quanti fuerit in animis omnium judicium Ecclesiæ Gallicanæ, vel hoc argumento intelliges, quòd in ea quæstione quæ orta est inter Henricum II. Regem Anglorum, & Thomam Cantuariensem Episcopum, Regem paratum fuisse se subjicere judicio Ecclesiæ Gallicanæ tradit Matth. Paris ad ann. 1169. *Rex autem Anglorum coram Rege Francorum, ut asserebat, Archiepiscopo satisfacere paratus erat, vel si contendere vellet, judicium in Palatio Parisiensi subire, Gallicanâ Ecclesiâ ponente partes suas,*

*ſeu Scholaribus diverſarum Provinciarum æquâ lance negotium examinantibus.* Jure Cæſareo & Pontificio obveniente Sacerdotio arbiter ſumptus non cogitur quidem ſententiam dicere, nè à ſacris avocetur ; L. non diſtinguemus. §. Sacerdotio. ff. de recept. arbitris. cap. præſentata, de teſtib. Et Conſtitut. Juſtiniani Epiſcopis certè adempta eſt ordinaria Juriſdictio inter laïcos in rebus civilibus, verùm arbitraria eis non denegatur inter volentes ; L. ſancimus. §. vos autem. C. de Epiſc. & Cleric. & Valentiniani Novella de Epiſcopali judicio, ſublatâ Epiſcopis omni Juriſdictione ordinariâ inter Clericos vel laïcos, arbitrariam inter volentes non attigit.



# DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA TUENDA ADVERSUS INSULTUS

Auctoris tractatûs de Abusu, & aliorum.

## LIBER SEPTIMUS.

### CAPUT PRIMUM.

*Ordo & processus judiciorum Ecclesiasticorum. In his solemnia juris remittuntur.*

EX his quæ superioribus libris dicta sunt, facilè intelleximus quænam esset vis & potestas Jurisdictionis Ecclesiasticæ, tam in laïcos quàm in Clericos: nunc animum subit non intempestivum consilium explorandi quem servari oporteat ordinem & processum, ut vocant, in judiciis Ecclesiasticis. Forensium certè sententia est Judicem Ecclesiasticum teneri in ordinatione seu in instructione litium, servare stylum & usum fori civilis; quos inter Aufrerius de potest. secular. regul. 2. in fin. Imbert. in Enchiridio in verb. executor citationis. Horum sententiam totis viribus tuetur Fevret. libr. 1. cap. 7. num. 3. & 4. & ut eam vindicet, nititur probare Ecclesiam usam esse formulis & solemnibus judiciorum publicorum in causis Ecclesiasticis: sed in eo valdè laborat, nè dicam eum

deficere. Quod enim profert ex cap. 1. de nov. oper. nunciat. & aliis hujusmodi locis lites Ecclesiasticas ordinari solitas fuisse secundùm Leges & Canones, non probat intentionem ipsius: facile enim fieri potest, ut causæ Ecclesiasticæ ordinentur secundum leges quatenus congruunt canonicis institutis; quandoquidem sicut Leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum Statuta Canonum constitutionibus Principum adjuvantur, ex dict. cap. 1. & cap. Clerici, de judic. Sed in multis valdè discrepans fuit ratio judicii Ecclesiastici à forensi, quod pace magni viri dixerim. In foro sententiæ non ferebantur nisi ex scripto: at judicia Ecclesiastica tractabantur sine scriptura, summariè causâ cognitâ; Nov. Justin. 83. can. si quis. 11. qu. 1. A sententiis Judicum provocatio erat per libellum: à sententiis verò Judicum Ecclesiasticorum appellabatur sine libello appellatorio, nudo verbo. Novum ac insolens visum, quòd Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in Concilio Seleuciensi depositus, per libellum contra Canones appellasset ad majorem Judicem; Socrat. libr. 2. cap. 32. τοῦτο μὲν οὖν, μόνος καὶ πρῶτος παρὰ τὸν τῆς ἐκκλησιαστικῶν κανόνι κύκλος ἐποίησεν, ἐκκλητὸν ὡς ἐν δημοσίῳ δικαστηρίῳ χρησάμενος. *Solus & primus contra canonis Ecclesiastici consuetudinem id fecit Cyrillus libellis appellatoriis usus, proinde ac in publico judicio.* Quod minùs advertens Pontifex in can. Synodum. 17. dist. *Nam si*, inquit, *seculares in publicis judiciis libellis utuntur appellatoriis, quanto magis Sacerdotibus hæc eadem agere licet, qui super illos sunt.* Quàm aliena fuerint judicia Ecclesiastica à forensibus solemnitatibus, satis insinuat quod ait Emeritus unus ex Episcopis Donatistarum in collat. 1. Carthagine habita, cap. 20. *Quòd si prætermissis istis secundùm forenses fasces, jactantiamque illius controversiæ quam tribunalia sibi vindicant, semper legalis nobis ritus ac sermo servandus est; judica vir sublimis in negotio christiano, quia huic causæ judicat Deus qui & nostra merita, & veri judicis sententiam æquâ ponderans librâ, nè immergat attendit.* Et idem Emeritus rursus in eadem collatione cap. 31. *Causæ præscriptio est Judicis sermo; servari forensem usum, consuetudinemque jurgandi inter Episcopos non oportere, nutare illam versutiam legum, jurisque controversiam, ubi de fidei statu, & de totius sanctitatis disceptatione tractatur.* Et Petilianus unus è parte Donatistarum in eadem collatione cap. 53. *Sine præjudicio nostro legat, salvo eo quia hæc causatio forensis est non legalis, nam uti mandato his formulis præsumere, non est Ecclesiasticæ consuetudinis, sed forensis ludi, atque certaminis.* Et licet de jure civili litis instantia perimatur cessatione & silentio triennii; L. properandum. C. de judic. Jure Pontificio in causis Ecclesiasticis litis non habet tempus limitatum; cap. venerabilis, de judic. Marcus. qu. 418. tom. 1. quâ de causâ præscriptionem triennii quæ objiciebatur in causâ Donatistarum ridet Au-

guſtinus quaſi alienam libr. contra Donatiſt. poſt collat. cap. 12. *Et adhuc utique dies erat, quando nobis forenſi more de tempore præſcribebant, dicentes cauſam lapſam eſſe, & agi jam omnino non poſſe.* Et idem cap. 23. ejuſd. libr. *Quanti emere debuimus, ut more forenſium advocatorum de temporibus & diebus, de perſonis etiam nobis præſcribere conarentur.* Et hoc eſt quod innuit Marcellinus Comes, qui interfuit collationi ex mandato Honorii Imperat. cùm ait cap. 30. ejuſd. collat. 1. *Unde de tempore, quoniam magis forenſis eſt, quàm Epiſcopalis obectio.* Eodem jure in cauſis de Eccleſiis, decimis & aliis ſpiritualibus remittitur jusjurandum de calumniâ; cap. litteras, de jurament. calumn. can. ſi quis Preſbyter. 2. qu. 5. & in negotio Eccleſiaſtico ſi reus dolo fecerit, quominùs actor mitteretur in poſſeſſionem rei ſervandæ causâ, & ſub finem anni offerat cautionem Judici ſiſti, non tenetur interdicto, nè vis fiat ei qui in poſſeſſionem, quia in Eccleſiaſticis perſonis & negotiis, rigor & diſtrictio juris non requiritur; cap. 1. de dol. & contumac. Et licet jure civili interdictum unde vi detur tantùm contra eum qui vi dejecit; tamen jure Pontificio datur non modò adversùs ſpoliatorem, ſed etiam adversùs tertium poſſeſſorem, quia ſpoliatori quaſi ſuccedit in vitium; cap. ſæpe, de reſtit. ſpoliat. cap. quia, de judiciis. cap. bonæ memoriæ, de appellat. Et in cauſis matrimonialibus quæ ſunt fori Epiſcopalis, teſtes recipiuntur ante litem conteſtatam ob contumaciam rei, quia in his rigor juris uſquequaque non ſervatur; cap. ad hæc, ut lit. non conteſtat.. Et in cauſis Eccleſiaſticis remittuntur omnia ſolemnia juris, nec eſt inquirendum ſubtiliter cujuſmodi actio intentetur, ſed purè & ſimpliciter factum ipſum & rei veritas ſecundum formam Canonum, & inſtituta ſanctorum Patrum inveſtiganda ſunt; cap dilecti, de judic. Item in foro Eccleſiaſtico reconventio locum habet, ut breviùs lites terminentur, id eſt, reus conventus ſi viciſſim velit agere, poteſt reconvenire actorem coram eodem Judice; cap. 1. & 2. de mutuis petit. quod neſciunt tribunalia forenſia. Et licet jure civili Judex non poſſit in eadem cauſa fungi officio arbitri; L. non diſtinguemus. §. quæſitum. ff. de recept. arbitr. tamen in cauſis Eccleſiaſticis Judex ſuadetur concordiâ vel judicio lites componere; d. cap. 1. de mut. petit. cap. querelam, de Simon. can. ſi primates. 5. qu. 2. Denique cauſæ Clericorum ſecundùm Canones diſceptandæ ſunt, non ſecundùm Leges; cap. quòd Clerici, de foro compet. ubi Celeſtinus III. conſtituit Clericos Pariſiis commorantes ſtudiorum causâ, id eſt, Scholares qui Clericorum appellatione continentur, & gaudent privilegio fori Epiſcopalis, juxta auth. habita. C. nè filius pro patre; ſi quas cauſas pecuniarias habuerint agendo, vel defendendo, ipſas ab Epiſcopo jure canonico decidi. Nec Conſtitutio Pontificia tamquam prorsùs aliena à jure noſtro explodenda eſt, uti

placet Fevretio : nam & paucis post annis, anno scilicet 1200. idem juris constitutum à Philippo Augusto, in causis Scholarium Parisiensium; Roger. Hoveden. in Joanne : *De cætero nullus Clericus trahatur ad seculare examen propter aliquod delictum quod fecerit; sed si Clericus deliquerit, tradatur Episcopo, & secundùm judicium Cleri tractetur.* Et quod hodiè volunt Judicem Ecclesiasticum teneri in ordinatione litium legibus & formulis fori secularis, magis ex præsumptione Judicum, quàm è jure proficiscitur. Nonnè quælibet curia habet proprium stylum & consuetudinem, & stylus & consuetudo cujusque fori spectatur ; L. 3. §. lege Juliâ. ff. de testib. L. si fundus, de evict. cap. consuluit, de offic. delegat? Quæ igitur, amabo, invidia forum Ecclesiasticum, id est, tribunal Dei & Ecclesiæ habere suas leges & consuetudines, dummodò non derogent honestati publicæ & justitiæ? Nonnè incongruam formulam judicandi Sacerdotibus, imponi à laïcis ait Ambros. epist. 64. *Ergo judicandi accepisti formulam, quales illi qui volunt præscribere Sacerdotibus, quod sequi debeamus?* Multa haud diffiteor fuêre communia foro Ecclesiastico cum seculari, ut nè quis sine accusatore damnetur, vel absens per contumaciam, nisi tribus edictis citatus: & his argumentis se absentem & indefensum, non legitimè citatum, damnatum querebatur Athanasius. Nec enim constitui potest judicium sine citatione & defensionis copiâ ; sed de cætero multa sunt specialia in praxi fori Ecclesiastici quæ non conveniunt foro seculari, propter distinctionem personarum & rerum quæ ibi tractantur. Jurisdictio Ecclesiastica & civilis sunt omninò distinctæ : non incivile est unamquamque suo stylo & consuetudine regi. Quâ fide, quo auctore ait Fevretius, Pontifices solemnibus publicorum judiciorum usos in judiciis Vestalium? Nullo auctore, nullo teste, imò & contra fidem veterum. Vestalibus graves pœnæ constitutæ, quarum arbitri & exactores ex lege fuêre Pontifices : sed extraordinarium de his fuit judicium, ob levius enim delictum virgis cæsæ per ipsos Pontifices, ob stuprum seu incestum vivæ funebri pompâ elatæ, & humo defossæ, ex Dionys. Halicarnasseo libr. 2. Livio, Plinio, & Zonar. Quid commune fuit pœnæ Vestalium, cùm aliis publicis judiciis? Nihil omninò. Et certè tanta fuit autoritas Pontificis Maximi, ut cæteri Magistratus ei fasces submitterent.

## CAPUT II.

### *Causæ Ecclesiasticæ judicandæ secundùm Canones; his deficientibus juxta Legem Romanam.*

DE causis Ecclesiasticis Judex Pontificius debet judicare secundùm Canones, non secundùm Leges vel consuetudines locorum; cap. quod Clericis, de foro competent. quia Jurisdictio Ecclesiastica est omninò distincta à civili; can. duo sunt. 96. dist. utraque suas leges habet, & formulas. Ecclesia Christi sanguine redempta, Lege Evangelicâ manumissâ, non adstringitur mundanis legibus; can. inter 33. qu. 2. Constitutiones laïcorum non ligant Ecclesiam, quos obsequendi manet necessitas, non autoritas imperandi; can. benè. 96. dist. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Constitut. & Capitul. libr. 6. cap. 294. Et quod dicitur, causas Ecclesiasticas terminari oportere secundùm Leges & Canones; cap. 1. de novi oper. nuntiat. & violatores emunitatis Ecclesiasticæ puniendos esse secundùm Canones, & sæculi leges; can. cùm devotissimam. 12. qu. 2. civiliter accipiendum est ubi leges coëunt cum Canonibus, quia sicut leges non dedignantur Canones imitari, ita & Canones Principum Constitutionibus adjuvantur; d. cap. 1. cap. Clerici, de judic. cap. ult. de secund. nupt. quod sumptum est ex L. sacris. C. de Episcop. & Cleric. & Nov. Justin. 63. cap 1. Ita accipe quod Gregorius ad Chilpericum in causa Prætextati, teste ipso libr. 5. cap. 18. *Habes legem & Canones, hæc te diligenter rimari oportet.* Et mox: *Tu verò qui alios de justitia culpas, pollicere priùs quòd legem & Canones non omittas.* Et ita leges allegatas in causa Aquicinctensis Monasterii contra Turonenses Canonicos apud Metropolitanum Rhemensem velim accipias in vita D. Gosvini libr. 2. cap. 12. *Super quibus cùm fuisset utrinque sæpiùs decertatum, tandem ad Rhemensem audientiam res perlata, ubi Monachis legum ignaris & Abbati reverendo legum periti Turonenses occurrerunt.* Alias in foro Ecclesiastico Leges non audiuntur, si pugnent Canones, vel ubi præstò sunt Canones; Nicolaus I. epist. 32. ad Episcopos Galliarum apud Convicinum congregatos; can. lege. 10. dist. *Lege Imperatorum non in omnibus Ecclesiasticis controversiis utendum est, præsertim cùm inveniatur Evangelicæ, ac canonicæ Sanctioni aliquoties obviare: lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus. Imperiali judicio non possunt Ecclesiastica jura dissolvi.* Episcopos non aliter damnandos quàm secundùm Canones, probatur etiam judicio

& confessione nostrorum Regum, ut in judicio Prætextati Rothomagensis Episcopi, poscentibus Episcopis juratus annuit Chilpericus Rex ut judicaretur secundùm Canones. Et cùm præter fidem deposceret ut pœnis non canonicis puniretur, fortiter ei restitit Gregorius Turonensis Episcopus qui Concilio aderat: testem ipsum habemus libr. 5. cap. 19. *His ita gestis petiit Rex, ut aut tunica ejus scinderetur, aut centesimus octavus Psalmus qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput ejus recitaretur, aut certè judicium contra eum scriberetur, nè in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego restiti, juxta promissum Regis, ut nihil extra Canones gereretur.* Imò & ibidem suggillatur Chilpericus, quòd Sacramenti minùs memor ad Episcopos misit codicem Canonum, cui adjectus erat novus quaternio continens varios Canones quasi Apostolicos, qui de industriâ consuti erant, ut ex his jus diceretur in Prætextatum: *Ipse verò ad metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quasi Apostolicos continentes hæc: Episcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehensus à Sacerdotio divellatur.* Hinc & Clericis in jure conventis dantur induciæ secundùm Canones, non noctes, id est, dilationes quæ numerantur per noctes secundùm consuetudinem laïcorum; Goffrid. Vindocinens. libr. 2. cap. 27. *In hoc tamen non noctes secundùm consuetudines laïcorum, secundùm Instituta Canonum inducias postulamus.* Clericis conventis dantur induciæ, quia erant laxiores, longiùs tempus dabatur Clericis ad respondendum; can. 1. can. induciæ. 1. & 2. 3. qu. 3. cap. 1. de dilat. Deficiente Canone causæ de rebus Ecclesiasticis deciduntur Lege Romanâ potiùs quàm Salicâ, id est consuetudine Francicâ, quia lex Romana est magis amica & indulgentior Ecclesiæ; Adrevald. Floriacens. libr. 1. de miracul. S. Benedict. cap. 26. *Sed cùm litem in eo placito finire nequirent, eò quòd Salicæ legis judices, Ecclesiasticas res sub Romanâ constitutas lege discernere perfectè non possent.* Hoc jure percussores Leonis III. à Carolo Magno ut rei majestatis secundùm legem Romanam capite damnati; Ademar in vita Caroli: *Post paucos autem dies jussit eos qui Papam anno superiori dehonestaverant, exhiberi, & habitâ decies quæstione, secundùm legem Romanam, ut majestatis rei capite damnati sunt.* Et si Presbyter vel Diaconus quid molitus sit in Principem, vel litteras Apostolicas confixerit, Episcopo relinquitur judicandus lege Romanâ ex Capitulis ipsius Caroli; can. in memoriam. 19. dist. *Si verò quilibet sive sit Presbyter, sive Diaconus aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando redarguatur falsam ab Apostolicâ Sede detulisse epistolam, penès Episcopum sit potestas utrum eum in carcerem, aut aliam detrudat custodiam, usquequò per epistolam, aut per idoneos suæ partis Legatos Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimùm suâ sanctâ Le-*

*ratione dignetur decernere, quid de talibus juſto ordine lex Romana ſtatuat definire.* Eodem jure etiam apud Ripuarios cauſas Eccleſiaſticas lege Romanâ diſceptari moris fuit; leg. Ripuar. tit. 60. de tabular. §. 1. *Secundùm legem Romanam quâ Eccleſiâ vivit.*

## CAPUT III.

### *In cauſis Eccleſiaſticis Monomachia non admittitur. In cauſâ Eccleſiaſtica lis ſorte dirempta.*

CAUSAS Eccleſiaſticas judicari ſecundùm Canones, vel his deficientibus ſecundùm legem Romanam, modò obſervatum. Hinc in foro Eccleſiaſtico duellum ſeu Monomachia probationis causâ non indicitur, & ubi deficientibus probationibus lis ordinario judicio terminari non poterat ſine monomachiâ, res rejiciebatur ad forum ſeculare, ut à ſe in lite de feudo inter duos milites judicatum refert Ivo Carnotenſ. Epiſcopus. epiſt. 168. *Quæ altercatio cùm aliquandiù duraſſet, præcepimus judicium fieri, judicatumque eſt, quia hæc cauſa ſine monomachiâ terminari non poterat, & judicium ſanguinis nobis agitare non licebat, ut utraque pars irent in curiam Comitiſſæ ad quam talia judicia pertinebant, & de cujus feudo iſta tenebant, &c.* Quâ de causâ Aurelianenſem Eccleſiam quæ judicio ſuo monomachiam inter duos milites probaverat, & diſcrimini diem dixerat, vehementer increpat idem Ivo Carnotenſis. epiſt. 247. *Clerici noſtri nuper ad nos revertentes, qui cauſæ Comitis Theobaldi Aurelianis interfuerunt, retulerunt nobis quòd quidam miles domni Radulphi quemdam militem Comitis ad monomachiam provocaverit, & hanc provocationem Eccleſia veſtra judicio confirmaverit, & diem peragendæ monomachiæ conſtituerit. Quod audientes valdè mirati ſumus; cùm monomachia vix aut numquam ſine ſanguinis effuſione tranſigi valeat, judicium verò ſanguinis ſervanda Patrum autoritas Clericos agitare prohibeat, & Romana Eccleſia in legem eam non aſſumat.* Et paulò poſt: *Faciant hæc cincti judices, qui ad malorum vindictam gladium materialem portant, non qui contra nequitias ſpirituales gladio ſpiritûs pugnant, &c.* Eundem Italorum ſequiorem uſum deteſtatur Petrus Damian. L. 4. epiſt. 9. ad Firmanum Epiſcopum: *Cauſas igitur Eccleſiaſtici cujuſque negotii, leges dirimant fori, vel ſacerdotalis edicta conſilii; nè quod gerendum eſt in tribunalibus Judicum, vel ex ſententia debet prodire Pontificum, in noſtrum vertatur opprobrium congreſſione bellorum.* Sæpiùs tamen vitio ſæculi factum eſt, ut dubiæ cauſæ inter Cle-

ricos & Monachos etiam per monomachiam ſubmiſſis pugnatoribus dirimerentur ; Adrevaldus de miracul. S. Benedict. libr. 1. cap. 26. *Sed cùm litem in eo placito finire nequirent, eò quòd Salicæ legis Judices, Eccleſiaſticas res ſub Romanâ conſtitutas lege diſcernere perfectè non poſſent, tandem adjudicatum eſt ut ab utraque parte teſtes exirent, qui poſt ſacramenti fidem ſcutis ac baculis decertantes finem controverſiæ imponerent, &c.* Eodem marte inter Chiretum quemdam qui fidem ſeu hominium detrectabat Aquicinctenſi Abbati debitum, & Almannum militem monaſterii lis fœliciter dirempta eſt ; in vita D. Goſvini libr. 2. cap. 15. *Cùm autem de correptione ejus ſpes omnis abiiſſet in ventum, & omnia conſilia defeciſſent, timentes viri boni nè plantationem Patris cœleſtis eradicare niteretur, eum pro ſuis criminibus ejectum de Eccleſiâ, judicio quod Eccleſia non recipit, judicandum decreverunt, & monomachiæ legibus agendum cum eo ſtatuerunt. Hoc igitur modo mutantem Prothea vultus alligantes Almannum quemdam ab Eccleſia ſuum tenentem garamentum* ( lege caſamentum ) *adversùs eum armaverunt, & in causâ ordine judiciario procedentes locum certaminis adierunt.* Inter Clericum & Monachum duello certatum in Diœceſi Santonenſi dolet Goffrid. Vindocinenſ. libr. 3. epiſt. 39. ad Petrum Santonenſem Epiſcopum : *Audivimus, dilectiſſime Pater, Rainaldum Cheſnellum Clericum veſtrum, cum domno Guillelmo Monacho veſtro duellum cœpiſſe, nullum tamen ex ſua parte, vel ex parte monachi teſtem habuiſſe : quòd, quia ſeculi leges nullâ ratione fieri permittunt, & ſacri Canones omninò nè fiat interdicunt, humiliter rogamus ut quod in Epiſcopatu veſtro ab Eccleſiaſticis viris contra Eccleſiaſticas regulas præſumptum dignoſcitur, veſtrâ autoritate irritum fiat & corrigatur, nè fortè perversâ conſuetudine prævaleat hominum iniquitas canonicæ æquitati, & ſic, quod abſit, ſubdatur veritas falſitati.* Inde reclamante Eccleſiâ Anglicanâ, & inſtante Petro Leone Legato Sedis Apoſtolicæ in Angliâ, Clericis remiſſa eſt indictio duelli in cauſis Eccleſiaſticis : & hoc fuit unum è quatuor capitulis quæ Clericis conceſſa ſunt ab Henrico II. Rege Anglorum ; Matth. Paris ad ann. 1126. *Quartò, quòd Clerici duellum facere non cogantur.* Ante Conſtitutionem Henrici II. etiam Clericis in cauſis Eccleſiaſticis ſolebat indici duellum, ita ut fieret petitâ licentiâ Epiſcopi ; Synodus Caletenſis habita anno 1080. can. 19. apud Ordericum Vitalem libr. 5. *Si Clericus duellum ſine licentiâ Epiſcopi ſuſceperit, aut namnum cœperit.*

Civilius eſt quod obſervo, cauſas Eccleſiaſticas quæ jure ordinario terminari non poſſent, ſorte diremptas. Sorte dirempta eſt lis inter Epiſcopos altercantes de vindiciis reliquiarum S. Leodegarii, Anſoaldum ſcilicet Pictavienſem Epiſcopum monaſterii & conſanguinitatis privilegio, Hermentharium Auguſtodunenſem Epiſcopum Epiſcopatûs

jure,

jure, Vindicianum Cameracensem Episcopum loco martyrii, & corpus cessit Ansoaldo; Baldricus Noviomens. libr. 1. cap. 21. *Ex sententia caterorum Pontificum, tribus epistolis horum trium nominibus subscriptis, & confusè sub pallâ altaris obtectis, factâque in commune oratione, Pictavensi Episcopo ex indiciis sanctum Corpus deberi declaratum est.*

## CAPUT IV.

### *Olim Episcopi per se jus dicebant. Episcopus tenetur coeare Vicarium in spiritualibus & temporalibus.*

AB Ecclesiæ cunabulis Episcopis judicandi munus tam inter laïcos quàm Clericos per se obibant; Conc. Chalced. can. 9. can. si Clericus. 11. qu. 1. Et hoc juris obtinebat adhuc ætate Gregorii I. testem ipsum habemus libr. 1. epist. 32. in can. pervenit. 11. qu. 1. *Sed si quis contra quemlibet Clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certè ab eo judices deputentur.* Inde decisum est cap. si quis contra, de foro competent. De Baudegesilo Cenomanensi Episcopo testatur Gregor. Tur. libr. 8. cap. 39. quotidiè eum cum Judicibus, id est, ad. hibito consilio, causas discussisse. De Ragnemodo Parisiensi Episcopo testis est idem Gregor. Turonens. libr. 9. cap. 6. eum impostorem quemdam damnasse. Imò multis post Gregorium seculis, Episcopi ipsi pro tribunali jus dixerunt: de Valtero Tornacensi Episcopo testatur Thomas Cantipratens. libr. 1. apum. cap. 15. *Valterus de Marvis Tornacensis Episcopus vix unquàm otiosus domi sedebat: aut enim meditabatur, aut legebat, aut confessionibus audiendis incumbebat, aut causis discernendis intentus lites hominum dirimebat, aut si ab his vacaret, propriis manibus laborabat.* Nec est quod miremur de Episcopis; nam & domini temporales juridicinam ipsimet per se exercebant: de S. Geraldo Comite Aureliacensi testes locuples Odo Cluniacensis ejus vitæ libr. 1. cap. 19. *In crastinum verò Mallensibus undique ad seniorem confluentibus, jubet reum adduci.* Nec modò viri, sed etiam fœminæ quæ ditiones Jurisdictione præditas habebant, ipsæ in subditos jus dicebant ex consuetudine Gallicanâ, quam memoriâ celebrat Innocent. III. in cap. dilecti, de arbitr. *Quia tamen juxta consuetudinem approbatam, quæ pro lege servatur in partibus Gallicanis, fœminæ præcellentes in subditos suos ordinariam Jurisdictionem habere noscuntur.* Hoc jure usa memoratur nobilis matrona in concubinam Clerici; Jacob. à Vitriac. hist. Occidental. libr. 1. cap. 8. *Quædam autem nobilis mulier in*

*villa quam habebat frequenter admonuit Presbyterum ut suam relinqueret concubinam ; quo renuente & respondente ; Quid ad vos de Sacerdotibus ? ipsa respondit : Contra vos nullam possum exercere justitiam, verumtamen omnes hujus villæ, qui non sunt Clerici ad meam spectant Jurisdictionem. Jubens autem Sacerdotis ad se adduci concubinam, fecit ei fieri amplam coronam dicens : Quia non vis relinquere Sacerdotem, volo te ordinare in Sacerdotissam.* Episcopi, inquam, judicabant ; vel si propter nimias occupationes juri dicundo operam dare non liceret, judicem dabant ; d. can. pervenit. Et hoc est quod ait Apostolus 1. Cor. 6. ut contemptibiles si qui sint in Ecclesia, id est, minoris meriti, eligantur ad dirimendas lites inter privatos, dummodò sint sapientes & idonei, id est, rerum periti, ita ut qui fortè erunt eminentioris meriti, reserventur prædicationi verbi Dei, & aliis officiis magis spiritualibus ; Gregor. in cap. 29. Job. cap. 14. *Ettamen Paulus Apostolus dicit : Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ac si apertè dicat : Qui minoris meriti sunt in Ecclesiâ, & nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent, quatenùs per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur. Quos & contemptibiles nominat, & tamen sapientes vocat, cùm dicit : Sic non est sapiens inter vos quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum ? Quâ ex re quid colligitur, nisi ut hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt ? Qui autem spiritualibus donis ditati sunt, profectò terrenis non debent negotiis implicari ; ut dum non coguntur inferiora bona disponere, exercitati valeant bonis superioribus deservire.*

Tandem quia Episcopale munus varium & multiplex est, & versatur tam in spiritualibus quàm in temporalibus, consultò institutum, ut quisque Episcopus crearet sibi Vicarium in spiritualibus & temporalibus ; can. volumus. 89. dist. can. cùm simus. 9. qu. 3. can. quoniam. can. in nona. 16. qu. 7. cap. quoniam in plerisque, de offic. Ordinar. cap. Romana, & toto tit. de offic. Vicar. in 6. Exin Episcopus tenetur sibi creare Vicarium generalem in spiritualibus & temporalibus, cujus ope sufficere valeat oneri Episcopali, & solutus minoribus curis, spiritualibus, id est, lectioni, orationi, & verbi Dei prædicationi intentiùs vacet ; can. Episcoopus 88. dist. ita ut non sit ut causetur Episcopus se non egere Vicario, quasi ipse sufficiat muneri ; quia etsi valde idoneus sit, convenit ut onus partiatur cum alio, nè Ecclesiastica sollicitudo ulla in parte deficiat ; cap. ult. de offic. Archipresbyter. Quòd si Episcopus moram faciat in eligendo Vicario, optio Vicarii devolvitur ad Clerum totius Diœcesis ; d. can. volumus. vel potiùs ad Metropolitanum ; d. can. cùm simus. cap. ult. de suppl. negligent. Prælat. in 6. Conc. Trident. sess. 24. de reform. cap. 16. Idque rectè institutum exemplo civilium Magistratuum : Præfectus enim Præ-

torio, & alii majores Magistratus urbani vel provinciales suos habuêre Vicarios; L. 1. & 2. C. de offic. Vicar. Cassiod. 6. var. epist. 16. & passim in notit. Imperii, ut in Galliâ fuêre Vicarii Comitum; Conc. Cabillonens. II. can. 21. Capitul. libr. 2. cap. 28. & apud Walafrid. Strabon. de reb. Ecclesiastic. cap. ult. Episcopus Vicarium sibi assumere debet, qui dicitur & Officialis in Angliâ & aliis Provinciis Cismontanis; cap. insinuante, de offic. delegat. cap. ex frequentibus, de institut. cap. in tantum, de Simon. cap. cùm generali, de offic. Vicar. in 6. idemque missus Episcopi; cap. 1. de frigid. & maleficiat. alius à misso Dominico de quo in cap. 2. de Regular. quem malè Glossa accepit de Vicario seu Officiali Episcopi: hoc enim Capitulum est Concil. Moguntini habiti sub Carolo Magno anno Christi 813. & intelligendum est de Missis qui ex Comita Principis dirigebantur, ut simul cum Episcopo Diœcesano lustrarent monasteria Galliæ reformationis causâ; de quibus est can. 20. ejusdem Concilii: *Deinde dignum ac necessarium est, ut Missi per quæque loca directi, simul cum Episcopis uniuscujusque Diœcesis, perspiciant loca monasteriorum Canonicorum pariter & Monachorum.* Idem etiam Vicarius Episcopi dicitur creditus Episcopi; sic Guntramus Boso ad Magnericum Trevirensem Episcopum, apud Gregor. Turonens. libr. 9. cap. 10. *Nequaquam*, inquit, *sed transmitte Abbates & creditos tuos, ut hæc quæ loquor, exponant.* Quo sensu creditarii dicuntur & missi Principis in vita Ludovici Pii & apud Continuat. Aymoïn. libr. 5. cap. 10. *Fideles ac Creditarios à latere suo misit.* Vicarius Episcopi, & Officialis promiscuè accipiuntur in jure; sed hodiè eorum vices sunt diversæ: Vicarius enim Episcopi exercet ea quæ sunt Jurisdictionis voluntariæ, & ministerii; Officialis verò ea quæ sunt Jurisdictionis contentiosæ; cap. cùm nullus, de tempor. ordinat. in 6. cap. ult. de offic. Vicar. eod. tit.

## CAPUT V.

### *Potestas & munia Vicarii Episcopi. Vicarius Episcopi potest revocari ad nutum: Impugnatur Fevretius. Qualis debeat esse Vicarius Episcopi.*

Vicarius generalis Episcopi habet propriam & ordinariam Jurisdictionem; Gloss. & DD. in cap. quoniam in plerisque, de offic. ordinar. Gloss. in cap. Romana, de appell. in 6. cap. licet, verb. Officialem, de officio Vicar. eod. quia constituitur ad universitatem causarum,

nec habet Jurisdictionem ab Episcopo, sed à lege, ministerio & facto Episcopi: & semel datus ab Episcopo Jurisdictionem tuetur velut datam à lege seu Canone; ut Legatus Proconsulis dicitur habere propriam Jurisdictionem, etsi non potest eam exercere priusquàm ipsi à Proconsule demandata sit; L. Legati. ff. de offic. Proconsul. L. pen. de offic. ejus cui mandat. est Jurisdict. quia scilicet Legati non legebantur ab ipso Proconsule, sed ei dabantur à Senatu, ut observatur ex Vopisco in Probo, & Capitolino in Gordianis; & mandatum Proconsulis non tam tribuebat Jurisdictionem Legato, quàm explicabat. Vicarius Episcopi habet ordinariam Jurisdictionem; & hanc ob causam à Vicario Episcopi non appellatur ad Episcopum, sed ad Metropolitanum, quia unum & idem est tribunal Episcopi & Vicarii; cap. 2. de consuetudin. in 6. cap Romanâ, de appellat. eod. Vicarius Episcopi habet ordinariam Jurisdictionem in his quæ veniunt ex generali mandato; de cætero habet delegatam in his quæ indigent speciali mandato: Vicarius scilicet vi mandati generalis potest omnia exceptis prohibitis, id est, his quæ requirunt speciale mandatum; cap. 2. de offic. Vicar. in 6. putà Vicarius Episcopi non potest conferre Beneficia sine speciali mandato Episcopi; can. nullus 16. qu. 7. cap. ult. de offic. Vicar. in 6. quia collatio Beneficiorum est in fructu, & meræ gratiæ, quæ non alii competit quàm Episcopo: potest tamen Vicarius Episcopi ex mandato generali confirmare electiones, instituere præsentatos, quia utrumque est munus necessarium; cap. ex frequentibus, de institutionib. Gloss. in d. cap. ult. de offic. Vicar. in 6. Potest etiam Vicarius Episcopi conferre Beneficia ex causâ permutationis; Gloss. in d. cap. final. quia hujusmodi collatio est necessaria; cap. unic. de rer. permut. in 6. Clem. unic. eod. tit. Vicarius Episcopi etiam non potest unire Beneficia sine speciali mandato Episcopi, quia unio est de arduis & reservatis Episcopo, nec inferiori competit; cap. sicut unire, de excessib. Prælat. tum quia unio beneficii est alienatio quæ requirit speciale mandatum, cap. 1. nè sede vacant. Clem. ult. de reb. Eccles. non alienand. Mandato generali non continetur alienandi potestas; L. mandato generali. L. procurator totorum bonorum. ff. de procurator. cap. qui ad agendum, eod. tit. in 6. Rebuff. in prax. part. 1. de unionib. num. 37. & in forma Vicariat. num. 102. Capell. Tolos. decis. 97. Sbrozz. de Vicar. Episcopi libr. 2. cap. 115. Garcias de benefic. part. 12. cap. 2. de unionib. §. 1. num. 77. Item Vicarius Episcopi non potest visitare Diœcesim sine speciali mandato Episcopi, quia visitatio est de reservatis Episcopo; can. decrevimus. 10. qu. 1. cap. si Episcopus, de offic. ordin. in 6. Conc. Trident. sess. 24. de reform. cap. 3. Sbrozz. de Vicar. Episc. libr. 2. qu. 120. Item Vicarius Episcopi non potest celebrare Synodum sine speciali mandato Episcopi;

Gloss. in cap. sua nobis, verb. Vicarii, de offic. Vicar. Sbrozz. de Vicar. Episc. libr. 2. qu. 46. Vicarius Episcopi non potest conferre Ordines, nisi sit Episcopus; quia Episcopus non potest mandare inferioribus, ea quæ sunt ordinis Episcopalis; cap. pen. d. consecr. Eccles. vel altar. sed dare potest litteras dimissorias ad Ordines; cap. cùm nullus, de temporib. ordinar. in 6. Rebuff. in forma Vicariat. num. 47. Ejusdem etiam est litteras dimissorias dare proficiscentibus Romam religionis causâ; Concil. Salegunstad. can. 16. *Decrevit quoque Sancta Synodus, ut nullus Romam iret nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii.* Quod statutum, ut tolleretur occasio evagandi, & coërceretur Pœnitentium abusus, qui omisso suo Episcopo, spe veniæ facilius impetrandæ emigrabant ad Summum Pontificem. Vicarius Episcopi etsi habeatur pro Ordinario, non potest alium subdelegare; cap. Clericus, de offic. Vicar. quia electa est industria & fides personæ; cap. ult. §. is autem cui, de offic. delegat. L. inter artifices, de solut. nisi ab initio datus sit cum potestate substituendi alium; cap. 1. de offic. Vicar. in 6.

Vicarius Episcopi nudâ voluntate & nutu revocari potest; Cle. etsi principalis. ubi Gloss. & DD. de rescript. Gloss. in Clem. ult. de procurat. quia Vicariatus est nudum mandatum, quod nudâ voluntate revocatur; L. si verò. §. pen. ff. mandat. Judicium solvitur vetante judicare eo qui majus imperium in ea Jurisdictione habet; L. judicium solvitur. ff. de judic. & Vicariatus Episcopalis non confertur in titulum, sed ut ad nutum revocabilis; cap. pervenit. 2. de appellat. cap. cùm ex eo, de elect. in 6. Hostiensis in summa, de offic. Vicar. §. & quibus. vers. sed numquid. Barbat. in cap. postulasti, de rescript. & in cap. quoniam, de offic. Ordinar. Jo. Andreas. in cap. pen. de offic. Vicar. Rebuff. in forma Vicariat. num. 192. Boër. qu. 347. Papon. in arrest. tit. *des Vicaires*, arr. 4. Sbrozz. de Vicar. Episc. libr. 1. quæst 45. & libr. 3. qu. 32. Barbosa de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 54. num. 145. & 170. Unus contra tot authores Fevretius libr. 3. cap. cap. 4. num. 22. negat Vicarium Episcopi revocari posse, nisi ex causa & causâ cognitâ; unicâ hac ratione nixus, quòd clausula quæ apponitur formulæ Vicariatûs ut sit revocabilis ad nutum, accipienda est civiliter, non sine arbitrio boni viri. Sed omninò cessat hîc boni viri arbitrium, quia Vicariatus est nudum mandatum, quod nudâ voluntate extinguitur, ut utar verbis d. L. si verò. In Beneficiis certè quæ conferuntur in titulum, titularis non debet sine causa & causæ cognitione destitui: & hoc est quod voluit can. ult. 67. dist. Episcopum solum honorem dare posse, solum auferre non posse: sed aliud est in concessione Vicariatûs, quæ est nudum mandatum quod nudâ voluntate removetur, quia societas nudâ voluntate solvitur; imò & non modò di-

gnitatis Episcopalis interest Vicarium sine causæ adjectione destitui, sed etiamdignitatis Vicarii, nè destitutio quæ fiet cum elogio, sit contumeliosa honesto viro.

Vicarius Episcopi debet esse Clericus, non laïcus; can. in nona. 16. qu. 7. imò debet esse Presbyter & Doctor., vel Licentiatus saltem in jure canonico; Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 16. Constitut. Blesens. ann. 1579. art. 45. Sbrozz. de Vicar. Episc. libr. 1. qu. 36. num. 9. 10. Canonicus regularis, vel Monachus non prohibetur esse Vicarius generalis Episcopi; Gloss. & DD. in can. si quis. verb. majorem 58. dist. & in can. de præsentium. verb. defensor. 16. qu. 1. Jo. Andreas. in cap. ult. de Cleric. ægrot. vel debilitat. dummodò non sit Ordinis Mendicantium; Clem. 1. §. ad Prioratus de Regular. Flamin. Paris. de resignat. benef. libr. 9. qu. 4. num. 5. Roderic. quæst. regular. tom. 3. qu. 76. art. 5. Sbrozz. de Vicar. Episc. libr. 1. qu. 37. 38. 40. Hoc jure Theophilus Alexandrinus Episcopus duos Monachos ex eremo invitos accivit, & postquàm eos in Clericos ordinasset, Vicariam Ecclesiæ administrationem illis concredidit: καὶ τῇ τῶν κληρικῶν ἀξίᾳ τιμήσας τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐκκλησίας αὐτοῖς ἐνεχείρισεν, ut auctor est Socrat. libr. 6. cap. 7. Eodem jure Abbas Lobiensis est Vicarius Leodiensis Episcopi; Ægid. de gest. Leodiens. Pontific. cap 62. *Abbas Lobiensis Vicarius est Episcopi Leodiensis in Ecclesia Leodiensi, & Lobiensi.* Etiam Episcopus potest eligi Vicarius Episcopi, ut in casu cap. quoniam in plerisque, de offic. Ordinar. si ejusdem Diœcesis populi sint linguis varii & discrepantes, & Episcopus alterius linguam non calleat, alium Episcopum linguæ peritum sibi adjungere debet. Nec desunt Archiepiscopi, qui habent Vicarium natum unum è suffraganeis, ut Londinensis Episcopus est Vicarius natus Archiepiscopi Cantuariensis, & hoc jure ejus vices functus est in Henrici I. Regis Anglorum inauguratione; Matth. westmonasteriens. ad ann. 1100. *In hac autem coronatione non est derogatum Ecclesiæ vel Antistiti Cantuariensi, quia Londinensis Episcopus Archiepiscopi Cantuariensis, imò totius Angliæ Decanus vices ejus in hoc officio exsequebatur, & hoc chartâ ipsius testificatur.* Vicarius Episcopi potest conferre Beneficia cum speciali ipsius mandato, etiam extra Diœcesim, quia collatio beneficiorum est voluntariæ Jurisdictionis, quæ extra Diœcesim explicari potest; L. 2. ff. de offic. Proconsul. Gloss. in cap novit, de offic. Legat. Gloss. in Pragmatic. de collat. §. & quia, verb. Vicario Selva de benefic. 3. part. qu. 40 Rebuff. in prax. in form. Vicariatûs num. 227. & de nominat. qu. 14. num 46. Flamin. Paris. de resignat. benef. libr. 7. qu. 24. num. 32. Covarruv. 3. var. cap 20. Marcus 2. part. qu. 413. Sbrozz. de Vicar. Episc libr. 2. qu. 65. & 102. Vicarius Episcopi potest mandare executioni rescripta Apo-

ſtolica juxta cap. ſtatutum, de reſcript. in 6. quia eſt conſtitutus in dignitate, ſecùs in Vicario foraneo; Clem. etſi principalis, de reſcript. Rebuff. in form. Vicariat num. 27. & de pacific. poſſeſſ. num. 91. Sbrozz. de Vicar. Epiſc. libr. 2. qu. 22 Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 54. num. 132. Vicarii Epiſcopi officium expirat morte Epiſcopi, quia eſt nudum mandatum; cap. relatum cap. gratum, de offic. delegat. An officium Vicarii ceſſet præſente Epiſcopo; quidam ſunt qui negant, quos inter Frideric. Senenſ. conſil. 302. Marcus part. 1. qu. 482. num. 2. Rebuff. in prax. in forma Vicar. Archiepiſcopi. num. 187. Sbrozz. de Vicar. Epiſc. libr. 2. qu. 64. ſed verius eſt officium Vicarii ſuſpendi præſente Epiſcopo, ut probatur, can. denique 22. diſt. can. pen. & ult. 96. diſt. cap. volentes, de offic. Legat. & cap. antiqua, de privileg. & cap. cùm nullus, de temp. ordin. in 6. Nec hoc jus ſingulare eſt in Vicario Epiſcopi; nam & Magiſtratuum civilium poteſtas quaſi juſticio indicto ſilet præſente Principe; L. ult. ff. de offic. Proconſul. Ambroſiaſter in cap. 2. epiſt. ad Coloſſenſ. *Sicut enim abſente Imperatore imago ejus habet autoritatem, præſente non habet; ita & hæc ante adventum Domini tempore ſuo obſervanda fuerunt, præſente autem, carent authoritate. Numquid aliquis vicem domini agens, ipſo præſente dominatur? Si Præfectorum Vicarii, præſentibus eis privati ſunt; quantò magis ſervi præſente Domino etiam ipſi in obſequio debent videri?*

## CAPUT VI.

### *Præter Vicarium generalem Epiſcopus debet inſtituere Officialem. Vicarii generalis & Officialis diſtinctæ vices.*

PRÆTER Vicarium generalem Epiſcopus tenetur creare Officialem qui præſit juri dicundo; cap. inter cætera. cap. quoniam, de offic. ordinar. can. cùm ſimus. 9. qu. 3. can. in nona. 16. qu. 7. quia Epiſcopus utcumque diligens & peritus rerum, non poteſt ſufficere omnibus partibus muneris Epiſcopalis: & hæc eſt ſententia Panormitani in d. cap. quoniam, qui inprimis nititur d. can. cùm ſimus, & d. can. in nona; ex quibus Epiſcopus debet ſibi eligere œconomum, id eſt, Vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus. Nec obſtat quod Felinus in d. cap. quoniam, Panormitano contrarius ait œconomum non reſpondere Officiali, cujus munus verſatur in jure dicundo; quaſi officium œconomi pertineret tantùm ad curam rei familiaris: nam œconomi officium non modò ſpectabat

ad curam temporalium, ſed etiam adnexas habebat vices judicandi; & ita defenſores patrimonii Eccleſiæ Romanæ habebant Juriſdictionem inter Clericos & laïcos; can. valdè neceſſarium. 94. diſt. can. pervenit 11. qu. can. Probinum 16. qu. 1. Et ex conſuetudine Galliæ Epiſcopus tenetur ſibi aſſumere Officialem; in Pragmat. de collat. §. ſtatuit. verb. Vicariis. §. teneantur, de collat. in Concord. Rebuff. in prax. part. 1. tit. collat. plures an fieri poſſ. num. 16. Boër. qu. 437.

Hoc diſtat Officialis à Vicario Epiſcopi, quòd Vicarius Epiſcopi exercet ea quæ ſunt voluntariæ Juriſdictionis; Officialis ea quæ ſunt contentioſæ; cap. cùm nullus, de tempor. ordin. in 6. cap. 2. de offic. Vicar. eod. Vicarius Epiſcopi poteſt revocari ad nutum; Officialis non ſine cauſa, & cauſæ cognitione, quia non eſt propriè Officialis Epiſcopi, verùm Diœceſis; Gall. qu. 173. Papon. in arr. tit. *Des Officiers Royaux*. arr. 8. Boër. qu. 149. Mayn. libr. 2. cap. 24. Vicarii mandatum ſolvitur morte Epiſcopi; Officialis non item, quia eſt ordinarius; cap. Legatos, de offic. Legat. in 6. cap. nè aliqui, de hæretic. eod. Cle. nè Romani. §. eo tamen proviſo, de elect. Hoc commune eſt Vicario Epiſcopi, & Officiali, quòd uterque poteſt executioni mandare reſcripta Apoſtolica, quia habet dignitatem; ſecùs in Officiali foraneo: Clem. etſi principalis, de reſcript. Rebuff. in prax. part. 1. in forma Vicariatûs num. 27. & in forma novæ proviſionis, verb. Officiali Epiſcopi num. 2. Quænam ſit Officialis dignitas vel ex eo intelliges, quòd Chartophylax, quæ una eſt inter primarias dignitates Eccleſiæ Patriarchalis Conſtantinopolitanæ, eſt Judex omnium cauſarum Eccleſiaſticarum, etiam matrimonialium, & jure dicundo præeſt tamquam dextra Patriarchæ; Codin. de officiis Eccleſiæ C. P. cap. 1. κριτὴς τῶν ὅλων ὑποθέσεων τῶν ἐκκλησιαστικῶν, ἔχων τὰς γαμικὰς ὑποθέσεις, ἀλλὰ ἐν ταῖς λοιπαῖς τῶν κληρικῶν ὑποθέσεων ἔκδικος, ὡς δεξιὰ τοῦ ἀρχιερέως χείρ. *Et eſt judex omnium cauſarum Eccleſiaſticarum & controverſiarum matrimonialium, quin & in cæteris Clericorum litibus Judex eſt, tamquam dextra Patriarchæ.* Eundem in quibuſcumque cauſis Eccleſiaſticis inter laïcos utriuſque ſexûs, & in litibus civilibus & criminalibus inter Clericos & Monachos judicem eſſe tradit Balſamo libr. 7. medit. jur. Oriental. tit. de Chartophylace, quòd habeatur os, & labia & manus quodammodò Patriarchæ: unde obtinuit ut ſedeat ante Epiſcopos, quaſi locum tenens Patriarchæ, ut addit Balſamo eodem loco, & in can. 18. Synod. Nicen.

CAPUT VII.

# CAPUT VII.

## *An Episcopus possit judicare in quacunque parte Diœcesis. An idem possit jus dicere in Ecclesia. Arguitur hallucinatio Fevretii.*

Judex debet ferre sententiam sedens pro tribunali, in loco ubi judicari solet; L. si locus. ff. de judic. L. quid tamen. §. si arbiter, de recept. arbitr. L. cùm sententiam. C. de sentent. & interlocut. Seneca 1. de ira. cap. 16. ubi bonum Judicem depingit: *Procedam*, inquit, *in tribunal, non furens nec infestus, sed vultu legis.* Apuleius 1. Florid. *Præco cum Proconsule & ipse tribunal ascendit.* Et mox: *Enimverò ipse Proconsul moderatâ voce raventer & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit.* Judex Ecclesiasticus quoque debet judicare publicè pro tribunali, & sententiam pronunciare ex libello seu scripto; can. legum. 2. qu. 1. cap. quoniam, de probat. idemque potest sedere pro tribunali, & causas ad forum Ecclesiasticum spectantes audire in quolibet loco Diœcesis non exempto, quoniam est Ordinarius in tota Diœcesi; cap. cùm Episcopus, de offic. Ordinar. in 6. Neque jus istud tamquam novellum, vel odio Bonifacii nominis decoloratum explodendum est quasi minimè introductum, sed instauratum à Bonifacio. Satis notum est jure antiquo Episcopum non prohiberi Cathedram, quæ est insigne Jurisdictionis Episcopalis, collocare in qualibet parte Diœcesis, præterquam in loco exempto; can. luminoso 18. qu. 1. ex Gregor. I. Nec unicus est hic locus Gregorii: nam & ejusdem juris vestigia extant apud eundem libr. 5. epist. 46. & libr. 6. epist. 12. Tamen moribus Galliæ Judex Ecclesiasticus non judicat extra proprium tribunal, nisi in visitationis decursu, de his quæ causæ cognitionem non desiderant, & de plano, id est, summariè expediri possunt, hac ratione quòd Ecclesia non habet territorium; Aufrer. de potest. Eccles. super laïc. num. 11. Non negatur Episcopum posse Ordines conferre, & alia Episcopalia exercere in quacumque parte Diœcesis; can. nullum & seqq. 9. qu. 2. Cur igitur minùs æquo animo ferunt seculares, Episcopos eodem jure uti in his quæ sunt Jurisdictionis? An quia, inquiunt, Ecclesia non habet territorium, sed audientiam quæ non datur extra proprium tribunal? Verùm Jurisdictionem Episcopalem in qualibet parte Diœcesis exerceri nihil vetat, quia non territorii finibus continetur, sed personarum submissione; non habet locum in territorio, sed in personis. Et certè olim laxiores habenas habuêre Episcopi in Gallia: Episcopum Santonensem

posse sedere pro tribunali in quacumque parte Diœcesis, consultus respondit Oldradus rerum nostrarum peritissimus, consil. 318. & idem responsum est ab eodem pro Pictavienſi Episcopo, cons. 187.

An Judici Ecclesiastico fas sit tribunal in Ecclesia collocare, quæritur. Negat Fevret. libr. 7. cap. 3. num. 1. in hanc sententiam nixus variis Canonibus Gallicanis quos laudat ex Ant. Augustino: sed pace tanti viri dixerim, nimis incautè deceptus est fide alienâ; hi enim omnes Canones nequaquam vetant nè Judex Ecclesiasticus placitum habeat in Ecclesia, sed hujusmodi interdictum spectat tantùm ad Judices seculares. Nè dubites, ecce præstò sunt Canones; Conc. Arelatens. VI. can. 22. *Ut placita publica & secularia, neque in atriis Basilicarum, neque in ipsis Basilicis fiant, dicente Domino: Domus mea, domus orationis vocabitur.* Concil. Moguntin. can. 40. *Præcipimus ut in Ecclesiis, aut in domibus Ecclesiarum vel atriis, placita secularia minimè fiant.* Conc. Turonens. III. can. 39. *Placita quidem secularia in Ecclesiis vel in atriis Ecclesiarum, à Comitibus, Vicariisque usque modò multis in locis habita, nè ultra fiant, interdicendum est, &c.* Et Concil. Suessionens. II. can. 7. *Et Missi nostri per singulas Parochias Comitibus & Reipublicæ ministris ex banno nostro præcipiant, nè malla vel placita in exitibus & in atriis Ecclesiarum, & Presbyterorum mansionibus, neque in Dominicis vel festivis diebus tenere præsumant, &c.* Unde desumptum est Capitulare 89. libr. 5. & Capitulare 59. addit. 3. nec non cap. 1. de immunitat. Ecclesiar. quod refertur ex Synodo Joannis Papæ, estque Joannis IX. Pontificis. Ejusdem argumenti est cap. 2. eod. tit. in 6. quo judicia secularia exploduntur ab Ecclesiis, & sententiæ Judicum secularium in eisdem prolatæ, nullæ & irritæ dicuntur, quia domum Domini decet sanctitudo. Quod igitur negatur Judicibus secularibus, tacitè conceditur Ecclesiasticis. Et certè moris fuisse judicia Ecclesiastica in Ecclesiis celebrari, idoneum argumentum est quòd laïcus vetatur esse Vicarius Episcopi, hac ratione nè laïcus judicet in Ecclesia; Synod. Hispal. II. can. 9. can. in nona 16. qu. 7. *Indecorum est enim laïcum Vicarium esse Episcopi, & seculares in Ecclesia judicare.* Hoc juris tramite & in Ecclesia fieri solebat confirmatio electionis Episcoporum, quæ non sine causæ cognitione per Metropolitanum fiebat: quâ de causa Alexander III. perstringit Richardum Cantuariensem Archiepiscopum, quòd electiones Episcoporum non in Ecclesia, sed in camera Regis præter juris ordinem confirmaret; cap. quâ fronte, de appellat. *Quâ fronte*, inquit, *nos consulere valeas, non videmus, cùm dicaris ordinem juris pervertere: jam enim non in Ecclesiâ, sicut est canonicum & honestum, non etiam in palatio, non in camera tua, sed in camera Regis contra debitum juris, & Pontificalis officii dignitatem, Episcoporum electiones diceris confirmare.* Et

hoc argumento Vicarium Episcopi posse sibi statuere tribunal juris dicendi causâ etiam in Ecclesia de consuetudine, probat Bertachin. de Episcopis, parte 7. num. 33.

## CAPUT VIII.

### *Laïci non possunt esse Judices Ecclesiastici; nec laïcis licet adsidere Judicibus Ecclesiasticis.*

Laïcus non potest fungi officio Judicis Ecclesiastici, quia in uno eodemque officio non debet dispar esse professio, juxta illud sacrum oraculum, Deut. 2. *Non arabis in bove & asino*; can. in nona. 16. qu. 7. & laïci Ecclesiastica negotia tractare non debent, maximè quæ sunt spiritualia; cap. decernimus, de judiciis. Ideò non potest de rebus spiritualibus compromitti in laïcum; cap. contingit, de arbitr. & hoc est quod dicitur in cap. significasti, de foro competent. Clericos non posse consentire in Judicem non suum, nisi sit Ecclesiastica persona, & accedat consensus Diœcesani. Quæritur hîc an laïci Judicibus Ecclesiasticis adsessores adhiberi possint in causis Ecclesiastici fori. Aufrer. de potestat. secul. regul. 4. fallent. 34. & Ferrer. in decis. Guid. Pap. 69. consentiunt laïcos posse adsidere Judicibus Ecclesiasticis, non alio jure nixi quàm consuetudine. Sed ego ausim affirmare nequaquàm spectandam esse consuetudinem, quæ magis dicenda est corruptela quàm consuetudo; quia laïci non possunt interesse judiciis Ecclesiasticis, nihil omninò præstolante consuetudine contrariâ; cap. ad nostram, de consuetudine; ubi damnatur consuetudo Pictaviensis quæ inoleverat, ut in judiciis Ecclesiasticis auditâ utraque parte audirentur sententiæ præsentium, sive litterati, sive illitterati essent. Non spectatur consuetudo in spiritualibus, quia laïci jura spiritualia quocumque tempore præscribere non possunt vitio incapacitatis; cap. sacrosancta. cap. Massana, de elect. cap. causam, de præscript. & si jura spectemus, laïci non possunt adsidere judiciis Ecclesiasticis, sed Presbyteri & Diaconi tantùm; Auctor Constitut. Apostolicar. libr. 2. cap. 47. συμπαρέστωσαν δὲ τῷ δικαστηρίῳ καὶ οἱ διάκονοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι: *Assistant autem judicio Diaconi & Presbyteri.* Et in Synodo Chalcedonensi act. 3. cùm Dioscorus Alexandrinus Episcopus, de multis reus postulatus, Judicum, id est, Legatorum Principis qui consilio aderant, præsentiam in judicio desideraret, Episcopi constanter responderunt: κανονικῶν γὰρ ἐξεταζομένων ὑπὸ ἀρ-

χοντας, ὅτε ἑτέρους τινὰς λαικοὺς παρεῖναι χρή. *Quando enim regularia tractantur, neque Judices, neque aliquos alios laicos intereſſe oportet.* Quod in Legem Francicam transfuſum, Capitul. lib. 7. cap. 345. *Quando ea quæ canonica ſunt ventilantur, vel quædam regularia examinantur, neque Judices ſeculares, neque aliquos laïcos intereſſe oportet.* Denique laïci omnino arcentur à judiciis Eccleſiaſticis, nec licet laïcis ſtatuendi in rebus Eccleſiaſticis habere aliquam poteſtatem, quos obſequendi manet neceſſitas, non autoritas imperandi; can. benè quidem. 96. diſt. cap. Eccleſia, de Conſtitut. cap. cum laïcis, de reb. Eccleſ. alienand. & Capitul. libr. 6. cap. 294. Nec debent gloriari laïci ſe vocari in ſubſidium propter imperitiam Clericorum: quia præterquàm quòd Eccleſia inprimis Gallicana non caret viris litteratis & peritis, judicia Eccleſiaſtica celebrari debent in civitatibus & locis inſignibus, ubi eſt copia peritorum; cap. ſtatutum, de reſcript. in 6. Neque laïcos juvat, quòd Summus Pontifex aliquando mandavit propriam Juriſdictionem laïco, etiam mulieri, nempè Brunichildi Reginæ; can. Mennam 2. qu. 5. quia hoc factum de plenitudine poteſtatis tolerandum eſt propter dignitatem & merita perſonæ; cap. dilecti, de arbitr.

## CAPUT IX.

### *Judex Eccleſiaſticus non exequitur ſententiam per ſe, ſed implorato officio Judicis ſecularis.*

EPiscopus habet ordinariam Juriſdictionem, quia eam habet à Lege ſeu Canone: ex quo eam poteſt demandare; cap. 1. de offic. Vicar. in 6. cap. Romanâ, de appellat. eod. & propriè Ordinarius dicitur. In eo tamen minor eſt ordinario, quòd non poteſt per ſe ſententiam executioni mandare, ſed implorato ad hoc officio Judicis ſecularis; L. ſi qui ex conſenſu. L. Epiſcopale. C. de Epiſc. & Cleric. Nov. Juſtin. 83. & 123. cap. 21. Gloſſ. in cap. 1. de offic. Ordinar. quia Eccleſia non habet territorium, ſine quo executio in res vel perſonas fieri non poteſt, cùm in territorio vel ſuper territorio facienda ſit. Epiſcoporum ſententias ratas eſſe voluit Conſtantinus recenti Chriſtianæ religionis ſtudio ferveſcens, ita ut ab his non liceret appellare, velut à ſententiâ à Principe prolatâ: ſed quod ſuum erat ſibi vindicans, voluit ut Magiſtratus civiles eorum ſententias exequerentur; Sozomen. libr. 1. cap. 9. κυρίαν δὲ εἶναι τὴν αὐτῶν γνῶσιν, καὶ κρέττω τῆς τῶν ἄλλων δικαστῶν ὑπανέι τῷδε τῷ Βασιλέως ἐξενεχθῆσαν.

εἰς ἔργον δὲ τὰ κρινόμενα ἄγειν τοὺς ἄρχοντας, καὶ διακονουμένους αὐτοῖς στρατιώτας. *Atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum Judicum sententiis plus habere authoritatis, tamquam ab ipso Imperatore prolatam statuit: quin etiam jussit ut Magistratus res judicatas reipsà exequerentur, militesque eorum voluntati inservirent.* Quem secuti sunt Honorius, & Justinianus antedictis Constitutionibus. Episcopus igitur quoad executionem desinit esse Ordinarius, & comparatur Judici dato vel pedaneo, qui non exequitur sententiam à se latam, sed Judex qui ipsum dedit; L. à divo Pio. ff. de re judicat. Judex Ecclesiasticus non exequitur sententiam per se, sed executionis causâ implorat officium Judicis secularis, quod Ecclesiæ non displicuit, nè res judicatæ impotentiâ Judicis Ecclesiastici executione carerent; Synod. Turonens. III. can. 41. *Incestuosi, parricidæ, homicidæ, multi apud nos, heu, proh dolor! reperiuntur: sed aliqui ex illis Sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus; quos oportet per secularis potentiæ disciplinam, à tam pravâ consuetudine coërceri, qui per salutifera Sacerdotum monita noluerunt revocari.* Et Synod. Cabilonens. II. can. 25. *Ut à domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publicè peccat, publicâ multetur pœnitentiâ, & secundùm ordinem Canonum, pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.* Et Concil. Trecense celebratum Præside Joanne VIII. *Et cùm opus fuerit, publicum convocent auxilium, non ad præjudicandum, sed potiùs ad ea quæ Deo sunt placita consequendum.* Et Capitulare 315. libr. 7. *Ut ea quæ in sua Diœcesi Episcopus per se suosque corrigere, vel emendare nequiverit, coram reliquis Episcopis ad corrigendum insinuet, vel Regi indicare non tardet: ut qui Ecclesiasticis regulis inobediens apparuerit, per Potestates exteras corrigatur.* Nec peculiare hoc fuit Ecclesiæ Gallicanæ: nam & multis ante seculis Orientales & Africanæ Ecclesiæ ultrò invocarunt auxilium Judicum secularium, ad compescendam proterviam Episcoporum & Clericorum, & promovendam executionem rerum judicatarum, putà si Episcopus vel Clericus depositus Ecclesiam perturbare non desinat, per civilem Magistratum tamquam seditiosus coërcetur; Conc. Antioch. can. 3. cap. 2. de Cleric. excommunicat. ministr. can. 38. Synod Carthag. III. can. petimus. 11. qu. 1. Synod. Carthaginens. can. 32. apud Balsamon. can. nec licuit. 17. dist. & occupatas in Africâ à Maximianistis basilicas repeti placuit, invocato auxilio Judicum civilium; Conc. African. can. 34. Adversùs Circumcelliones pariter & Donatistas Presbyterorum Catholicorum interfectores, adhibitum auxilium Judicum civilium; Augustin. epist. 160. *Circumcelliones quosdam & Clericos Donatistas curâ eorum qui disciplinæ publicæ inserviunt, præmissa Notoria ad judicia legesque perduxit.* Et ante hæc omnia cùm Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus Ec-

clesiæ domo recedere detrectaret, aditus est Aurelianus Imperator, à quo jussum est ut domus traderetur cui videretur Romæ urbis Episcopo; Euseb. libr. 7. cap. 24. ἀλλὰ γὰρ μημῶς ἐστῆναι τοῦ παύλου τοῦ τῆς ἐκκλεσίας ὄκου θέλοντος βασιλεὺς ἐντευχφεὶς αὐλελλιανός, αἰστιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφε τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν ὅκον, οἷς ἐν οἱ κατὰ τὴν ἰταγίαν, καὶ τὴν ῥωμαίων πόλην ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπισελλοιεν. *Sed cùm Paulus Samosatenus nollet exire de domo Ecclesiæ, Imperator Aurelianus ea de re rogatus sanctissimè respondit quid esset agendum, illis tribui præcipiens domum Ecclesiæ, quibus Italiæ & urbis Romæ Episcopi per litteras præciperent.* Hoc jure Judex Ecclesiasticus extra septa tribunalis non potest manum injicere in Clericos ob delictum, nisi intra cancellos tribunalis capti sint, quia non habet territorium; Jo. Gallus qu. 276. 357. 363. Bened. in cap. Raynut. verb. & uxorem. decis. 2. num. 133. Imbert. libr. 3. institut. forens. cap. 9. Idem non potest exequi sententiam captis & distractis pignoribus, id est, pignoratione bonorum; Rebuff. in §. 1. de regia ad prælatur. nominat. in Concord. Chopin. de sacra polit. libr. 2. tit. 1. num. 2. & 3. Imbert. libr. 1. cap. 62. Maynard. libr. 2. cap. 4. Charond. libr. 1. Pandectar. cap. 13. Marc. part. 1. qu. 448. Sed ad hoc invocatur auxilium Judicis secularis, & si opus sit, adhibetur manus militaris; can. Principes. 23 qu. 5. & hoc est quod ait Jo. Sarisber. epist. 75. *Ex authoritate Canonum, nisi jura taliter contemnuntur, ad reprimendam malitiam adhibenda est manus militaris.* Judex verò secularis hac de causa aditus seu requisitus, tenetur præstare opem & auxilium Judici Ecclesiastico in executione sententiæ; cap. 1. cap. quoniam, & ibi Gloss. de offic. Ordinar. quia licet utriusque Jurisdictionis officia sint distincta, una debet fovere & adjuvare alteram; can. quoniam. 10. dist. can. cùm ad verum. 96. dist. can. Principes. can. administratores. 23. qu. 5. Ivo Carnotens. epist. 106. Res omnes non aliter benè administrantur, nisi cùm regnum & sacerdotium in unum convenerunt studium. Nec Judex secularis potest cognoscere de viribus & meritis sententiæ, tamquam merus executor; cap. pastoralis. §. quia verò, de offic. delegat. cap. 2. de except. in 6. Marcus part. 1. qu. 269. & Gayll. 1. observ. 115. Belluga in specul. Princip. de proposit. §. tractandum. num. 12. 4. salvâ appellatione, si sententia displiceat; L. 1. C. si sæp. in integr. restitut.

## CAPUT X.

*Clerici nè quidem volentes audiuntur à Judice seculari. Cur Judex secularis Judex cinctus dicitur.*

OLIM soli Judices ordinarii, id est, Præsides & Magistratus provinciales cognoscebant de civilibus & criminalibus causis Clericorum; L. cùm Clericis. L. jubemus. C. de Episc. & Cleric. Justinianus civilium causarum Clericorum cognitionem permisit Episcopis, criminalium verò cognitionem tribuit Magistratibus, nisi essent crimina Ecclesiastica; Nov. 83. & 123. can. si quis cum Clerico. 11. qu. 1. Jure autem Pontificio, Clerici nè quidem volentes possunt deduci ad Judicem secularem quem cinctum vocabant, quia habebat jus cinguli ut militares, ita ut si Judex his non abstinuerit, cingulum amittat; Bonifacius epist. ad Episcopos Galliæ in can. nullus Episcopus. 11. qu. 1. *Nullus Episcopus neque pro civili, neque pro criminali causâ apud quemvis Judicem sive civilem, sive militarem producatur, vel exhibeatur. Magistratus enim qui hoc jubere ausus fuerit, amissionis cinguli condemnatione plectetur.* Et Sylvester in calce Conc. Romani in can. nullus Clericus, ead. caus. & quæst. *Nullus Clericus, vel Diaconus, vel Presbyter propter quamlibet causam intret in curiam, nec ante Judicem civilem causam dicere præsumat.* His juris argumentis de causâ merè Ecclesiasticâ, putà de Calice fracto, coram seculari Judice in se actum expostulat Athanas. apolog. 2. de fuga: ἐπὶ δὲ ἐξωτικοῦ δικαστοῦ ἐξετασις περὶ αἵματος χριστοῦ, καὶ σώματος χριστοῦ γίνεται, εἰ γὰρ καὶ ὅλως ἐγεγόνει τι πλημμέλημα ἐδεῖ, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ κληρικῶν νομίμως ἐξετάζεσθαι. *Sub externo Judice quæstio de sanguine & corpore Christi habetur; nam si omninò quod delictum perpetratum fuisset, oportebat de eo in Ecclesia inquiri sub legitimis Clericis.* Eadem juris exceptione Trajectenses conventi apud Fridericum I. pro controversia quæ erat inter Fridericum & Hermannum de Episcopatu Trajectensi, fori præscriptione sese tuiti sunt, quòd causa esset Ecclesiastica, & ad Pontificem jam delata; de quo Otho Frisingens. de gest. Frideric. libr. 1. cap. 62. *Illi viaticum redeundi postulaverunt, dicentes se, eo quòd causa ipsa tamquam Ecclesiastica ad Ecclesiasticum Judicem, ad aures Summi Pontificis translata esset, respondere coram cincto Judice non posse.* Non alio jure potestates seculares à claustris Canonicorum explosit Ivo Carnot. Episc. epist. 49. ad Stephanum Palatinum Comitem: *Quòd enim à claustro Canonicorum om-*

*nis secularis potestas sit eliminata, jamdiù ante tempora patrum vestrorum & Regum decretis est cautum, & Ecclesiasticis sanctionibus multimodè roboratum.* Et causam interdicti Ecclesiæ nihil pertinere ad Principem, tamquam merè Ecclesiasticam contendit idem Ivo epist. 263. ad Belvacenses: *Cessare quidem à divinis justè vel injustè, quid ad Regem? Excessus enim Clericorum si contigerit, non est vindicandus potestate seculari, sed canonico judicio puniendus est, & censurâ Episcopali.* Et hæc est perpetua Canonum regula Clericos expertes esse fori secularis, & solutos potestate Judicis cincti; idem Ivo libertatum Ecclesiæ vindex acerrimus & scientissimus, epist 241. *Legibus autem non continetur, imò prohibetur, ut Episcopus à Judice seculari ad causam Ecclesiasticam vocetur, vel cincti Judicis sententiæ subjiciatur.* Judices tamen seculares facilè sibi suasi sunt se non gravare Ecclesiam, ubi de consuetudine cognoscunt de quibusdam casibus quos vocant privilegiarios, qui jure veteri erant Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ex quo secundum foros & consuetudines debent judicare; cap. venientes, de jurejurando, ut scribit Belluga in specul. Princip. de proposit. §. sunt & aliæ. num. 3. in fin. Cogitent Judices an consuetudo vincat Leges & Canones, & audiant vocem Domini ad Judices seculares; *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* Psalm. 74.

## CAPUT XI.

### *An Senatus sit competens Judex in criminalibus causis Episcoporum.*

AN Senatus de causis Episcoporum cognoscere valeat, eo colore quòd mixtus sit Clericis & laïcis, non inopportunium est quærere hoc loco. Auctor Historiæ Pontificiæ Jurisdictionis libr. 4. cap. 3. num. 29. sine ulla authoritate tradit Curiam cùm sit mixta è Clericis etiam Episcopis, & laïcis, habere jus decernendi in Episcopos etiam in criminalibus. Sed facilè corruit sententia hominis, cujus ingenium quale fuerit in spiritualibus, ex eo satis intelliges, quòd sacrum opus exorsus est à commendatione formæ uxoris, & næniis ejus interitûs. Primò, quæ partes sunt laïcis quibus constat major pars Curiæ, in judicio de Episcopis, cùm Episcopi non possint damnari nisi in Synodo Provinciali, judicio duodecim Episcoporum; can. nullam. 2. qu. 4. can. hæc quippe. 3. qu. 6. can. 1. 2. 3. qu. 8. adeòque non possint deponi sine Apostolicæ Sedis authoritate;

can.

can. nullus. can. duodecim. 5. qu. 4. & laïci non audiantur adversùs Episcopos, quia oppidò eis infesti exiſtunt; can. laïcos. can. laïci. 2. qu. 5.

Secundò, inanis eſt fucus ſeu color quæſitus, quòd Curia conſtet ex Clericis & laïcis: quia præterquàm quòd majori ex parte conſtat laïcis, & ejus ordinis cenſenda eſt qui prævalet; L. quæritur. ff. de ſtat. homin. nulla poteſtas ei eſt in ſpiritualibus, ſi quidem cujuſque rei origo ſpectanda eſt; cap. dudum, de decimis. L. 3. C. ad Macedon. At curia Juriſdictionem habet à Principe ſeculari, qui ſpiritualis Juriſdictionis prorſus expers eſt; cap. decernimus, de judic. cap. ſollicitæ, de majorit. & obedient. & conſequenter non potuit transferre in alium majorem poteſtatem quàm ipſe habeat; d. cap. dudum. L. nemo de R. I. ut rectè argumentatur Rebuff. de decimis. qu. 10. num. 36. & poſt eum Anaſtaſ. Germon. de ſacris immunitatib. libr. 3. cap. 19. num. 8. Azor. part. 1. inſtit. moral. libr. 7. cap. 36. qu. 2. Moneta de decim. cap. 8. qu. 1. num. 4. Fateor non vetari Principes uti Epiſcopis & Clericis in rebus publicis gerendis, eiſque demandare ſuam Juriſdictionem, etiam in judiciis publicis; can. ſæpe 23. qu. 8. cap. 1. de poſtuland. cap. in Archiepiſcopatu, de raptorib. Sed haudquaquam præſumunt Judicibus à ſe datis ſive Epiſcopis ſive Clericis, demandare Juriſdictionem in Epiſcopos, quam ſibi ipſi non vindicant.

Tertiò, futile argumentum eſt Juriſdictionis ſecularis in Epiſcopos & Clericos, quòd Paulus ipſe Apoſtolus Gentium ſeculare judicium non reſpuit, & ad Cæſarem provocavit: ſpectandum enim eſt tempus, quo non erat copia alterius Judicis, in cunabulis ſurgentis Eccleſiæ; ſub Ethnicis rerum dominis, neceſſe ei fuit provocare ad majorem Judicem, nè per injuriam damnaretur. In hoc diſcrimine igitur, quocumque modo potuit, ſibi conſuluit, & non tamquàm Chriſtianus, & Sacerdos appellavit ad Gentilem Judicem, quod ei fas non erat ex ipſius præcepto 1. Cor. 6. ſed coactus, ut declinaret iniquum Judicem; Ambroſiaſter in epiſt. ad Galat. cap. 6. *Denique Judæis compellentibus, & ſæpenumerò falſas accuſationes contra eum deferentibus obliquum Judicem videns, coactus appellavit Cæſarem.* Vel Apoſtolus tamquàm civis Romanus appellavit Cæſarem, quaſi ſepoſito Chriſtiani, Apoſtoli, & Epiſcopi ſtemmate, & Civem Romanum ſeſe dixit, ut Romam duceretur judicii causâ, Romam cogitans arcem Chriſtianæ religionis, ut Petro ſe laborum & martyrii ſocium præberet. Idem Ambroſiaſter in cap. 1. epiſt. ad Roman. *Voluntati itaque ejus ſic occaſio data eſt, ut coactus appellaret Cæſarem, & dirigeretur ex alia cauſa ad urbem Romam, Deo volente, ut impleret propoſitum voluntatis ſuæ.* Et hoc exemplo Donatiſtas, ſi injuriam paterentur, legum auxilium invocare, æquo animo tulit Auguſtinus libr. 2. contra litteras Petiliani Donatiſtæ, cap. 58. *Si autem in adjutorium etiam terreni imperii leges aſſumendas puta-*

*ſtis, non reprehendimus : fecit hoc Paulus, cùm adversùs injurioſos Civem Romanum ſe eſſe teſtatus eſt.* Inde ſumptus eſt can. ſi in adjutorium. 10. diſt. Nec Judicem ſecularem agnovêre Martyres, quia patienter eum tulerunt; nimirum non ut Judicem, ſed hoſtem fidei, laureæ præbitorem ſpectarunt; Auguſtin. in Pſalm. 36. *Et dixit ſententiam Proconſul in Cyprianum. Alia eſt ſella terrena, aliud tribunal cœlorum*; unde ſumptus eſt can. etſi. 11. qu. 3. Nec melioris notæ argumentum eſt, quòd Chriſtus traditus Pilato non detrectavit ejus judicium, imò lubens eum ſuſcepit: hoc enim ſingulare myſterium eſt, non judicium; & Chriſtus ſeipſum tradidit Gentili, qui nullam poteſtatem in ſe habebat, nè deficeret inſtrumentum humanæ redemptionis, ſicut ſcriptum eſt Epheſ. 5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis hoſtiam & oblationem Deo in odorem ſuavitatis.* Et totum hoc factum eſt extra ordinem ſpeciali nutu Dei propter ſalutem hominum, ſicut dixit Chriſtus ipſe ad Pilatum, Joann. 19. *Non haberes poteſtatem adversùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Ac nè dubites Paſſionem Chriſti conſensûs fuiſſe patientis, non poteſtatis Præſidis; Chriſtus ipſe qui tot plagis percuſſus ſiluit, & ſicut ovicula coram tondente obmutuit, interrogatus à Pilato an eſſet Rex Judæorum, nè minor videretur ait: *In hoc natus ſum.* Joann. 18. Erat ſub Judice, cædebatur à Judæis Chriſtus, cùm Sol contumeliam Domini perhorreſcens occidit, terra contremuit, elementa omnia penè defecerunt; adeòque Paſſio Chriſti abfuit ab omni forma & imagine judicii, ut in ea omnes leges judiciorum everſæ ſint, cùm eum Pilatus dimittere vellet, intercedentibus Judæis, & uno clamore inſurgentibus: *Tolle, tolle, crucifige.* Et eadem, fuit ſæva & nefaria conjuratio Gentium & Judæorum adversùs Dominum, de qua fertur memorabile vaticinium David, Pſal. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus.* Et in judicio Chriſti, viſa eſt dumtaxat ſpecies judicii, reverà autem fuit latronum conſilium; Jo. Chryſoſtom. in Matth. Homil. 85. καὶ γὰρ σχῆμα ἦν, τῆς δικαιοσύνης μόνον, τὸ δὲ ἀληθὲς λῃστῶν ἔφοδος. *Figura enim ibi dumtaxat judicii erat, re autem ipsâ latronum impetus.*

Quartò, ſi ſpectemus judicia meliorum Principum, ab Epiſcopis judicandis omninò abſtinuêre, tamquàm extra ſortem rerum humanarum poſitis. Epiſcoporum invicem ſeſe accuſantium libellos in Synodo Nicenâ rejecit Conſtantinus hoc æternùm memorando reſponſo: *Vos a nemine dijudicari poteſtis, quia ad Dei ſolius judicium reſervamini*; can. continua. 11. qu. 1. & à Valentiniano perpetuâ lege ſancitum, nè Epiſcopi ad tribunalia ordinariorum, vel extraordinariorum Judicum pertrahantur: *Habent illi*, ait, *ſuos Judices, nec quicquam his publicis eſt commune cum legibus*; L. ult. C. Theodoſ. de Epiſc. Judic. è quâ contexta eſt pars d. can.

continua. Et hujusmodi legem probarunt Magistratus; Augustin. contra Crescon. libr. 4. cap. 48. *Seranus Proconsul dixit : Lis Episcoporum secundùm legem ab Episcopis audienda est.* Et quòd Constantinus Cæciliano à Donatistis accusato de traditione chartarum Ecclesiæ, alios atque alios Judices dedit, non fiduciâ potestatis id fecit, sed potiùs intemperanti studio conciliandæ pacis Ecclesiasticæ; Optat. libr. 1. contr. Donatist. Augustin. epist. 162. & 266. & idem libr. 3. contra Crescon. Nec non pulcherrimo Canonum cum Legibus concentu, nè Episcopi in civilibus vel criminalibus causis ad quemvis Judicem civilem seu militarem producantur, districtè vetitum Judici, indictâ pœnâ amissionis cinguli; can. nullus Episcopus. 11. qu. 1. Non sine causa gladium traditum potestatibus secularibus, sed in alios quàm Sacerdotes ait Augustin. epist 160. ad Apringium Judicem : *De vobis quidem dixisse Apostolum legimus, quòd non sine causâ gladium geratis, & ministri Dei sitis vindices in eos qui malè agunt : sed alia causa est Provinciæ, alia est Ecclesiæ.* Et quàm turpe sit causas Episcoporum in foro agitari submovet idem Augustin. libr. 4. contra Crescon. cap. 3. *Nonnè melius, obsecro te, causa veritatis & unitatis pacificis verbis & pacatioribus locis inter Episcopos ageretur, quàm in foro ab Episcopis per advocatos litigaretur?* In eandem sententiam, nihil commune esse gladio & spiritui, id est, potestates non stringere gladium, (quod est proprium insigne Magistratûs) in Sacerdotes eleganter ait Gregor. Nazianz. epist 227. καὶ γὰρ ὥσι χριστιανοὶ, οἱ τῶν τοιούτων κοινωνοὶ τὶ κοινὸν ξίφει, καὶ πνεύματι. *Nam etsi sint Christiani hujusmodi negotiorum judices, quid commune gladio & spiritui?* Hoc jure Prætextatus, Ursicinus, Salonius, Sagittarius, & alii Episcopi Galliarum variis de criminibus etiam majestatis postulati, peregrina, id est, secularia judicia non tulêre; nec alibi quàm in Synodo Episcoporum damnati sunt, ut suprà à nobis observatum ex Gregorio Turonensi, & aliis : & confidentibus Episcopis in causa Prætextati Aëtius Archidiaconus Parisiensis in medium se sistere coram his non dubitavit, eosque hortari, nè Episcopus per injuriam contra Canones damnaretur; Idem Gregor. Turonensis libr. 5. cap. 19. *Confabulantibusque nobis subitò advenit Aëtius Archidiaconus Parisiacæ Ecclesiæ, salutatisque nobis ait : Audite me, ô Sacerdotes Domini qui in unum collecti estis; aut enim hoc tempore exaltabitis nomen vestrum, & bonæ famæ gratiâ refulgebitis; aut certè nullus vos amodò pro Dei Sacerdotibus est habiturus, si personas vestras sagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis.*

Quid : multis post seculis unus è nostris Regibus Carolus VIII. captis Episcopis Petrocoriensi, & Montalbanensi, obsuspicionem coïti concilii cum Duce Aurelianensi & Comite Dunensi, qui erant partium Ducis Britanniæ, valdè laboravit quo Judice in eos experiretur; & Juridici ci-

vilis poteſtate eos ſolutos eſſe ſentiens, Officialem Archiepiſcopi Turonenſis adhibuit ut audirentur, ut narrat Auctor vernaculus vitæ Caroli VIII. ad ann. 1486. *Pareillement audit mois de Janvier* 1486. *le Roy feut adverti que les Eveſques de Perigueux ſurnommé de Pompadour, & de Montauban ſurnommé de Chaumont, & les Seigneurs d'Argenton & de Bucy freres dudit Eveſque de Montauban avoient aucune intelligence avec Monſeigneur d'Orleans, & Monſeigneur de Dunois, & autres qui eſtoient en Bretaigne, & leur faiſoient ſçavoir toutes nouvelles de Cour. Et à cet cauſe à un matin le Roy les feit conſtituer priſonniers, & à chaſcun bailla garde, & les feit mettre en lieu ſeur: & à interroguer les Eveſques, les Officiers de l'Archeveſque de Tours furent appellez, & les faiſoit le Roy bien traicter pour l'honneur de l'Egliſe.* Vocatus eſt Officialis Turonenſis ut audirentur Epiſcopi, non quaſi idoneus Judex eſſet, ſed quaſi minùs alienus, ut aliquatenùs conſuleretur dignitati & pudori ordinis Epiſcopalis, amoto ſeculari Judice.

Denique Epiſcopi ita ſunt expertes Juriſdictionis ſecularis, ut Epiſcopus damnatus à Judice ſeculari non habeatur pro damnato: inde cùm Hilarius Pictavienſis Epiſcopus exularet in Phrygiâ, indictâ Synodo Seleucianâ ipſe inter cæteros Epiſcopos datâ evectionis copiâ adeſſe juſſus eſt; Sulpit. Sever. libr. 2. hiſt. ſacr. *Quâ tempeſtate Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, quartum jam exilii annum in Phrygia agens, inter reliquos Epiſcopos, per Vicarium ac Præfectum datâ evectionis copiâ, adeſſe compellitur, &c.* Inde Prætextatus abſque ſententia Epiſcoporum juſſu Chilperici deportatus in Inſulam, apud Gregor. Turonenſ. libr. 8. cap. 31. *Ego*, inquit, *ſemper in exilio, & extra exilium Epiſcopus fui, ſum & ero.* Judices ſeculares in Commonitorio quod nuper legi, ut Principem vocent in partem conſilii evacuandæ Juriſdictionis ſimul & dignitatis Epiſcopalis, & Epiſcopos tamquam vernulas ſubjiciendi foro ſeculari, eos de fide & obſequio ſuſpectos facere nituntur, quaſi de dignitate certent cum Regibus. Sed ô probrum! ô infandum maledictum! Epiſcopi quotidiè orant pro Regibus; Epiſcopi quaſi interceſſores exiſtunt inter Deum & Principem; Epiſcoporum una cum Apoſtolo vox eſt, Principibus parendum etiam dyſcolis; denique Chriſtus typus Epiſcoporum receſſit in montem, nè Rex fieret; Ambroſ. in epiſt. 33. ad Marcellinam Sororem: *Veteri jure à Sacerdotibus donata Imperia, non uſurpata: & vulgò dici quòd Imperatores Sacerdotium magis optaverint, quàm imperium Sacerdotes: Chriſtus fugit, nè Rex fieret.* Faceſſat igitur à ſanctiſſimis Epiſcopis invidia; faceſſat ſecularis calumnia; Pontificio relinquatur ſuus honor, ſuum decus. Audite, Judices, Deum principem Sacerdotii ita canentem, Pſalm. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Qui Apoſtolos in manibus habebant, quid

de his facerent dubitarunt, inter se quærentes : *Quid faciemus viris istis?* Act. Apostolor. 4. Judæi dubitarunt manum mittere in Apostolos, eos Jurisdictionis suæ expertes esse intelligentes etiam alieni sacerdotii beneficio : Episcopos Christi Vicarios, Apostolorum successores, quo pacto vos, ô Christiani Judices, judicabitis, qui judicandi estis ab ipsis Apostolis Christo assessuris in novissimo die judicii, quibus à Christo Domino dictum est Matth. 19. *Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël* : unde & Dominicæ promissionis fiduciâ, Apostolus 1. Cor. 6. *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt?* Episcopi suos Judices habent etiam ex lege Regni, & ex Concordato quod vim legis obtinet ; tit. de frivolis appellationib. Causæ Episcoporum primùm disceptari debent apud proprios Judices, id est, Metropolitanum & Comprovinciales ; & si ab his appellandum duxerint ad Sedem Apostolicam, causa appellationis peragi debet per Judices à Sede Apostolicâ delegatos in partibus. Quæ ergo in causis Episcoporum sunt partes Judicum secularium ; cùm Episcopi in prima instantia habeant proprios Judices à Canone datos, & in causa appellationis Judices in partibus quidem, verùm non alios quàm à Sede Apostolicâ delegatos?

## CAPUT XII.

### *An Judex secularis possit injungere Judici Ecclesiastico, ut excommunicatum absolvat ad cautelam.*

AN Judex secularis possit injungere Judici Ecclesiastico, ut excommunicatum absolvat ad cautelam, quæritur. Fevretius. libr. 1. cap. 2. num. 40. præter omnem rationem juris & disciplinæ Ecclesiasticæ affirmat posse : quod nimis erubescendum est. Primò, excommunicatus à suo Episcopo non potest absolvi ab alio : ejus est solvere, cujus & ligare ; ex Conc. Antiochen. can. 6. can. si quis à proprio. 11. qu. 3. Conc. Eliberit. can. 53. cap. ad reprimendam, de offic. Ordinar. Ergo Magistratûs civilis autoritas non potest interponi, ut Ordinarius excommunicatum absolvat ad cautelam. Secundò, absolutio ad cautelam non potest fieri sine summariâ saltem causæ cognitione : ea quidem non debet denegari petenti, ubi dubia est causa excommunicationis, sed requiritur causæ cognitio ; cap. solet. cap. per tuas, de sentent. excommunicat. in 6. Igitur cùm res causæ cognitionem desideret, non est adeundus Judex secularis, sed Ecclesiasticus qui causâ cognitâ beneficium absolutionis impensurus est.

Tertiò, si Episcopus leviori de causa excommunicatum absolvere noluerit, post monitionem, à vicinis Episcopis ejusdem Provinciæ, absolutio illi non est deneganda usque ad tempus proximæ Synodi; ex Conc. Agath. can. 3. can. Episcopi 11. qu. 3. vel Metropolitanus potest adiri, qui excommunicatum absolvet ad cautelam, præstitâ cautione standi judicio, & parendi sententiæ; d. cap. per tuas, & cap. venerabilibus, eod. tit. Igitur in ea re nullæ sunt partes Judicis secularis, & recusante Ordinario beneficium absolutionis ad cautelam, adeundus est superior, id est, Metropolitanus, vel viciniores suffraganei qui sunt vice Metropolitani, per viam querelæ. Quartò, nefas est Judici seculari cognoscere de meritis sententiæ Judicis Ecclesiastici; cap. ult. de except. in 6. Hac ratione inter nefanda Juliani Apostatæ refertur, quòd Christianos amotos à Communione Ecclesiastica, vel Antistites depositos restitui jubebat callido consilio, ut excommunicationis vel depositionis vim, quam satis rebus nostris edoctus sciebat esse nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, convelleret: Jo. Chrysostom. in vita S. Babylæ Antiochen. Episcopi & Martyris: *κακοῦργος δὲ ὤν, καὶ δεινός τοὺς ὑπὸ ἀρλόνπον τῆς ἐκκλησιας κακολαστιενους δι' ἁμαρτίας τινὰς καὶ τῆς ἀρχῆς ἐνζεζλημένους πάντας πάντοθεν ἠφίει τούτω τῷ τρόπῳ τοῖς τε πονα-ραστάτοις ἐξουσίαν διδους, καὶ τοὺς τῆς ἐκκλησίας ἀνατρέπων θεσμοὺς. Proinde vafer & callidus cùm esset, quos intelligebat ob peccatum aliquod à Christianorum conventuum principibus pœnas dedisse, & à Præfectura quam gererent amotos, eos omnes liberos esse sinit; hoc modo pessimis quibusque licentiam largiens, Ecclesiæ leges subvertens.* Quintò non licet Magistratui seculari prohibere Judici Ecclesiastico, ut quem excommunicet, vel inflictam excommunicationem solvat; Conc. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 3. quod transfusum est in Constitutionis Melodunens. art. 23. Si hujusmodi licentia detur Judici seculari indicendi Judici Ecclesiastico absolutionem ad cautelam, ex eo sequetur contemptus & ludibrium excommunicationis quæ est nervus & robur Ecclesiasticæ disciplinæ, ut fatetur etiam è secularibus Lucius libr. 2. tit. 2. arr. 9. facilitate veniæ contemnitur pœna, & facilè spernetur excommunicatio, si præstò sit remedium, vel potiùs effugium absolutionis ad cautelam. Olim certè religiosiùs actum est cum Ecclesiâ, nec solebat Senatus Judici Ecclesiastico injungere absolutionem ad cautelam, sed pro reis intercedere apud Judicem Ecclesiasticum. Hoc pacto Senatus Gratianopolitanus quempiam excommunicatum reddidit Officiali Viennensi, comiter adhortando ut ei jus diceretur super causa excommunicationis, & interim absolveretur ad cautelam; Marcus qu. 29. part. 2.

## CAPUT XIII.

*Pœnæ statutæ in perfringentes Jurisdictionem Ecclesiasticam. Privilegium ne Magistratus excommunicentur, civiliter interpretandum. Officium Christiani Principis est tueri Jurisdictionem Ecclesiasticam.*

JURISDICTIO Ecclesiastica suâ religione tutâ & incolumis vigere debet; & Judices seculares suis finibus contentos eâ abstinere convenit tamquam re sacrâ, & prophanis non attingendâ. Hac lege Christus, ut sacerdotibus servaret quod suum erat, cùm Leprosum curavisset, eum remisit ad Pontifices: *Vade*, inquit, *ostende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses pro emundatione tua*; Matth. 8. & Luc. 5. Sed quia seculares Judices plerumque Jurisdictionem Ecclesiasticam per omnia evacuare nituntur, officii & religionis nimium immemores, Ecclesia suam Jurisdictionem & libertatem variis pœnis tum spiritualibus, tum temporalibus tueri necesse habuit. Hinc infringentes Jurisdictionem & libertatem Ecclesiasticam, sententiam excommunicationis incurrunt; cap. non minùs. cap. adversùs, de immunit. Eccles. Eadem pœnâ percelluntur servantes, aut servari cavente statuta edita contra libertatem Ecclesiæ; cap. noverit. cap. gravem, de sentent. excommunic. ut & per injuriam personas Clericorum detinentes; cap. quicumque, eod. tit. in 6. Nigellum de Sackevilla incubatorem Ecclesiæ de Herges, & Robertum de Broc, quòd equum saginarium ipsius per injuriam caudâ detruncasset, solemniter excommunicavit Thomas Cantuar. Archiepiscopus; Matth. Paris ad ann. 1171. *B. Thomas Cantuar. Archiepiscopus sermonem habiturus ad populum in die Dominicæ Nativitatis, pulpitum ascendit; & sermone completo, Nigellum de Sackevilla Ecclesiæ de Herges violentum incubatorem & ejusdem Vicarium Ecclesiæ, Robertum quoque de Broc, qui equum quendam ipsius Archiepiscopi victualia deferentem, ad dedecus & ignominiam ejus decurtaverat, solemniter excommunicavit.* Præter excommunicationis pœnam, usurpantes Jurisdictionem & libertates Ecclesiæ etiam multantur feudis quæ ab Ecclesia obtinent; d. cap. gravem. cap. ubi periculum, de elect. in 6. Aufrer. de potest Eccles. super laïcos, num. 62. & 65. Belluga in specul. de propositi. princip. §. item dubitatur. num. 2. 3.

Hæc omnia facilè contemnuntur ab officialibus Regiis ſibi ſecuris edicto Caroli V. & privilegio Apoſtolico, nè officiales Regii excommunicari poſſint pro actu exercitii Juriſdictionis temporalis, de quo monumenta libertatum Eccleſiæ Gallicanæ tom. 2. cap. 5. & Ferald. de privilegiis regni Francor. privileg. 6. & legibus Anglicis nè qui à Rege feuda tenent in capite, eo inſciente excommunicentur, de quibus Eadmer. libr. 1. Hiſt. novell. & Matth. Paris ad ann. 1163. & 1164. Sed pace Judicum ſecularium dixerim, Edicta Principalia & privilegia Pontificia, utraque civiliter interpretanda ſunt; puta uti ſi Magiſtratus quid fecerit officio Magiſtratûs, non tenetur lege Aquiliâ vel injuriarum, ſed ſi per injuriam quid fecerit fiduciâ Magiſtratûs, nihil vetat eum conveniri; L. quemadmodum. §. magiſtratus. ff. ad leg. Aquil. L. injuriarum §. quæ jure poteſtatis. L. nec Magiſtratibus, de injur. Ita & ſi idem officio Magiſtratus ex neceſſitate officii quid faciat, non debet excommunicari; ſed ſi fiduciâ poteſtatis quid violentius fecerit, & in Juriſdictionis Eccleſiaſticæ fines irruperit, non video quo pacto poſſit effugere excommunicationem. Eſto, parcatur dignitati Magiſtratûs, ut tutus ſit ab excommunicatione lata ab homine; quâ tamen ratione evitaturus eſt excommunicationem latam à Canone? Non pertinet ad Edictum injurioſa rapina Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, nè impunè liceat Magiſtratibus conculcare Juriſdictionem Eccleſiaſticam. Beneficium Principis non eſt interpretandum in necem & injuriam Eccleſiæ, quia boni Principis eſt tueri & defenſare Eccleſiam; can. boni Principis. 96. diſt. can. Maximianus. 23. qu. 5. can. Principes. ead. cauſ. qu. 5. can. tributum. ead. cauſ. qu. 8. Ivo Carnotenſ. epiſt. 49. *Habet enim legitimus Principatus Eccleſiarum quieti providere, non Eccleſiarum quietem perturbare; ſua dare, non ſuis ſpoliare: quatenùs Eccleſia Deum pro Principibus & poteſtatibus orans, non cum diſceptatione hoc faciat, ſed cum pietate.* Et Anſelmus Cantuar. lib. 3. epiſt. 65. ad Guibertum Comitem & Marchionem: *Ergo, mi Domine, ne putetis Eccleſiam quæ in veſtro principatu eſt, vobis eſſe datam in hæreditariam dominationem, ſed in hæreditariam reverentiam, & in tuitionem: eam ut matrem veſtram amate, ut ſponſam & amicam Dei honorate.* Exemplo Clementis III. ſimile privilegium conceſſum eſt ab Innocentio III. inſtante Henrico Rege Hungariæ, nè ipſius Conſiliarii, vel familiares excommunicentur. Sed hoc modo adhibito, nè excommunicentur niſi pro manifeſtâ & rationabili cauſâ, & poſt canonicam monitionem, ut tradit ipſe Innocent. libr. 1. epiſt. 507. ad Epiſcopos Hungariæ: *Sanè poſtulavit nuper concedi ſibi à nobis ad inſtar bonæ memoriæ Clementis Papæ prædeceſſoris noſtri regia celſitudo, ut nullus Archiepiſcopus, vel Prælatus quilibet in familiares & Conſiliarios ſuos, de*

*quorum*

*quorum absentiâ & privatione tam Regnum Hungariæ, quàm persona Regis possit incurrere detrimentum, excommunicationis sententiam promulgaret. Nos ergo de benignitate Sedis Apostolicæ, Magnificentiæ Regiæ uberiorem volentes favorem & gratiam impertiri, universitati vestræ authoritate præsentium duximus inhibendum, ut in Consiliarios & familiares ipsius, quorum in hac tempestate consilio & familiaritate sine magno sui dispendio carere non potest, nullus vestrûm nisi pro manifestâ & rationabili causâ, & canonicâ monitione præmissâ, excommunicationis vel interdicti sententiam audeat promulgare.* An injuriosum & grave erit Magistratibus, privilegio nè excommunicari possint, hunc modum imponi, ut non excommunicentur nisi pro manifestâ causâ, & post canonicam monitionem? Eò res pervenit, ut passim impunè pessumdetur Jurisdictio Ecclesiastica: nonnè pietati & nomini Christianissimorum Regum convenit, ut Ecclesiasticæ Jurisdictioni jam ferè prostratæ & semineci consuletur? Rem dignam providentiâ Regum agnovit unus è clarissimis Senatoribus Galliæ Cosmas Guismierius Præses Parisiensis in Pragmatic. in proëm. §. cùm itaque, verb. libertatis: *Cùm autem*, inquit, *Rex Franciæ sit pugil Ecclesiæ, & inter omnes Christianos Christianissimus, debet custodire Jurisdictiones & libertates Ecclesiasticas: sed Officiarii ejus in multis hodie turbant Ecclesiam in prædictis, ita quòd, nisi Deus provideat, tandem Jurisdictio & libertates Ecclesiæ evanescent, &c.*

## CAPUT XIV.

### *Episcopi præter ordinariam Jurisdictionem habent delegatam à Canone, vel ex mandato Summi Pontificis. Ordinarius judex Exemptorum. Conservatores Apostolici.*

JURISDICTIO Episcopalis alia est ordinaria, alia delegata. Jurisdictio ordinaria est quæ competit Episcopo jure suo, jure sacerdotii seu sacri Magistratûs, qui eam habet jure suo, non alieno beneficio, id est, ex mandato; L. more majorum. ff. de juridict. L. 1. §. qui mandatum, de offic. ejus cui mandat. est jurisdict. L. cùm Prætor, de judic. Delegata est quam Episcopus habet non jure suo, sed authoritate Sedis Apostolicæ, id est, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus à Canone, vel ex mandato speciali: ut Episcopus cognoscit de hæresi in Exemptos, non ut Ordinarius, sed tamquàm Sedis Apostolicæ delegatus; cap. ad abolendam, in fin. de hæretic. Conc. Trident. sess. 5.

de reformat. cap. 2. §. si verò. Et si Canonici sine manifestâ & rationabili causâ, maximè in contemptum Episcopi, cessaverint à divinis, Metropolitanus tamquàm Apostolicæ Sedis delegatus potest eos censuris Ecclesiasticis coërcere; cap. irrefragabili. §. cæterum, de offic. Ordinar. Monasteria vel alia loca pia non exempta, authoritate ordinariâ exempta authoritate Apostolicâ per Ordinarium visitari possunt; Clem. attendentes, de stat. Monach. Clem. quia contingit, de religios. domib. Conc. Trident. sess. 22. de reformat. cap. 8. & sess. 24. ejusd. cap. 11. Clausuram Monialium in Monasteriis subjectis ordinariâ, in exemptis Apostolicæ Sedis authoritate observare, vel restituere potest Ordinarius; cap. periculoso. §. ult. de stat. regular. in 6. Conc. Trident. sess. 25. de reform. cap. 5. In causis civilibus mercedum, & miserabilium personarum, Exempti licet proprios Judices seu conservatores à Sede Apostolicâ delegatos in partibus habeant, coram locorum Ordinariis tamquam à Sede Apostolicâ delegatis conveniri possunt, & ad solvendum compelli; Conc. Trident. sess. 7. de reform. cap. 14. de quibus Barbosa de offic. & potest. Episcop. allegat. 105. part. 3. Et si Regulares Beneficia ad suam collationem spectantia non conferant intra tempus Lateranensis Concilii, collatio devolvitur ad Episcopum, in non exemptis tamquam Ordinarium, in exemptis tamquam Apostolicæ Sedis delegatum; Clem. quia regulares, de supplend. neglig. Prælat. Hujusmodi delegatio cùm fiat à Canone sine mandato, habetur pro Jurisdictione ordinaria; arg. d. L. cùm Prætor: & hoc verbo, id est, colore delegationis Apostolicæ usum Pontificem ad placandos Exemptos, id est, nè videretur tollere exemptiones, ait Hostiensis, & post eum Jo. Andreas in d. cap. ad abolendam. Episcopus habet propriè delegatam Jurisdictionem, ubi causa delegatur Ordinario mandato speciali. Rescripta omnia seu Commissiones Apostolicæ diriguntur Ordinariis loci ad quos spectat Jurisdictio de jure aut consuetudine, aliàs provocatur tamquam ab abusu juxta Pragmatic. & Concordat. tit. de causis. Chopin. de sacra polit. libr. 2. tit. 4. num. 5. Pileo purpurato donatus est Ægidius Rigaldus de Rociaco, ex Abbate Sancti Dionysii Cardinalis designatus, per manus Episcoporum Laudunensis & Parisiensis ad hoc à Summo Pontifice delegatorum per Bullam, idque Parisiis coram Rege in regio Palatio; Jo. Froissard. vol. 1. cap. 153. *Le jour de Pasques fleuries qui furent le dixiesme jour d'Avril* 1351. *feut presenté à Gilles Rigaud de Roussi, qui avoit esté Abbé de Saint Denys, & de nouvel avoit esté Cardinal, le Chappel rouge au Palais à Paris en la presence du Roy Jean, par les Evesques de Laon & de Paris, & par mandement du Pape fait à eux par Bulle: ce qui n'avoit point accoustumé estre autrefois fait, mais ce fut en la presence du Roy Jean.* Rescripta seu mandata Apostolica executioni man-

dantur ſecundùm Juriſdictionem ordinariam ; & ubi cauſa demandatur Ordinario, excitata potiùs cenſetur Juriſdictio ordinaria, quàm delegata; cap. licet, & ibi not. de offic. Ordinar. cap. cum aliquibus, de reſcript. in 6. Marc. deciſ. 196. part. 1. Loëtius in litt. D. num. 49. Exempti quidem ſuum habent Judicem Summum Pontificem, nè ſint quaſi acephali, & velut locuſtæ ſine Rege ; can. nulla. 93. diſt. can. Abbatibus. 18. qu. 2. Ciſtercienſibus exprobrantibus Cluniacenſibus quòd Diœceſanorum Epiſcoporum ſuffugerent Juriſdictionem quaſi acephali, id eſt, ſine capite, Cluniacenſes non carere proprio Epiſcopo, nimirum Summum Pontificem eſſe Ordinarium Exemptorum, ait Petrus Cluniacenſ. in apolog. *Hunc unum ſolum*, inquit, *& maximum nos habere Epiſcopum gloriamur, huic ſoli ſpecialiter obedimus, ab hoc ſolo, ſi cauſa (quod abſit) exigeret, interdici, ſuſpendi, atque excommunicari poſſemus.* Idem alii Abbates exempti; Goffrid. Vindocinenſ. libr. 2. epiſt. 27. *Acephali non ſumus, quia Chriſtum ſalvatorem caput habemus, & poſt ipſum Romanum Pontificem.* Summus Pontifex eſt Ordinarius Exemptorum : Exemptis tamen à Pontifice dari ſolet proprius Judex in partibus, quem vocant Conſervatorem ; cap. 1. & ult. de offic. delegat. in 6. Conc. Trident. ſeſſ. 14. de reform. cap. 5. ſed ſi Conſervator negligat fungi officio ſuo, nè exemptiones dent occaſionem relaxationis diſciplinæ, Diœceſanus tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatus ſupplet negligentiam Conſervatorum.

## CAPUT XV.

### *Juriſdictio temporalis Epiſcoporum. Vicedominus Vicarius Epiſcopi in temporalibus. Miſſi dominici.*

Episcopi præter Juriſdictionem Eccleſiaſticam quam habent de jure vel conſuetudine ; cap. ult. de except. in 6. cap. quoniam, de immunitat. Eccleſ. eod. tit. habent etiam Juriſdictionem temporalem ratione Regalium, id eſt, feudorum & ditionum temporalium quas tenent beneficio Regis vel Principis ; cap. verum, de foro competent. cap. Romana. §. debet, de appellat. in 6. cap. ult. nè Cleric. vel Monach. eod. Ita Epiſcopus Pariſienſis habet Juriſdictionem temporalem, & gerit vicem Comitis Pariſiis in certa regione urbis, & habet ſuum forum temporale, quod vocant forum Epiſcopi ; Gloſſ. & DD. in cap. quod Clericis, de foro competent. & Summus Pontifex in Patrimonio Beati Petri; cap. per venerabilem, qui fil. ſint legitim. cap. ſi duobus. §. denique, & ibi Ho-

ſtienſis de appellat. nec non alii inferiores, putà Abbates, & Monachi: & hoc eſt de quo Ciſtercienſes increpat Alexander III. in cap. recolentes, de ſtat. Monach. quòd fidelitates & hominia benignè ſuſcipiunt, juſtitiarias & tributarias tenent. Licet hujuſmodi Juriſdictio quam Epiſcopi vel inferiores Prælati habent, verſetur in temporalibus; tamen de jure habetur pro ſpirituali, favore perſonarum ad quas ſpectat, & ab Epiſcopo in temporalibus non appellatur ad Principem, vel Judicem regium, ſed ad Metropolitanum; d. §. debet: Juriſdictio temporalis ſpirituali juncta, naturam ſpiritualis ſapit; Hoſtienſ. in ſumma, tit. de appellat. §. à quo & ad quem, verb. ſed pone. Bened. in cap. Raynut. verb. & uxorem. deciſ. 1. num. 9.

Eodem jure olim Epiſcopi Juriſdictionem temporalem exercebant per unum è Clericis, cui nomen erat Vicedominus, quaſi Vicarius Domini, id eſt, Epiſcopi; Gregor. I. libr. 9. epiſt. 66. in can. volumus. 89. diſt. *Volumus ut frater noſter Paſchaſius & Vicedominum ſibi ordinet & Majorem domûs, quatenus poſſit vel hoſpitibus ſupervenientibus, vel cauſis quæ eveniunt idoneus & paratus exiſtere.* Et Concil. Moguntin. 1. can. 50. *Omnibus igitur Epiſcopis, Abbatibus, cunctoque Clero continuò præcipimus Vicedominos, Præpoſitos, Advocatos ſive defenſores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, non falſitatis amantes, ſed Deum timentes, & in omnibus juſtitiam diligentes.* Et Concil. Rhemenſ. I. can. 24. *Ut Præpoſiti & Vicedomini ſecundùm Canones & regulas conſtituantur.* Ejuſdem argumenti eſt Capitulare Caroli Magni libr. 3. cap. 11. *De Advocatis, Vicedominis, Vicariis & Centenariis pravis ut tollantur, & tales eligantur quales & ſciant & velint juſtè cauſas diſcernere, & terminare.* Et aliud libr. 5. cap. 120. *Et ſi Judex publicus ſervum Eccleſiæ ſuper furto non præſumentem, ſine audientia Vicedomini aut Archidiaconi detinere, aut injuriare præſumpſerit, anno integro ab Eccleſiæ limine arceatur.* Et quia parum eſt jura condere, niſi ſint qui jura tueantur; L. 2. §. poſt originem. ff. de origine jur. à Carolo Magno Miſſi deſtinati per univerſas Provincias ditionis ſuæ, quibus in mandatis fuit inter alia obſervare, ut Epiſcopi idoneos Vicedominos & Advocatos haberent, qui juri dicundo præeſſent; Flodoard. hiſtor. Rhemenſ. libr. 2. cap. 18. *Sicut & alii quidam ſapientes, & Deum timentes habebantur Abbates per omnem Galliam & Germaniam à Præfato Imperatore delegati, quò diligenter inquirerent qualiter Epiſcopi, Abbates, Comites, & Abbatiſſæ per ſingulos pagos agerent, qualem concordiam & amicitiam ad invicem tenerent, & ut bonos & idoneos Vicedominos & Advocatos haberent, & undecumque neceſſe fuiſſet, tam regias quàm Eccleſiarum Dei juſtitias, viduarum quoque & orphanorum, ſed & cæterorum hominum inquirerent & perficerent.* Laudunenſis

Vicedomini judicium in quamdam mulierem ob homicidium dictum celebrat Sigebert in Chronic. ad ann. 1094. *Quo audito parentes hominis occisi, properantes nunciaverunt Vicedomino Laudunensi: jubente Vicedomino vocata mulier venit, & qualiter hominem occidisset, nequaquam celavit. Judicatum est igitur eam ignibus debere concremari.* Hac de causa fortè in Vicedominum Sabinensem super causa juris Patronatûs compromissum legitur; in cap. examinata, de judiciis. & cap. examinata, de confirmat. util. quòd is propriam, id est, temporalem Jurisdictionem haberet. Sed in Gallia ex Constitutione Philippi pulchri anni 1303. Episcopi, Abbates, & alii inferiores Prælati qui habent Jurisdictionem temporalem, vetantur ordinare Judices temporales è Clericis, sed è laïcis tantùm; quò si deliquerint in officio, faciliùs coërceri possint. Et à judicibus Episcoporum in temporalibus non appellatur ad Metropolitanum, sed ad Seneschallos vel alios majores Judices regios; imò ubi Ecclesia habet Jurisdictionem temporalem, causæ judicantur secundùm leges, non secundùm Canones, nec servatur cap. quod Clericis, de foro competent. Gloss. in cap. ult. verb. tam canonica quàm civilis, de præscript. Speculator tit. de appellat. §. nunc tractemus in fin. Gloss. in d. §. debet. Bened. in verb. & uxorem. 2. decis. num. 25. 26. Chopin. de sacra polit. libr. 2. tit. 2. num. ult. & idem 1. Monastic. tit. 3. num. 19.

## CAPUT XVI.

*Notantur querelæ Secularium de usurpationibus Judicum Ecclesiasticorum. Invidiosa potestas Episcoporum. Commendatur Officialium scientia. Laudatur judicium Philippi Valesii. Rex defensor Ecclesiæ.*

Variæ per tempora increbruêre Secularium querimoniæ in Episcopos & Clericos de civilis Jurisdictionis usurpatione: nimirum non æquo animo ferebant Judices seculares, Clericos proprios habere Judices; unum & idem esse volebant forum Clericorum & Secularium, quòd Ecclesia sit in Republica, & pars Reipublicæ, ex Optato Milevitano libr. 3. Iidem perstringebant præsumptionem Clericorum, quòd seculari foro se subduxissent, quò de gravioribus delictis impunè eis esset; cùm Ecclesia nesciret sanguinem, & mitiores essent pœnæ canonicæ, Jurisdictionis Ecclesiasticæ moras & inducias non ferebant: *Episcoporum justitia jubilæa &*

*valdè tarda est*, ait Benedict. in cap. Raynut. verb. & uxorem decis. 2. num. 156. Alienum videbatur, quòd Episcopi certis de causis cognoscerent in laïcos, putà de contractibus propter religionem jurisjurandi quod his apponebatur, de dote quòd esset pignus & accessio matrimonii, & reconventioni locus esset in foro Ecclesiastico. Denique insanæ voces jactabantur Ecclesiam ducere aquam ad suum molendinum; Bald. in L. 1. C. de oper. libert. *Domini mei Canonistæ dicunt*, inquit, *quòd in dubiis spiritualibus Ecclesia cognoscit, & quicquid est dubium trahunt ad suum molendinum.* Quod repetiit Aufrer. de potest. secular. super Eccles. regul. 4. fall. 4. Sed facilè mihi erit hujusmodi calumnias & suspiciones diluere. Primò, dolenda est sors Episcoporum & Clericorum, quos nimis notum est expositos esse odiis & livori Secularium propter Sacerdotii dignitatem. Nè fratrum quidem, Mariæ sororis & Aaronis convicia & susurros effugit Moyses Rex & Sacerdos à Deo electus; de quo eleganter Gregor. Nyssen. τοσοῦτον γέ ἐστιν αὐπρόσκρουσον προστασία λαοῦ καὶ τὸ διδασκαλικὸν ἐπιτήδευμα. *Usque adeo populi Præfectura, docendique munus res est offendiculis obnoxia.* Et Jo. Chrysostom. de Sacerdot. libr. 3. cap. 57. τὸ τῶν κρίσεων μέρος μυρίας μὲν ἔχει τὰς ἐπαχθείας πολλὴν δὲ τὴν ἀσχολίαν, καὶ δυσκολίας τοσαύτας, ὅσας οὐδὲ οἱ τοῖς ἔξωθεν δικάζειν καθήμενοι φέρουσι. *Judiciorum pars mille habet odia, multas offensiones, & tam multas difficultates, quantas nè forenses quidem Judices subeunt.* Et idem libr. 4. de Sacerdot. cap. 82. ἀναγκη τῶν προεστωτα μεμφεις ὑπομενειν ἀλογους. *Necesse est Antistites absurdas querelas sustinere.* Hinc temerè non sunt accusandi Episcopi, qui quasi signum sunt positi ad sagittam; cap. qualiter. 2. de accusat. Nec laici facilè audiendi in Episcopos & Clericos, quia oppidò eis infesti existunt; can. laïcos. can. laïci. 2. qu. 6. Secundò, si rerum veritatem spectemus, si fortè Jurisdictio Episcopalis nonnulla incrementa accepit, non artibus & machinis Episcoporum & Clericorum id factum est, sed potiùs studio & devotione laïcorum ad ipsos certatim confluentium propter eorum famam, & laïcorum imperitiam. Nimirum laïci labentis ævi ita erant barbari & expertes litterarum, ut laïcorum nomen esset commune nescientibus litteras; Guillelm. Neubrigens. libr. 4. rer. Anglicar. cap. 3. *Laïci estis, si percipere non potuistis vim verbi.* Et Robert. Montens. in suppl. Sigebert. ad ann. 1123. *Laïcis & illiteratis vix loqui dignabatur.* Et Goffrid Vindocinens. libr. 3. epist. 8. *Ad cujus objecta Monachus, quia laïcus est, non latinâ quam non didicit linguâ, sed maternâ respondet.* Innocent. III. in cap. tuarum, de privileg. *Laïcos & illiteratos mittunt pro eleemosynis colligendis.* Et litterati vulgò Clerici dicebantur, ut in cap. quod Clerici, de foro competent. Otho Frisingens. de gest. Frideric. I. libr. 1. cap. 4. de Britannia minore; *Est enim prædi-*

*ita terra, Clericorum acuta ingenia & artibus applicata habentium, sed ad alia negotia penè stolidorum ferax.* Et Ordericus Vitalis libr. 3. *Radulphus autem quintus frater Clericus cognominatus est, quia peritiâ litterarum, aliarumque artium apprimè imbutus est.* Hujus rei ratio est, quia vix alii dabant operam litteris, quàm qui cogitabant de Clericatu; Stephan. Tornacens. epist. 12. *In Gallicanis etiam partibus ad hoc tantùm plerique litteras addiscunt, sive parvuli, sive adulti, ut in Ecclesia Dei gradatim per Ordines promoti, Deo serviant & ministrent.* Et Henricus IV. imperio destitutus ubi petiit præbendam ab Episcopo Spirensi, apud Helmodum hist. Sclavor. libr. 1. cap. 33. *Da ergo mihi*, inquit, *præbendam apud Spiram; novi enim litteras, & possum adhuc subservire choro.*

Per hæc tempora Officiales ferè erant principes litterarum. Cùm Legati Aquitaniæ missi sunt in Angliam, ut apud Richardum II. Regem expostularent de donatione Aquitaniæ facta Joanni Duci Lancastriæ, unus è potioribus legationis qui pro cæteris oravit, fuit Officialis Burdegalensis; de quo Jo. Froissard. vol. 4. cap. 62. *Remonstré & dit a esté par la parolle de l'un qui est, ce me semble, Official de Bourdeaux, & tous ceux de sa partie l'ont avoüé & par science, & a mis en termes que la Cité de Bourdeaux, &c.* Et ubi Carolus VII. Rothomagum urbem deditione post diutinam obsidionem ab Anglis recepit, unus ex oppidanis lectus est Officialis Episcopi, qui de deditionis conditionibus paciscereturr, tamquàm omnium idoneïor, & rerum gerendarum peritior; Alanus Quadrigarius scriptor vernaculus vitæ Caroli VII. ad ann. 1449. *Le lendemain ceux de ladite Cité de Roüen pour la grande paour, doubte & frayeur qu'ils eurent desdits assaulx, doubtans que ladite Ville ne fut prinse par force, & par ce pillée, robée, deffoulée, & destruite, pour éviter aussi l'effusion du sang humain qui s'en pourroit ensuir, envoyerent l'Official d'icelle Cité & autres audit Pont de l'Arche devers le Roy pour obtenir de luy un saufconduit, ou sureté pour aucuns notables Gens d'Eglise, Bourgeois, Marchands, & autres de ladite Cité, lesquels se vouloient transporter devers luy ou les Seigneurs de son grand Conseil, afin de traiter, ou trouver aucun bon appointement.* Etiam temporibus Ludovici XI. forum Parisiense Clericos admisit propter inopiam litteratorum, sedente in Senatu Rege Lusitanorum, qui à Rege adversùs Castellanum suppetias petiturus advenerat. Causam Regaliæ orarunt Francisc. Haleus Archidiaconus Parisiensis, idemque Advocatus fisci, & Petrus de Brabantio Advocatus & Plebanus S. Eustachii; de quibus Chronic. vernaculum ad ann. 1476. *Qu'il les faisoit moult bel oyr.* Nihil est igitur quod culpentur Officiales, quòd partibus ultrò sese adeuntibus præbuerint, ut lites quæ erant inter eos terminarent: imò magis laudandi fuêre singulari de pietatis officio, quo supplebatur officium civilis Judicis, nè pen-

riâ Judicis partes ferro & armis disceptarent. Damnantur moræ, & laxiores induciæ judiciorum Ecclesiasticorum: sed hæ optimo consilio excogitatæ, ut rei parati ad defensionem venirent; can. vocatio. can. præsenti. can. si Primates. 5. qu. 2. vel fortè ut tædio litis partes ad concordiam adducerentur, & litigantium animi defervescente litis calore conciliarentur. Nec propagandæ Jurisdictionis causâ admissæ sunt mutuæ petitiones in foro Episcopali, sed ut lites coërcerentur, & plures unâ sententiâ terminarentur; cap. 1. de mutuis petit. & hoc pacto consuleretur sumptibus & laboribus partium, qui maximè fuit scopus Judicis Ecclesiastici; cap. ut debitus, de appellat. Lubens & volupè audiuntur querelæ secularium Judicum de usurpatione civilis Jurisdictionis per Episcopos & Clericos; sed non obturandæ aures querelis Antistitum sacri Ordinis de usurpatione sacræ Jurisdictionis per laïcos, de quibus varia capita edidit Durandus Mimatensis Episcopus tract. de modo Concil. generalis celebrandi part. 2. rubr. 70.

Tempore Philippi Valesii mutuæ recruduêre querelæ inter Episcopos & Judices forenses, de usurpatione propriæ cujusque Jurisdictionis. Petrus Cugnerius Procurator fisci Senatûs Parisiensis belli incentor querebatur apud Regem universam ferè Jurisdictionem secularem ad Episcopale forum migrasse: è contra Episcoporum querela erat Jurisdictionem Ecclesiasticam penè defecisse. In celeberrimo utriusque ordinis consessu causa disceptata est coram Rege apud Vicennas, orante Petro Cugnerio pro secularis judicii vindiciis, Bertrando verò Heduorum Episcopo pro Ecclesia. Auditis partibus Princeps nè pravo exemplo esset posteris, Jurisdictioni Ecclesiasticæ nihil demendum duxit, ut legitur in calce libelli quem hac de re Bertrandus ipse edidit, cujus verba hîc attexere non pigebit: *Quod cùm Dominus Bituricensis significasset Prælatis Dominum Regem dixisse quòd non timerent Prælati, quia nihil suo tempore perderent, & quòd defenderet eos in suis juribus & consuetudinibus, quia nolebat tempore suo exemplum dare aliis Ecclesiam impugnandi, &c.* Sequiùs & malignìus rectum & honestum consilium Principis interpretatur Carolus Loyseau tractat. *des Seigneuries.* cap. 15. num. 85. Philippum rebus suis diffisum recens sopitâ lite de regno cum Anglis, factum dissimulasse, nè Episcoporum & Clericorum offensionem contraheret, & rebus novis moliendis occasionem daret: eâ enim tempestate res tutæ & compositæ erant in Gallia, de fide Episcoporum nulla suspicio erat; nec sine injuria siniströ interpretatione decolorari responsum Christianissimi Principis, cujus avitum officium fuisse Jurisdictionem Ecclesiæ tueri, testatur etiam è secularibus Benedict. in cap. Raynut. verb. & uxorem decis. 1. num. 10. *Jurisdictionem & bona Ecclesiæ Francorum Rex pugil Ecclesiæ potenti brachio tueri*

*semper*

*semper consuevit & defendere, &c.* Denique si Ecclesia aliquando propriæ Jurisdictionis terminos egressa est damno secularis, justæ ultionis modum longè excessêre Seculares: uno enim ictu tota Jurisdictio Ecclesiastica ferè corruit, id est, uno capite Constitutionis regiæ anni 1539. Inde vulnus immedicabile, nisi Regiâ manu curetur, & durities legis salutari remedio frangatur.

## CAPUT XVII.

### *Judices Ecclesiastici vetantur sportulas accipere. Iidem suadentur lites componere.*

ECCLESIA non modò usurpationis Jurisdictionis civilis, verùm etiam avaritiæ & quæstûs studii in re judiciaria insimulatur à secularibus, quos inter Carolus Loyseau loco modò adducto: & hoc non sine injuriâ, quam propulsare juvat hoc loco, nè Ecclesia impunè calumniam & injuriam patiatur, & ut sua ei reddatur facies quæ est sine ruga & macula. Ecclesia detestatur in Episcopis juridicinæ quæstum velut illicitum fœnus, & cauponariam negotiationem: Ecclesia exhorruit Episcopos qui sacram Jurisdictionem in quæstu ducerent. Paulum Samosatenum Antiochenum Episcopum, quòd à litigantibus pecunias emungeret quibus ad maximas opes pervenisset, notat Dionysius Alexandrinus apud Euseb. libr. 7. cap. 24. καὶ ματὴν καρπούμενος τὴν τῶν ἐν πράγμασιν ὄντων ἑτοιμότητα, πρὸς τὸ διδόναι ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τῶν ἐν χλοούντων. *Frustra fructum colligens ex propensione litigatorum, ut liberarentur ab his qui eos vexabant.* Clericis judicum officio interdixit Sylvanus primùm Philippopolis, tum Troadis Episcopus, nè quæstûs occasione avaritiæ sordes contraherent, & negotium rejecit ad laïcum quem juri dicundo præfecit; Socrat. libr. 7. cap. 38. κατιδιὼν γοῦν τοὺς κλερικοὺς ἐμπορίαν ποιουμένους, τὰς τῶν δικαζομένων ἐρεσλελίας, οὐδένα τῶν τοῦ κλήρου δικαστὴν ἐπεδίδου ποτέ, ἀλλὰ τὰ βιβλία τῶν δεομένων δαχόμενος, παρεκάλει ἕνα τῶν πιστῶν λαικῶν, ὃν ἤδει φιλοῦντα τὸ δίκαιον, κἀκείνα ἐγλειρίστας τὴν ἀκρόασιν τοὺς δικαζομένους τῆς ἐρεσλελίας ἀπήλατεν. *Nam cùm Clericos ex litigantium controversiis quæstum facere videret, deinceps neminem ex Clero judicem esse permisit; sed acceptis supplicantium libellis, unum ex fidelibus laïcis, quem æquo & bono favere pro certo cognosceret, ei causarum cognitionem concredidit, sicque litigantes contentione & controversiâ libera-*

*vit.* Hinc Episcopi & Clerici vetantur more secularium Judicum sportulas accipere, nè judicia Ecclesiastica secularium vitio fœdentur ; Conc. Tarraconens. can. 10. ex can. observandum. 15. qu. 2. *Observandum quoque decrevimus, nè quis Sacerdotum vel Clericorum, more secularium judicum pro impensis patrociniis munera audeat accipere, nisi fortè in Ecclesiis gratuitò oblata, quæ non favore muneris videantur accepta, sed collatione devotionis illata.* Conc. Vernens. can. 25. *Ut nullus Episcopus, vel Abbas, vel laïcus propter justitiam faciendam sportulas contradictas accipiat ; quia ubi dona intercurrunt, justitia evacuatur.* Nec modò ordinarii Judices, verùm etiam delegati prohibentur more secularium Judicum decimam litis vel quam aliam partem, præter sumptum victualium accipere, vel quicquam exigere nomine assessorum, quia habent sua stipendia, id est, reditus Beneficiorum ; cap. cùm ab omni, de vit. & honest. Clericor. Gloss. in Pragmat. de electione, cap. sicut. §. Notariis autem, verb. scripserint. Et ut explodatur omne quæstûs studium è sacrorum Judicum animis, suadentur Ecclesiastici Judices lites inter partes concordiâ vel judicio terminare, cap. 1. de mut. petit. cap. querelam, de simon. imò districtiùs prohibentur, nè partes impediant pacto vel transactione à lite discedere, vel nè quid eo nomine exigant ; Synodus Londinensis habita anno 1237. Præside Othone Cardinali & Legato Sedis Apostolicæ in Anglia, apud Matth. Paris : *Cæterùm districtiùs duximus inhibendum, nè Ecclesiarum Prælati, & maximè Archidiaconi & Decani, vel Officiales eorum, quin de discordiis vel querelis fiat pax vel concordia inter partes, præsumant aliquatenùs impedire : sed quandocumque partes voluerint, à judicio per compositionem recedant, dummodò sit tale negotium, quod jure possit transigi vel componi, nec exigatur aliquid propter hoc ab eisdem.*

# DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA TUENDA ADVERSUS INSULTUS

Auctoris tractatûs de Abusu, & aliorum.

## LIBER OCTAVUS.

### CAPUT PRIMUM.

*Ab Episcopo vel ejus Officiali appellatur ad proximum Superiorem. Appellatio non recipitur omisso medio.*

POSTQUAM de Jurisdictione & judiciis Ecclesiasticis, superioribus libris à nobis satis fusè & diligenter actum est, operæ pretium est hoc libro institutum opus persequendo de appellationibus tractare, & in his de appellationibus quas vocant tamquam ab abusu, quod est lethale telum & scopulus Jurisdictionis Ecclesiasticæ: de singulis congruo ordine, Deo præstolante, dicamus. A sententiis Episcoporum non erat provocatio: sententia Episcopi non poterat retractari ex Constitutione Constantini, quia habebat vim & robur sententiæ Præfecti Prætorio; L. 1. C. Theod. de Episcopal. judic. quam secuti sunt Theodosius & Arcadius L. 8. & 9. C. eod. Sed jure Pontificio à sententiis Episcoporum non denegatur appellatio, quia appellatio est auxilium commune juris,

quod omnibus patet ; L. 3. §. falsus Procurator. ff. Rat. rem habes. A sententiis Episcoporum appellatur ad proximum Superiorem, id est, ad Metropolitanum ; can. quia cognovimus. 10. qu. 3. Metropolitanus enim non potest cognoscere de suffraganeorum subditorum causis, nisi per appellationem ; cap. duo simul. cap. Pastoralis, de offic. Ordinar. can. per singulas. 1. & 2. 9. qu. 3. Ab Officiali Episcopi non appellatur Episcopus, nè idem à seipso appellari videatur, quia Episcopi & Officialis unum est tribunal, sed appellatur ad Metropolitanum ; cap. referente, de præbend. cap. Romana, de appellat. in 6. cap. 2. de consuetud. eod. libr. Appellatio ab Ordinario devolvitur gradatim ad Superiorem, idcirco ab Episcopo appellatio non defertur ad Primatem, omisso Metropolitano ; can. si quis. can. placuit. 2. qu. 6. Pragmatic. tit. de causis. §. nec ad quemcumque, & ibi Gloss. verb. omisso medio. Concordat. tit. de frivol. appellat. & congruenter appellationes quæ rectà ad Principem factæ sunt, omissis his ad quos debent fieri, ad Præsides remittuntur ; L. Imperatores. ff. de appellat. Juxta Africanos Canones à Judicibus electis consensu partium non licebat provocare ; can. à Judicibus. can. sanè si. 2. qu. 6. quod juris placuisse Gallis ex eo colligere est, quòd in causa Lotharii & Theutbergæ hos Canones adducit Nicolaus I. in epist ad Carolum Caluum, quæ extat apud Reginonem 2. Chronic. *Secundùm sacros Canones, à Judicibus quos communis consensus elegerit, non licet provocare.*

## CAPUT II.

### *Ratio diversa appellationis in judiciis Ecclesiasticis & civilibus. Sententiarum insinuatio apud acta Provincialia.*

NON secùs ac judiciorum Ecclesiasticorum diversa fuit ratio à secularibus in prima instantia : judicia enim Ecclesiastica pertractabantur simpliciter & summariè sine scriptura ; Nov. Just. 83. ita & in causa appellationis appellandi ratio alia fuit in causis Ecclesiasticis, ac in civilibus. A sententiis Judicum civilium appellatur per libellum ; L. 2. ff. de appellat. L. litigatoribus. C. eod. à sententiis verò Episcoporum appellatur nudo verbo citra libellum appellatorium. Hinc novum & insolens visum est, quòd Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in Synodo Seleucensi depositus ad majores Judices, id est, ad Sedem Apostolicam appellavit per libellum appellatorium, more publicorum judiciorum, contra Ecclesiæ consuetudinem ; Socrat. libr. 2. cap. 32. καθαιρεθεὶς δ' ὅμως ἐκκλή-

ρα βιβλίον τοῖς καθελοῦσι διαπεμψάμενος μῖτον ἐπεκαλέσατο δικαστήριον. τοῦτο μὲν οὖν, μόνος καὶ πρῶτος παρὰ τὸ σύνηθες τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι κύκλος ἐποίησεν, ἐκπλήττοις ὡς ἐν δικαστηρίῳ χρησάμενος. *Qui simul atque de gradu esset dejectus, appellationis libello ad eos qui eum dejecerant missò, ad majores Judices provocavit. Atque à Cyrillo solo ac primo, perinde ac si res apud laicos Judices ageretur, contra Canonis Ecclesiastici consuetudinem provocatum est.* Inde increbruit usus libellorum appellatoriorum etiam in judiciis Ecclesiasticis; & cùm Eutyches Constantinopolitanus Archimandrita, Monotheliſmi damnatus esset in Chalcedonensi Concilio, & ad Sedem Apostolicam se per libellum appellasse simulasset, Flavianus C. P. Patriarcha scripsit per epistolam quæ extat 1. part. Concil. ad Leonem Pontificem, Eutychetem imponere in eo quòd diceret libellos se appellationis dedisse Flaviano & Synodo. Et in causa divortii Lotharii & Theutbergæ, Theutbergam per libellum appellasse ad Sedem Apostolicam scimus, ex can. Lotharius 31. qu. 2. qui est Nicolai I.

Nec silere tamen possum can. Synodum. 17. dist. quem Gratianus laudat ex Marcello qui sub Maxentio damnatus est in catabulum, mihi valdè suspectum esse, in eo quòd Pontifex nititur vindicare in judiciis Ecclesiasticis usum libellorum appellationum, exemplo publicorum judiciorum: *Nam si seculares*, inquit, *in publicis judiciis libellis utuntur appellatoriis, quantò magis Sacerdotibus hæc eadem agere licet, qui super illos sunt.* Hoc enim valdè alienum est à disciplina illorum temporum, & à severitate morum Pontificis. Nec contemnenda est authoritas Socratis à quo scriptum est Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum in Synodo Seleucienſi damnatum, primum & sine exemplo per libellum appellasse ad majorem Judicem, præter Ecclesiæ consuetudinem & ex more publicorum judiciorum. Melioribus nimirum Ecclesiæ seculis Episcopi & Clerici solemnium judiciorum solemnia, quantum fieri poterat, declinabant, nè quid commune haberent cum secularibus, à quorum vita & moribus remotiores esse debebant; can. laïcos 2. qu. 7. Eo nomine graviter notatur Paulus Samosatenus, quòd judicii causâ sublime sibi locasset tribunal, quod secretum vocaret more publicorum judiciorum; Euseb. libr. 7. cap. 20. βῆμα μὲν καὶ θρόνον ὑψηλὸν ἑαυτῷ καθασκευασάμενος, οὐχ ὡς χριστοῦ μαθητής, σκήπτρον δὲ, ὥσπερ οἱ τοῦ κόσμου ἄρχοντες ἔχων τε καὶ ὑπερφέρων. *Sedem & thronum sublimem sibi paravit non ut Christi discipulus, sed ut orbis Principes, secretum habens & nomine appellans.* Secretum seu secretarium est locus ubi Judices conveniunt judicandi causâ; L. 3. C. ubi Senator. L. 3. de offic. diverſ. judic. L. 1. C. Th. de offic. Rect. Provinc. Ambros. Serm. 4. *Sed fortè Judicem metuis, quem in secretario reliquisti.* Et Augustin. libr. 1. Sermon. Dom. in monte cap. 21. *Quemadmodum etiam &*

*in hac ordinatione Reipublicæ vel à secretario, vel à prætorio Judicis extra mittitur, qui in carcerem truditur.* Symmach. libr. 10. epist. 38. *Hic jussu ejus ad commune secretarium, quo faciendæ oblationis gratiâ summates quosque condixeram, à Principibus officii utriusque perducitur.* Labente verò disciplinâ confundi cœpit ritus judiciorum Ecclesiasticorum & civilium; & usu obtinuit, ut in judiciis Ecclesiasticis sententiæ ex libello & scripto pronunciarentur, ut in civilibus; Hincmarus in Concilio Suessionensi, in can. legum. 2. qu. 1. *Legum Ecclesiasticarum consuetudo*, inquit, *& authoritas talis est, ut in causis gestorum semper scripturam requirant, &c.* Inde secutus est usus appellandi per libellos, de quo modò dictum est: verumtamen inter judicia Ecclesiastica & civilia hoc discriminis non desiit, quòd à Judice civili non appellatur ante sententiam deffinitivam, id est, ab interlocutoria appellari non potest; L. ult. C. de sentent. & interlocut. L. quoniam. C. Th. de appellat. in causis verò Ecclesiasticis ab interlocutione appellare licet; cap. super eo. 2. de appellat. quia secundùm Canones appellari potest à quocumque gravamine.

Commune & illud fuit, quod uti sententiæ Judicum insinuari solebant apud acta Provincialia, perpetuæ fidei gratiâ; L. ult. C. de re judicat. L. 2. C. de edend. L. notione. C. Th. de Hæretic. Euseb. libr. 5. cap. 17. de Alexandro quodam ob latrocinia damnato: οὗ τὰς λῃστείας, διὰ τὰ ἄλλα τολμήματα εἰρ ὅις κεκόλαστας, οὐχ ἡμᾶς δεῖ λέγειν, ἀλλὰ ὁ οἰκιστοθόδομος ἔχει. Et mox: καὶ οἱ θελοντες μαθεῖν τὰ κατ' αὐτὸν, ἔχουσι τῆς ἀσίας δημόσιον ἀχεῖον. *Cujus latrocinia & alia flagitia pro quibus pœnas dedit, non necesse est nos referre, cùm in tabulas publicas relata sint; & volentes discere quæ ad eum pertinent, habent Asiæ tabularium publicum.* Et Apuleïus 1. Florid. in fin. *Proconsulis autem tabella sententia est, quæ semel lecta, neque augeri litterâ unâ, neque autem minui potest, sed utcumque recitata est, Provinciæ instrumento refertur*: Ita etiam Concilia, & alia gesta Ecclesiæ referebantur apud acta Provincialia, perpetuæ memoriæ causâ; Augustin. in Psalm. 57. *Lectum est Concilium Bagaitanum, ubi damnati sunt Maximianistæ; insertum est actis Proconsularibus, &c.* De cætero judicia Ecclesiastica soluta erant formulis & solemnibus publicorum judiciorum: nuda & simplex fuit forma judicii Ecclesiastici, certa & solemnis judicii civilis; & hoc est quod insinuat Justinianus in L. consulta. C. de testament. cùm ait Clericis opprobrium esse, si peritos se velint disceptationum esse forensium: turpis scilicet est in Clericis peritia rerum forensium, quòd non congruat simplicitati fori Ecclesiastici, nec adstringendus videtur Judex Ecclesiasticus formulis judiciorum secularium, quas ignorare ei honestum est, & scire probrosum ex judicio Imperatoris.

## CAPUT III.

*An liceat appellare ad Summum Pontificem omisso medio. Appellationes transmarinæ. Afri vagi & errones. Anglorum privilegium nè conveniantur citra mare.*

ETsi appellationes quæ rectà ad Principem factæ sunt, omissis his ad quos fieri debuerunt, ad eos debeant remitti ex rescripto Severi & Antonini; L. Imperatores. ff. de appellat. L. non putabam, de condit. & demonstrat. tamen jure Pontificio undecumque ad Summum Pontificem appellari solebat, omisso medio; can. ad Romanam. 2. qu. 6. can. ipsi sunt. can. cuncta per mundum. 9. qu. 3. cap. si duobus, de appellat. Ex Conc. Sardicensi can. 5. Episcopis licet appellare ad Sedem Apostolicam omisso medio; can. si quis Episcopus. 2. qu. 6. quod & Carolus Magnus probavit Capitul. libr. 7. cap. 235. & 323. Presbyteris verò & Clericis Africanis vetitum est appellare ad judicia transmarina, id est, ad Sedem Apostolicam, ex Conc. Milevit. II. can. 23. can. placuit. 2. qu. 6. can. Presbyteri. 11. qu. 3. Concil. Carthag. can. 31. apud Balsamon. Speciale fuit ut Presbyteris & Clericis Afris vetarentur appellationes transmarinæ, non ut detraheretur Sedis Apostolicæ fastigio, sed ut tolleretur occasio & materia evagationis, ad quam propensiores sunt Afri, ut colligitur ex can. Afros. 97. dist. Conc. African. can. 73. & L. unic. C. Th. de Saturian. & Subafrensib. Saturianos fuisse puto vagos & errones per Africam, sic dictos fortè quod annonâ quotidianâ vel latrocinio satiato ventre, reliqua dabant vel projiciebant, quos passivos, id est, passim vagantes appellat Augustin. contra Adimantum Manichæi discipulum cap. 24. *Nam si hoc ideò dictum est, ut non servetur panis in crastinum, magis hoc implent vagi Romanorum, quos passivos appellant, qui annonâ quotidianâ satiato ventre, aut donant statim quod restat, aut projiciunt, &c.* In causis verò Episcoporum, quia in his aberat suspicio evagationis, non prohibebantur appellationes transmarinæ; Augustin. epist. 162. de causa Donatistarum: *Neque enim judicium deseruerant, ubi numquam omninò constiterant; nec in illis solis Episcopis Afris erat Ecclesia, ut omne judicium Ecclesiasticum vitasse viderentur, qui se judicio eorum præsentare noluissent. Millia quoque collegarum transmarina restabant, ubi apparebat eos judicari posse, qui videbantur Afros, vel Numidas collegas habere suspectos.* Et hoc actum est epistolâ Patrum Concilii Africani ad Bonifacium I. & prioribus

litteris ad Zozimum, ut Episcopis Africanis liceret Romam provocare, Presbyterorum verò & Clericorum causæ suos apud Episcopos terminarentur.

Hodiè in Galliâ non licet appellare ad Pontificem, omisso medio : ab Ordinario gradatim appellandum ad Superiorem ; Pragmatic. tit. de causis. §. statuit 2. & §. nec ad quemcumque. Concordat. tit. de frivol. appellat. Et quia Pontifices majoribus negotiis distracti, litibus privatorum disceptandis non sufficerent, visum est ut Judices darentur in partibus, idque non ultra duas dietas, nè actori præberetur occasio adversarium vexandi & distringendi ; cap. nonnulli, de rescriptis. cap. ex parte, de foro competent. Eadem de causa Anglis indultum est à Sede Apostolica, nè ex mandatis Apostolicis citra mare conveniri possent ; cap. dilecti, eod. tit. de quo Matth. Paris ad ann. 1246. *Gravatur regnum Angliæ, quòd Anglici extra regnum in causis authoritate Apostolica trahuntur, contra regni consuetudinem, contra jura scripta, eò quod inter inimicos conveniri non debent, & contra indulgentias à Prædecessoribus Domini Papæ, Regi & regno Angliæ concessas.* Et ut Judicum datorum peritia & fides certior esset, statutum est ut rescripta Apostolica exequenda non demandarentur aliis quàm majoribus Clericis, putà personis dignitatem aut personatum obtinentibus, vel Cathedralium Ecclesiarum Canonicis ; cap. statutum, de rescript. in 6.

## CAPUT IV.

### *Ab eadem sententia tertiò provocare licet. Excusatur mora judiciorum Ecclesiasticorum.*

JURE civili in una eademque causa bis appellare licet, veluti à Prætore ad Præfectum urbis, & à Præfecto urbis ad Principem ; L. Æmilius. ff. de Minorib. L. qui Romæ. §. pen. de V. O. & si quis gemino judicio victus, iterum appellaverit, ab eo in actorem possessio transfertur ; L. 1. C. Th. de possess. ab eo qui bis provocav. transferend. Constit. Justiniani in una eademque causa tertiò provocare non licet ; L. unic. C. nè liceat in una eademq. caus. tertiò provoc. cum quâ concordat jus Pontificium, cap. sua nobis, de appellat. Jure quo utimur in Galliâ, ab interlocutoria secundò, à deffinitiva tertiò provocare non licet, ita ut secunda interlocutoria conformis, vel tertia deffinitiva etiam conformis, omni morâ sublatâ executioni mandari possit, non obstante quacumque appellatione

latione; Pragmatic. tit. de frivol. appellat. §. ut lites. Concordat. eod. tit. §. ab interlocutoriis. & ita judicatur; Chopin. de sacra polit. libr. 2. tit. 4. num. 27. & post tres sententias deffinitivas conformes executio sententiæ non potest impediri, oppositâ exceptione nullitatis, vel aliâ qualibet; Clem. ut calumniis, de re judicat. Nec ægrè ferenda est mora judicii Ecclesiastici quæ inducitur trinâ appellatione concessa per Pragmatic. & Concordat. Non peculiare est illud Galliæ: etiam apud Germanos in una eademque causa à Judice Ecclesiastico trina provocatio admittitur; Mynsinger. centur. 1. obs. 15. Etsi sententia lata in causa matrimoniali numquam transeat in rem judicatam, si appareat malè judicatum; cap. lator. cap. tenor. cap. consanguinei, de re judicat. à trina sententia conformi in causa matrimoniali non licet provocare; Rebuff. in Concordat. tit de frivol. appellat. §. ab interlocutoriis, in verb. etiam in causa matrimoniali. Si trina sententia conformis à Judice Ecclesiastico lata sit super decimis infeudatis; quia Judex Ecclesiasticus non potest cognoscere de decimis infeudatis, à trina sententia etiam conformi licet appellare ab abusu; Rebuff. eod. tit. d. §. ab interlocutoriis, init. Chopin. de sacra polit. libr. 2. tit. 1. num. 6.

## CAPUT V.

### *Appellationes ab Episcopis ad Judicem secularem damnantur pravitate authorum. Appellationis Pauli ad Cæsarem ratio redditur.*

A Judice Ecclesiastico appellatio devolvitur ad Superiorem, & consequenter non pertinet ad Judicem secularem, quia Jurisdictio Ecclesiastica & civilis sunt distinctæ; can. quoniam, & ibi Gloss. 10. dist. & par in parem non habet imperium; L. est receptum. ff. de Jurisdict. L nam Magistratus, de recept. arbitr. L. ille à quo. §. tempestivum, ad Trebell. cap. innotuit, de elect. Marc. tom. 1. qu. 147. Ivo Carnot. epist. 189. *Verùm ubi personarum æqualis est potestas, quarum altera alteri nihil præter caritatem debet, si altera alteri jus suum vult detrahere, & sibi soli arrogare, deceptus est seculi ambitione.* Hinc si Presbyter vel Diaconus depositus à proprio Episcopo, vel Episcopus, à Synodo Episcoporum, Principem vel secularem Judicem adierit, spem recipiendi gradûs amittit, ex Conc. Antiochen. can. 22. & epist. Gregor. 1. libr. 4. epist. 34. can. si quis à proprio Episcopo. can. ult. 21. qu. 5. Augustin. epist. 15. in Appendic. *Nullus enim sic proditur qualem causam habuerit, quàm ille qui per seculares*

*poteſtates, vel quaſlibet violentias, cum perturbatione & querela conatur recipere honorem quem perdidit.* Et certè quid nobis ſentiendum ſit de hujuſmodi appellationibus, ſatis intelligimus ex nequitia authorum à quibus cœpere malo exemplo, quos non alios fuiſſe notum eſt quàm Hæreticos, Chriſtianæ fidei hoſtes, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ everſores. Primus Paulus Samoſatenus Antiochenus Epiſcopus ob hæreſim & malos mores depoſitus, appellavit ad Gallienum gentilem Principem, à quo juſſum eſt Eccleſiam & Epiſcopium dimittere quibus viſum eſſet Epiſcopo urbis Romæ; Euſeb. libr. 7. cap. 24.

Tempore Conſtantini cùm Cæcilianus Carthaginenſis Epiſcopus à Donatiſtis accuſatus de traditione ſacrorum Codicum, ſententiâ Epiſcoporum abſolutus eſſet, & Donatiſtæ appellaſſent ad Imperatorem, & libellos obſignatos ad eum direxiſſent per Anulinum Proconſulem Africæ, Imperator novitate & inſolentiâ facti commotus exclamavit: O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium ſolet, appellatum; Optat. Milevit. libr. 1. adverſ. Donatiſt. *Cæcilianus omnium Epiſcoporum ſententiis abſolutus: & tamen Donatus appellandum eſſe ab Epiſcopis credidit; ad quam appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpondit: O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Hac de cauſa noluit Imperator per ſe, vel per Judices ſeculares cognoſcere, ſed judices dedit Melchiadem urbis Romæ & alios Epiſcopos, non fiduciâ poteſtatis, ſed ſtudio pacis quoquomodo ſi fieri poſſet conciliandæ; Euſeb. libr. 10. cap. 3. & 5. & Cæciliano ab his abſoluto, cùm iterum à Donatiſtis provocatum eſſet ad Conſtantinum, iterum Arelatenſem & alios Epiſcopos judices dedit, quod bonâ gratiâ, & quaſi conniventibus oculis Sedis Apoſtolicæ factum eſſe præſumendum eſt; à quibus cum tertiò appellatum eſſet ad eumdem, Conſtantinus, ut liti finem imponeret, & tot appellationum repullulantia capita præcideret, ipſe cognitionem aſſumpſit, & innocentem Cæcilianum pronunciavit.

Non ſuo jure hæc præſumpſit Conſtantinus: quippe qui furoris damnavit audaciam Donatiſtarum, quòd ab Epiſcopis provocaſſent ad Principem; ſed bono & æquo conſilio Eccleſiæ pacis componendæ, & cauſam magis à ſe removit quam Epiſcopis demandavit, nec propriâ præſumptione, ſed rogatus Judices dedit Epiſcopos, nimirùm fatigatus precibus Donatiſtarum; Auguſtin. epiſt. 162. *Deinde diximus, aliquanto poſt Majorini ordinationem, quem contra Cæcilianum nefario ſcelere levaverunt, eos petiiſſe à Conſtantino tunc Imperatore judices Epiſcopos, qui de ſuis quæſtionibus, quæ in Africâ exortæ pacis vinculum dirimebant, arbitrio medio judicarent. Quod poſteaquàm factum eſt, præſente Cæciliano & illis qui adversùs eum navigaverant, judicante Melchiade tunc Romanæ urbis Epiſcopo*

*cum collegis ſuis, quos ad preces Donatiſtarum miſerat Imperator, in Cæcilianum nihil probare potuiſſe, ac per hoc illo in Epiſcopatu confirmato, Donatum qui adversùs eum tunc aderat, improbatum. Quibus peractis rebus, cùm illi omnes in pertinaciâ ſceleſtiſſimi ſchiſmatis permanerent, pòſt apud Arelatum memoratum Imperatorem eamdem cauſam diligentiùs examinandam, terminandamque curaſſe. Illos verò ab Eccleſiaſtico judicio provocaſſe, ut cauſam Conſtantinus audiret. Quò poſteaquam ventum eſt, utraque parte aſſiſtente, innocentem Cæcilianum fuiſſe judicatum, atque illos receſſiſſe ſuperatos, & in eadem tamen perverſitate manſiſſe.* Et infrà: *An forte non debuit Romanæ Eccleſiæ Melchiades Epiſcopus cum collegis transmarinis Epiſcopis illud ſibi uſurpare judicium, quod ab Afris ſeptuaginta, ubi Primas Tigiſitanus præſedit, fuerat terminatum? Quid quòd nec ipſe uſurpavit? Rogatus quippè Imperator, judices miſit Epiſcopos, qui cum eo ſederent, & de tota illa cauſa quod juſtum videretur, ſtatuerent. Hoc probamus & Donatiſtarum precibus, & verbis ipſius Imperatoris: utraque vobis lecta meminiſtis, & inſpiciendi ac ſcribendi licentiam nunc haberis. Legite ac conſiderate omnia. Videte quantâ curâ pacis atque unitatis conſervandæ, vel reſtituendæ cuncta diſcuſſa ſint, &c.* Et rursùs: *Judices enim Eccleſiaſticos tantæ authoritatis Epiſcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata eſt, non apud alios collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quòd malè judicarint. Dedit ille aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum; non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omnimodò cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum qui Romæ ſederant, ipſe judicaret; ſed alios, ut dixi, Epiſcopos dedit: à quibus tamen illi ad ipſum rursùs Imperatorem provocare maluerunt; quâ in re illos quemadmodum deteſtetur, audiſtis. Atque utinam ſaltem ipſius judicio inſaniſſimis animoſitatibus ſuis finem poſuiſſent, atque ut eis ipſe ceſſit, ut de illa cauſa poſt Epiſcopos judicaret, à ſanctis Antiſtibus poſtea veniam petiturus, dum tamen illi quod ulterus diceret non haberent, ſi ejus ſententiæ non obtemperarent, ad quem ipſi provocaverunt, ſic & illi aliquando cederent veritati.* Et idem epiſt. 166. ad Donatiſtas: *Scitote quòd primi majores veſtri cauſam Cæciliani ad Imperatorem Conſtantinum detulerunt. Sed quia Conſtantinus non eſt auſus de causâ Epiſcopi judicare, eam diſcutiendam atque finiendam Epiſcopis delegavit. Quod & factum eſt in urbe Roma, præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ cum multis collegis ſuis: qui cùm Cæcilianum innocentem pronunciaſſent, & Donatum qui ſchiſma Carthagini fecerat, ſententiâ percuſſiſſent, iterum veſtri ad Imperatorem venerunt, de judicio Epiſcoporum in quo victi fuerant, murmurarunt. Iterum tamen clementiſſimus Impera-*

*tor alios judices Episcopos dedit apud Arelatum Galliæ civitatem, & ab ipsis vestri ad ipsum Imperatorem appellarunt, donec etiam ipse causam cognosceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumniosos pronunciaret: nec sic toties victi quieverunt.*

Ex his Constantinus, ad quem à Donatistis appellatum est à sententia Episcoporum, ingenuè sese non idoneum, & incompetentem professus, judices dedit Episcopos: nec Donatistæ ipsi ausi sunt Judices seculares petere ab Imperatore, sed postularunt judices Episcopos non semel, sed iterùm; ac demùm secundo judicio Episcopali superati, tertiò provocarunt ad ipsum Imperatorem, ut ipse causam audiret. Sed qui semel & iterùm judices Episcopos in causâ Cæciliani susceperant, in eâdem causâ quo pacto potuêre Judicem secularem deposcere? Imò & qui judicium Episcoporum spreverant, judicio Principis non acquieverunt; Augustin. dictâ epist. 162. *Judicium Episcoporum ad Imperatorem appellatur: Judex eligitur Imperator; judicans contemnitur Imperator.* Quàm ægrè & reluctanter Constantinus Episcopi causæ se immiscuit, & quàm demissè de facto se excusavit apud Episcopos, epistolâ ad eos scriptâ quæ extat tom. 1. Conciliorum inter acta Melchiadis: *Quotiens à me jam ipso improbissimis additionibus suis sunt condignâ responsione oppressi? Qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minimè hoc ipsum interposuissent. Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto, &c.* Et hoc est quod ait Augustin. dictâ epist. 162. de Constantino: *Ut de illa causa post Episcopos judicaret, à sanctis Antistibus postea veniam petiturus.* Et certè Constantinus ipse in causis Episcoporum ita se incompetentem duxit, ut libellos Episcoporum invicem se accusantium annulo obsignatos nec lectos, coram Episcopis igni cremarit; Gelas. Cyzicen. libr. 2. actor. Conc. Nicen. cap. 8. Socrat. libr. 1. cap. 5. Theodorit. libr. 1. cap. 8. Nec probatur recursus à sententiis Episcoporum ad Judicem secularem hoc alio exemplo, quòd Constantinus in causâ Fœlicis Aptungitani Episcopi, à quo Cæcilianus fuerat ordinatus, Helianum Proconsulem Africæ judicem dedit: non jure judicioque id factum à Constantino, sed importunis precibus Donatistarum; Augustin. epist. 166. *Sed de Fœlice Aptungitano, per quem Cæcilianus fuerat ordinatus, quotidianis interpellationibus ipsi Imperatori tædium fecerunt, dicentes eum esse traditorem, & ideò Cæcilianum Episcopum esse non posse, quòd à traditore fuerit ordinatus; donec & ipse Fœlix jussu Imperatoris causâ cognitâ ab Heliano Proconsule innocens probaretur.* Et Constantinum in hac causâ Judicem dedisse quasi arbitrum schismatis sumptum, ait Augustin. epist. 162. *Ait enim quidam: Non debuit Episcopus proconsulari judicio purgari; quasi verò ipse sibi hoc comparaverit, ac non Imperator ita quæri jusserit, ad cujus curam, de qua rationem Deo redditurus esset, res illa ma-*

*ximè pertinebat. Arbitrum enim & judicem causæ traditionis & schismatis illi eum fecerant, qui ad eum etiam preces miserant, ad quem postea provocarunt; & tamen judicio ejus acquiescere noluerunt.* Nihil etiam spectari velim, quòd à sententiâ Synodi Tyrensis Athanasius provocavit ad Constantinum; Socrat. libr. 2. cap. 31. Hoc enim fecit Athanasius præter ordinem juris, ut consuleret tempori, & Arrianorum insidiis se subduceret; exemplo Pauli qui in pari discrimine Cæsarem appellavit.

His exemplis sæpiùs Imperatores ab Episcopis interpellati Judices dabant, non alios quàm Episcopos; Synod. Carthaginens. III. can. 9. can. placuit. 11. qu. 1. *Placuit ut quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit, honore proprio privetur. Si autem Episcopale judicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obsit.* Quod & Synodi Carthag. can. 15. legitur apud Balsamon. Etiam ab Imperatoribus dabantur defensores Ecclesiæ & pauperum, non tamen sine Episcoporum provisione; Conc. Carthag. V. can. 9. can. ab Imperatoribus. 23. qu. 5. Milevitan. 2. can. 16. African. can. 64. Priscillianus & socii hæresis insimulati, accusatore Ithacio Episcopo apud Maximum Tyrannum, ad Synodum Burdegalæ indictam deduci jussi sunt; Severus Sulpit. hist. sacræ libr. 2. *Quibus permotus Imperator, datis ad Præfectum Galliarum, atque ad Vicarium Hispaniarum litteris, omnes omninò quos labes illa involverat, deduci ad Synodum Burdegalensem jubet.* Sed narratur factum Tyranni, qui potestatem in causis Ecclesiasticis eodem scelere quo imperium occupavit: & Priscillianus in Synodo Burdegalensi se damnandum intelligens, appellavit ad Maximum; sed eâ de causâ malè audiêre Episcopi, quòd provocationi ad Maximum cessissent; idem Sever. Sulpit. libro modò laudato: *Priscillianus verò, nè ab Episcopis audiretur, ad Principem provocavit: permissumque id nostrorum inconstantiâ, quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebantur, aliis Episcopis audientiam reservare, non causam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere*: de quo Prosper Aquitanus in Chronic. & Sigebert. ad ann. 386. Judicio Dei damnata est præsumptio Principum, ubi de causis Episcoporum cognoscere non dubitarunt: edicto de Basilii exilio subscribere non potuit Valens tertiùm effracto calamo, & dexterâ tremore concussâ; Theodorit. libr. 3. cap. 17. Quâ ratione igitur fieri poterit, ut probetur usus appellationum ab Episcopis ad Judicem secularem, qui tam pravis initiis cœpit ab Hæreticis, paribusque exemplis processit? Vix bono peraguntur exitu, quæ malo inchoantur principio; can. principatus. 1. qu. 1. A sententiis Episcoporum si temerè appelletur, furoris audacia est ex sacro Constantini oraculo. Quis feret appellationes semel damnatas furoris in conspectu totius Ecclesiæ, à Christianissimo & sapientissimo Principum?

Nec in exemplum trahendum est quòd Paulus appellavit ad Cæsarem: hoc enim fecit deficiente copiâ alterius Judicis, nè prorsùs Judice careret; vel non tamquam Episcopus & Apostolus, sed tamquam civis Romanus; vel potiùs afflante Numine, ut duceretur Romam propagandæ fidei, & martyrio contestandæ causâ, ut supra docui ex Ambrosio & Augustino, libr. 7. cap. 11.

## CAPUT VI.

*De jure à Judice Ecclesiastico non appellatur ad Judicem secularem. Capitula Clarendonensia damnata. Vera interpretatio* Can. Filiis. *quo abutuntur ad probandum usum appellationum tamquam ab abusu.*

DE jure à Judice Ecclesiastico non aditur Judex secularis per appellationem, neque per querelam ob defectum justitiæ, quia Judex secularis non supplet negligentiam Judicis Ecclesiastici; cap. verum. cap. cæterum. cap. generaliter, de judic. Bellug. in specul. de propos. Princip. §. dubitatur. num. 14. 15. nec Judex secularis cognoscit de nullitate sententiæ Judicis Ecclesiastici; cap. ult. de except. in 6. cap. licet, de jurejur. eod. libr. Tamen Constitutionibus Henrici II. Anglorum Regis apud Clarendonam editis anno Christi 1164. ab Episcopo appellatur ad Archiepiscopum, & ab Archiepiscopo ad Principem ob defectum justitiæ; Matth. Paris in Henrico II. ex Capitulis consuetudinum sive libertatum Angliæ: *De appellationibus si emerserint, ab Archidiacono debebit procedi ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum: & si Archiepiscopus defuerit in justitia exhibenda, ad Dominum Regem perveniendum est postremò, ut præcepto ipsius in curia Archiepiscopi controversia terminetur; ita quòd non debeat ultra procedi absque assensu Domini Regis.* Sed Constitutiones Clarendonenses Ecclesiæ leges esse nemo bonus & sanus, ut credo, in animo ducet, quos ab irato Principe emissas scimus odio Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, ferro & sanguine scriptas, exilio ac tandem martyrio Thomæ cruentatas & funestatas. Hæc capitula primùm damnavit Thomas Cantuariensis de consilio Sedis Apostolicæ, licet ea primùm juramento sanxisset, ac in omnes qui ea observarent, sententiam excommunicationis protulit; Jo. Sarisber. epist. 159. *Hæc capitula imprimis damnata sunt: quòd non liceat Episcopo excommunicare aliquem qui*

*de Rege teneat, sine licentia ipsius : quòd non valeat Episcopus coërcere aliquem Parochianorum suorum pro perjurio vel fide læsa : quòd ad secularia judicia trahantur Clerici : quòd laïci sive Rex sive alius, causas de Ecclesiis & decimis tractent : quòd non appellaretur pro causa aliqua ad Sedem Apostolicam, nisi Regis & Officialium suorum venia impetratâ, &c.* Eadem etiam Capitula ab Alexandro III. Pontifice damnata sunt, nec non ab ipso Henrico II. qui nefariæ cædis B. Thomæ expiandæ causâ, pœnitentiam impositam à Legatis Sedis Apostolicæ, & inter cætera jussum de tollendis Clarendonensibus capitulis, ultrò & humiliter suscepit; Vita & processus B. Thomæ libr. 4. cap. 5. *Tunc injunctum est ei à Legatis quòd inveniret, &c.* Et mox : *Secundò quòd prava statuta de Clarendono, & omnes malas consuetudines quæ in diebus suis in Ecclesia Dei adductæ sunt, penitùs dimitteret : si quæ autem fuerint malæ ante tempora sua, illas juxta mandatum Domini Papæ, & consilio religiosorum virorum temperaret.* Hinc & B. Thomas cùm audisset se judicio mixto Procerum & Pontificum apud Northamptonam damnatum, novum & insolens judicii genus, quo par erat zelo, detestatus memoratur, nimis intolerandum ratus patrem spiritualem à filiis damnari; Vita & processus ejusdem, libr. 1. cap. 30. *Cùm verò audisset se judicatum sic : Quale*, inquit, *sit judicium hoc, me etiam tacente secula pòst futura non tacebunt. Nova quippe judiciorum forma hæc est, forte secundùm novos Canones proximè apud Clarendonam promulgatos ; si quidem à sæculo non est auditum quemquam Cantuariensem Archiepiscopum in curia Regum Anglorum pro qualicumque causâ judicatum, tum propter dignitatem Ecclesiæ, tum propter authoritatem personæ, tum quia ipse Regis & omnium qui in regno sunt, spiritualis pater sit, & ob id semper ei deferendum ab omnibus.* Non licet liberis judicare de patre : erubescit lex castigatores filios parentibus dare ; Nov. Justin. 22. cap. 24. Henricus IV. Imperator regno depositus est dolo & artibus filii, ex epist. ad Regem Francorum : *Culpæ patris vindicem filium esse, nulla divinæ legis constituit sanctio.*

In Hispania etiam ex Conc. Tolet. IX. can. 1. can. filiis. 16. qu. 7. patrono seu fundatori Ecclesiæ vel liberis ejus, si res Ecclesiæ eorum beneficio collatæ, à Presbytero vel Clericis labefactarentur, fas fuit Episcopo vel Judici emendanda denunciare : quòd si Episcopus esset reus noxæ, Metropolitano : si verò Metropolitanus, Regi : *Si autem Metropolitanus*, inquit, *talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant.* Et hoc Canone nisi sunt Judices seculares comprobare usum appellationum ad curiam veluti ab abusu, ut sæpiùs se audivisse tradit Aufrer. de potest. secular. reg. 2. fall. 30. Sed quam sibi blandiantur Seculares, nemo est qui facilè non intelligat : hic enim Canon non tribuit Jurisdictionem Prin-

cipi vel Judici in rebus Ecclesiæ, sed tuitionem tantùm & cùstodiam; ejusque causâ denunciationem fieri permittit, non ut Princeps vel Judex civilis causam audiat, sed ut ea reddatur Synodo provinciali, ut rectè interpretor ex Conc. Tolet. IV. can. 32. can. constitutum. 16. qu. 2. ex quo statuitur, ut *si Episcopus præter tertiam decimarum & oblationum quidpiam tulerit, per Concilium restauretur, appellantibus aut ipsis conditoribus aut hæredibus eorum.*

## CAPUT VII.

### *Appellationes à Judice Ecclesiastico ad secularem seriùs auditæ in Gallia. Protestatio Procerum Galliæ, & expostulatio Petri de Cugnerio an habeant imaginem appellationum tamquam ab abusu: Reprehenditur Fevretius.*

SERIUS in Galliis audita est à Judice Ecclesiastico ad secularem provocatio. Hincmarum Laudunensem Episcopum nepotem suum graviter coarguit Hincmarus Rhemensis Episcopus, quòd à sententiâ per electos Judices datâ secundùm Canones Africanos, appellasset ad Judicem secularem, elicito rescripto Principis; Flodoard. libr. 3. Rhemens. hist. cap. 22. integram dedit epistolam Hincmari ad nepotem, cujus particulam hîc apponere non pigebit: *Petitio autem tua apud domnum Regem talis fuit quando ad eum venisti, quia, sicut plures & penè omnes in istis Provinciis scire dicuntur & patet, nescio quibus machinationibus exquisitis à te jussio est Principalis elicita, ut de his, de quibus electos Judices secundùm sacros Canones expetisti, non solùm eorum querela, quorum causa usque ad alium tractatum diffinienda remansit, verum & quæ, ut dixi, in domni Regis præsentia electorum judicum sententiâ deffinita fuerunt, sine Metropolitani conscientia, sineque canonico & Episcopali judicio, per Judices seculares Helmigarium scilicet mercati palatini telonearium, & Flotharium ac Ursionem villarum regiarum majores refricarentur, contra Canones qui ab Ecclesiasticis ad majoris authoritatis Ecclesiasticos Judices, & non à majoribus ad minores, nec ab Ecclesiasticis ad seculares, neque à consensu partium electis provocare permittunt, &c.* Ludovicus Junior, ubi accepit litteras Henrici II. Regis Anglorum de fugâ Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, & audivit sermonem nunciorum regiorum de Thoma quondam Archiepiscopo, zelo correptus scisitatus est semel & iterùm à quonam depositus

depositus esset, hoc memorandum verbum addens se esse Regem, neque vel minimum è Clericis regni sui se deponere valere; Vita & processf. B. Thomæ libr. 2. cap. 6. *Verùm ut audivit ex litterarum nunciis, Thomas quondam Archiepiscopus; Regem Francorum sicut Ecclesiæ filium devotissimum statim apprehendit æmulatio, & primùm ex verbo motus est. Et Rex mox, quis eum deposuisset, iterum & iterum sciscitatus est, & adjecit: Certè,* inquit, *sicut Rex Anglorum, ita & ego Rex sum; & tamen minimum de Clericis mei regni deponere ego non valerem.* Et ut non modò verbo, sed & facto Henrici facinus Ludovicus noster damnaret, Thomam exulantem hospitaliter suscepit, & sumptu suo sustentavit cum suis.

Anno 1247. tempore D. Ludovici solemnis facta est contestatio Procerum Galliæ, nè quis Clericus vel laïcus traheretur ad ordinarium vel delegatum Judicem, nisi tribus casibus, super hæresi, matrimonio, & usuris; de qua Matth. Paris in Henrico III. & Mattheus westmonasterienſis ex libello ipsius contestationis è gallico latinè verso: *Nos omnes regni Majores, attento animo percipientes quòd regnum non per jus scriptum, nec per Clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos fuerit acquisitum, præsenti decreto omnium juramento statuimus & sanximus, ut nullus Clericus vel laïcus alium de cætero trahat in causam coram ordinario judice vel delegato, nisi super hæresi, matrimonio vel usuris: amissione omnium bonorum suorum, & unius membri mutilatione, transgressoribus imminente, certis à nobis executoribus deputatis, ut sic jurisdictio nostra resuscitata, respiret, &c.* Fevret. libr. cap. 1. num. 11. ex hujusmodi actu appellationum usum probare nititur: sed quàm sibi & causæ blandiatur, facilè est intelligere; hujusmodi enim testatio non est actus judicialis, sed nuda & simplex Procerum regni querela extra judicium facta, quæ non potest appellationis vim habere, quæ est actus judicialis; maximè cùm facta sit sine authoritate Principis vel majorum Magistratuum, penès quos solos residet juris publici vindiciæ: imò hujusmodi querela magis est crimen conspirationis, quàm provocatio vel querela legitima; non minùs enim lædit Jurisdictionem Regiam quàm Ecclesiasticam, cùm facta fuerit sine authoritate Principis, de quo nè verbum quidem. Et verò ipse Matth. Paris hujusmodi contestationem conspirationis nomine notat: *Et præcipuè in Franciâ, in quâ quidem multi nobiles in ipsum Papam, & Ecclesiam, quod numquam meminimus evenisse, conspirabant, sicut in hac chartula, &c.*

Anno Christi 1329. expostulante Petro Cugnerio Procuratore fisci apud Philippum Valesium de usurpatione Regiæ Jurisdictionis per Episcopos & Clericos, & indicente Rege celebrata est solemnis collatio apud Vicennas coram ipso Principe; hinc orante Petro Cugnerio pro vindiciis Jurisdictionis regiæ, hinc Bertrando Augustodunensi Episcopo pro

tuendâ Jurisdictione Ecclesiasticâ. Sed hujusmodi quoque expostulatio, quâ utitur Fevretius tamquam argumento nobili appellationum veluti ab abusu, nullam habet vim appellationis; imò est nuda collatio inter Episcopos & Proceres regni, pro tuendis finibus utriusque Jurisdictionis, ut unicuique suum servaretur: nec Petrus Cugnerius querelam deposuit apud Senatum, etsi unus esset è majoribus Senatûs, sed apud Principem, qui auditis partibus omnia integra reliquit, nec quicquam innovandum duxit, nè malum exemplum compararet posteris tentandæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ non alio robore tuta est quàm religione & tuitione Principum, & obsequio Fidelium.

## CAPUT VIII.

### *Appellatio tamquam ab abusu satis recens inventum. Refutatur Fevretius.*

A Judice Ecclesiastico nuda & simplex appellatio ad Judicem secularem numquam audita est in Galliâ: sed novissimis seculis, ingenio & machinis secularium Judicum excogitatum est genus appellationis, quod vocant tamquam ab abusu, quo à Judice Ecclesiastico lis transferretur ad Judicem secularem, propter abusum commissum à Judice Ecclesiastico in his quæ propriæ essent Jurisdictionis. Abusus nomen antiquum est: *abusus nihil aliud est quàm usus earum rerum quæ utendo consumuntur, ut frumenti, vini, olei, quorum non est usus, sed abusus*; L. plenum. §. 1. ff. de usu & habitat. M. Tull. in topic. *Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usum fructum legavit, cellis vinariis & oleariis plenis relictis, putare id ad se pertinere; usus enim, non abusus legatus est.* Et Donatus in Andria in illud, *Operam abutitur: Utimur*, inquit, *fructibus rei quæ ab amantibus salvo usu nobis subministrantur; abutimur quando deperdimus & rem & fructum: nam usui est ager, domus; abusui vinum, oleum, & cætera hujusmodi.* Abusus etiam dicitur in pecunia quæ assiduâ permutatione, quasi usu consumitur. Hinc Attico quærenti à Nervâ, quid de thesauro domi invento fieri juberet; Imperator rescripsit, Utere invento: & rursùs anxiè requirenti ob thesauri magnitudinem, Etiam abutere, inquit, χρῶ τῷ ἐυρήματι, καὶ καταχρῶ, ut tradit Philostrat. de vitis Sophistar. libr. 2. & Zonar. in Nerva. Aliàs abusus est prava consuetudo Ecclesiæ; cap. pernicioſus, de celebrat. Missar. vel sequior usus rerum, ut privilegium dicitur amitti abutendo; can. ubi. 74. dist. can. privile-

gium. 11. qu. 3. Augustin. Serm. 247. de tempore : *Judicio enim Legum jure ab obtenta dignitate dejicitur, qui privilegio sibi concesso abutitur.* Eadem analogiâ abusio exactionum dicitur ; Radevic. de gest. Frideric. libr. 2. cap. 8. *Illicitas etiam exactiones, maximè ab Ecclesia, quarum abusio jam per longa tempora inolevit.* Sed appellatio quam vocant ab abusu, satis recens inventum, & novitate ipsâ suspectum est. Fevret. libr. 1. cap. 1. num. 15. ut id genus appellationis ætatis senio commendet, adumbratam ejus imaginem repetere nititur ab appellationibus ad futurum Concilium, vel à Papâ ad Papam meliùs informatum seu consultum, quarum varia exempla variis temporibus referuntur. Verùm hujusmodi appellationes, quid commune habent cum appellatione tamquam ab abusu, quæ interponitur ad Judicem secularem, & ad Parlamenta ? Imò si spectemus consilium & eventum hujusmodi appellationum ad proximum Concilium vel ad Papam meliùs consultum ; non alium habuisse effectum compertum est, quàm offensionem & scandalum. Quid enim auxilii sperandum erat ex appellatione ad futurum Concilium, quod convocari non poterat absque authoritate Pontificis ? Nec probabile erat fore ut à Pontifice contra se ipsum congregaretur, & in appellatione à Papâ ad eumdem meliùs consultum, idem à seipso appellari nequibat ; quia appellatio non defertur nisi ab inferiori ad superiorem : & ex his satis intelligimus eâ ætate nondum auditum fuisse nomen appellationis tamquam ab abusu. Nec origo hujusmodi appellationum duci potest à querela Procerum Galliæ, quæ facta est tempore D. Ludovici, vel à querela Petri Cugnerii Procuratoris fisci quæ audita est tempore Philippi Valesii : quia querela Procerum Galliæ quæ facta est tempore D. Ludovici, facta est in Summum Pontificem, & est actus privatorum, quibus de re publica deliberare fas non fuit inscio Principe, de quo nè verbum quidem. Querela verò Petri Cugnerii dirigebatur ad Principem, super quâ Rex nihil pronunciavit, sed inter Episcopos & Optimates regni collationem tantùm indixit : quibus auditis, re cognitâ nihil innovandum duxit, nè pravo exemplo Jurisdictionis Ecclesiasticæ reverentia & observantia tentaretur, & summa collationis fuit sponsio Episcoporum, si quid emendandum esset, id emendari oportere judicio Ecclesiæ.

Sed ut ætas appellationum tamquam ab abusu accuratiùs observetur, harum nè nomen quidem notum fuit temporibus Caroli VI. Caroli VII. Ludovici XI. & Caroli VIII. & nullum de his vestigium extat apud Masuerium qui scripsit tempore Caroli V. neque apud Joann. Gallum qui claruit tempore Caroli VI. neque apud Guidon. Papam qui scribere cœpit ab anno 1440. & à Judice Ecclesiastico ad Judicem secularem appellandum negant Masuer. tit. de appellat. num. 35. Jo. Gall. qu. 258. 385. Ste-

phan. Paſquier, diſquiſit. Francicar. libr. 3. cap. 27. hujuſmodi appellationum uſum non altiùs repetit quàm à temporibus Ludovici XII. hoc argumento uſus, quòd antea ſub Carolo VIII. Rege à Joanne de Nanterra Procuratore fiſci anno 1484. appellatum à Legatione Balvæ Cardinalis ad Sixtum Papam meliùs conſultum : ex quo ſatis deprehenditur nondum notum fuiſſe remedium appellationis tamquam ab abuſu. Hujuſmodi appellationum cunabula ſuo ævo accepta refert Aufrer. Præſes Toloſanus qui claruit anno 1486. de poteſt. ſecular. regul. 2. fall. 30. cujus verba non contemnenda : *Fallit in præſenti regno, ubi Eccleſiaſtica poteſtas abutitur notoriè ſuâ Juriſdictione vel poteſtate ; quo caſu etiam contra Clericos concedi ſolent per Cancellarium litteræ in caſu appelli ab abuſu notorio vulgariter nuncupatæ, de quibus ſæpenumerò dubitavi ubi fundari poterant in jure. Numquam tamen audivi, neque vidi niſi ſemel, quòd ſuper meritis hujuſmodi cauſarum appellationum fuerit pronunciatum, ſed dumtaxat vel appellationes annullari, aut quòd appellantes non erant ut appellantes recipiendi, quia à Judice ſpirituali non eſt ad ſecularem Judicem appellandum.* Ab eo tempore increbuit uſus appellationum tamquam ab abuſu, qui hodiè forum implet & onerat ; Benedict. in cap. Raynut. verb. ſi abſque liberis. §. 2. num. 49. *Et idem in quocumque judicio Eccleſiaſtico, à quo poteſt ad Regem & ejus Curiam recurri, conqueri, vel etiam appellari ; & quotidiè practicari ſolitum eſt, & Cancellaria litteras concedit.* Non antiquiora Arreſta Curiæ in cauſâ appellationis veluti ab abuſu, quàm ab anno 1533. refert Ægid. Magiſter. tract. de appellat. tamq. ab abuſu, & ab anno 1537. Lucius libr. 2. placit. tit. 3. arr. 5. Tot ſeculis latuit uſus appellationum ad Judicem ſecularem à Judice Eccleſiaſtico ; undenam prodiit ferreo ſeculo? Tot Reges & Principes qui per tempora clavum regni tenuerunt, itanè ſupini & rerum publicarum expertes fuêre, ut de coërcendâ Juriſdictione Eccleſiaſticâ non adverterint, vel eos id remedii effugerit ? Sacrilegium eſt dubitare de Principali judicio ; L. diſputare. C. de crimin. ſacrileg. Una extollenda tot Principum ſapientia & religio, qui Juriſdictionem Eccleſiaſticam, eodem ſpiritu quo Eccleſiam ipſam, impenſiùs coluêre : nec Eccleſiæ decus & compendium Reipublicæ damno cedere rati ſunt. De compeſcenda & anguſtanda Juriſdictione Eccleſiaſtica vehementiùs compellatus eſt Philippus Valeſius : ſed re benè perpensâ, eam integram, & judicio ſuſpenſam reliquit, nè malum exemplum traderet poſteris labefactandæ Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Idem Deus propitius Ludovico Theodato inſpiret conſilium, ut pace jam regno & orbi Chriſtiano partâ, Eccleſiæ pacem tribuat, eamque ſuæ dignitati reſtituat.

## CAPUT IX.

### *Proprii casus appellationis tamquam ab abusu expenduntur.*

Semel admisso usu appellationum tamquam ab abusu ab Ecclesiastico Judice ad secularem, scire valdè expedit quibusnam in casibus locus sit hujusmodi appellationi, nè ad libidinem cujusque in immensum excrescat, & suis transgressis terminis, in Jurisdictionis Ecclesiasticæ solum impunè & irreverenter grassetur, non secùs ac torrens perruptis aggeribus universos circum agros devastat. Vulgus Forensium ponit casus seu apices appellationum tamquam ab abusu, nimirum infractionem sacrorum Canonum, & Decretorum sanctorum Patrum usu receptorum, transgressionem Constitutionum regiarum, contraventionem Arrestis supremarum Curiarum, & tentationem sive invasionem Jurisdictionis regiæ & secularis; Imbert. libr. 3. institut. forens. cap. 6. & in Enchirid. in verb. abusus. Rebuff. in Constitut. reg. tract. de appellat. tamqu. ab abusu. Pasquier libr. 3. disquisit. Francic. cap. 27. Chopin. de sacra polit. libr. 2. tit. 4. num. 1. Burdin. in Constit regiam anni 1539. art. 5. Ego satis intelligo quàm intutus in lubrico gradiar; nimis invidiosum est Ecclesiam de jure suo cum Republica disputare; non æquo marte decernitur, cùm Ecclesia invalida & inermis certat adversùs mundi Principes & Potestates. Haud debent Episcopi de summo jure cum Potestatibus contendere, dispendio rerum redimentes pacem & securitatem Ecclesiæ, & schismatis occasionem devitantes; Augustin. in psalm. 71. *Excellentes quippè in Ecclesiâ, paci debent vigilanti intentione consulere, nè propter suos honores superbè agendo, schisma faciant compage diruptâ.* Captâ armis Apameâ à Chosroë Persarum Rege, unà cum eo Thomas Apamèensis Episcopus ludos circenses spectavit ut ejus ferociam emolliret, licet hoc Canon vetaret: ὡς τὸ νενομισμένον σοφὸς ὑπῆρχε, ut ait Evagr. libr. 4. cap. 24. Sed nè Ecclesia inaudita jus suum amittat, salvâ majestate Principis, ei non immeritò licet libertatem tot seculis inoffensam comiter & inculpatè tueri. Non invidendum ei solatium quod miseris relinquitur, lugendi & querendi: immò nefas est Episcopis silere, ubi salutari voce Ecclesiam juvandi sese præbet occasio, & in discrimine Ecclesiæ quo pacto sese gerant, exemplo insinuat David Psalm. 118. cùm ait: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.*

Nimis profectò vagos, effusos & effrænes esse casus appellationis tam-

quam ab abusu, est quòd dicamus, si singula ad amussim expendamus. Primùm, si quid à Judice Ecclesiastico contra Canones tentetur, non parit abusum de jure. Non negatur appellationem tamquam ab abusu esse novissimum & subsidiarium remedium, quod petendum non est nisi deficiente Ordinario : sed violatio Canonum licet per se inducat gravamen, sententia lata contra Canones potest retractari, vel rescindi per appellationem simplicem ad Superiorem. Non sine injuriâ igitur, omisso simplicis appellationis remedio, decurritur ad appellationem tamquàm ab abusu : frustrà enim postulatur à Principe, quod de jure communi obtineri potest; L. Imperatores. ff. de reb. author. judic. possid. Et si quidquid tentatur à Judice Ecclesiastico contra Canones, daret causam abusui, omninò evacuaretur & extingueretur Jurisdictio Ecclesiastica, nec umquàm deesset occasio appellandi tamquam ab abusu à sententiis Episcoporum : nulla enim existere potest sententia quæ gravamen contineat, à qua non appelletur tamquam ab abusu, quia omne gravamen contrahitur ex transgressione Canonum vel decretorum Pontificum; & si Judicem secularem admittamus judicem & arbitrum contraventionis sacrorum Canonum, ille unus erit interpres Canonum; quod proprium est Episcoporum, quia ejus est interpretari legem, cujus est condere, & Episcopis nefas est Scripturas & Canones ignorare; Synod. Tolet. IV. can. 24. *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat.* Et Celestin. epist. 3. ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ : *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum regulis possit obviare* : Quæ omnia desumpta sunt ex can. ignorantia, & can. nulli Sacerdotum 38. dist. & Hieronym. in illud Aggæi cap. 2. *Interroga Sacerdotes legem : Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege.* Et certè in causis abusûs infractio Canonum ab initio tantùm spectabat ad Pragmaticam, & ideò petebantur Regiæ litteræ è Cancellaria, quæ concipiebantur sub formula infractionis Pragmaticæ, ex edicto Caroli VII. anni 1453. art. 84. 85.

Pariter & infractio Principalium Constitutionum non est idonea causa appellationis tamquam ab abusu, quia Episcopi in negotiis Ecclesiasticis debent judicare secundùm Canones & Decreta Pontificum; Nov. Justin. 6. init. Novell. Theodos. de Episcopor. ordinatione : *Episcopis Gallicanis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ Sedis authoritas.* Nec Constitutiones laïcorum ligant Ecclesiam; cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de Constitut. cap. decernimus, de judic. In quo ergo peccat Judex Ecclesiasticus, si judicans secundùm Canones omittat Constitutiones, quæ ut plurimùm pugnantes sunt cum Canonibus? Et si Constitutionum infractio pariat abusum, quomodò se expedient judices Ecclesiasti-

ci quò caveant abusum : cùm enim Canones ut plurimùm discrepent à Constitutionibus quæ plerumque ex consuetudine in jus transierunt, si fortè judicent secundùm Constitutiones, incident in abusûs laqueos, quia continget eos judicasse præter Canones; quòd si judicent secundùm Canones, non effugient abusum, quia futurum est ut judicarint contra Constitutiones.

Multò minùs Arrestorum contraventio abusum generat, quia Ecclesia habet suas leges, id est, Canones qui habent vim legum : alioquin esset in potestate Judicis secularis evacuare & tollere Canones & Decreta Patrum, quod ferendum non est. Arresta Curiæ jus quidem faciunt, id est, habent vim rerum judicatarum, ita ut retractari non valeant, vel ab his appellari non possit, sed non habent vim Legum; & hoc est quod dicitur in L. non ambigitur. ff. de legibus : *Non ambigitur Senatum jus facere posse.* Arresta Curiæ jus faciunt propter authoritatem rerum judicatarum quibus standum est; L. si fidejussor. §. in omnibus. ff. mandat. L. si patronus. §. si quis cum esset, de bon. libertorum; sed non habent vim Legum, vel Edictorum Principis quæ similium causarum fata componunt; L. 3. C. de legib. Arresta Curiæ sunt Decreta Senatûs lata in certis causis inter privatos, quæ non habent vim legum, quia variè judicatur ex variis causarum figuris seu circumstantiis; L. nonnumquam. ff. ad Trebell. Bonus Judex variè ex personis causisque judicat; L. in fundo. ff. de rei vindicat. L. ob carmen. §. ult. de testib. L. ult. de oblig. & act. Inde Judex non exemplis rerum judicatarum judicare debet, sed Legibus : nec enim si quid perperàm fortè judicatum sit, in aliorum Judicum vitium trahi oportet; L. nemo. C. de sentent. & interlocut. id est, Præses in jure dicendo non tam spectare debet quod major Magistratus judicarit, quàm quod legibus & æquitati congruat. Non est contemnenda rerum sæpiùs iudicatarum authoritas; L. 1. §. hoc autem. ff. ad Sylan. L. 1. §. si cohæredes, ad L. Falcid. ideò optima legum interpres dicitur consuetudo; L. si de interpretatione. ff. de legib. id est, consuetudo res similiter judicandi : sed ea Judici non imponit legem. Legibus, non exemplis judicandum; valdè periculosum est judicare exemplis; sententia lata ex hypothesi, ex causis & personis vim legis generalis obtinere non potest, & sæpiùs per exempla rerum judicatarum legibus illuditur; Cyprian. libr. de singularite Cleric. *Callidi argumentatores & jurisperiti fallaces; qui dum cupiunt prævaricari controversias actionesque causarum, etiam ipsa jura transvertunt; & cùm nolunt competentibus coërceri jussionibus legum, ad illudendos judices inconvenientibus exemplis, velut similes conjecturas juris objiciunt.* Quantò magis Judex Ecclesiasticus non obstringitur exemplis rerum judicatarum à Judice seculari, quod forum est peregrinum & alie-

num prorsùs Judici Eccleſiaſtico; Goffrid. Vindocinenſ. libr. 2. epiſt 24. *Omninò enim injuſtum eſt, & ſacris Canonibus, ſicut ipſi meliùs noſtis, penitùs obviare videtur, ut Eccleſiaſtica cauſa ſeculari & peregrino judicio terminetur.* Item Judices ſeculares de multis injuriâ judicant, ſecuti uſum & conſuetudinem fori ſecularis, quæ vitio uſurpationis cœpit: quæ ratio igitur, ut Judex Eccleſiaſticus non modò juris ſui diſpendium ſuſtineat, dolorem diſſimulatione & ſilentio premat; verùm etiam incubatorem ſui juris laudare, & authorem rei judicandæ ſibi habere cogatur? Et quidem Forenſium meliores in cenſu caſuum appellationis tamquam ab abuſu, contraventionem Arreſtorum tacuêre, licet in aliis à plebe authorum non diſcrepent; Boër. qu. 297. num. 3. *Talia enim attentare, vel alia contra authoritatem & Regias Ordinationes, & Sanctorum Patrum Decreta, libertates & privilegia regni & regnicolarum, vocatur abuſus in Francia.* Imbert. libr. 2. Inſtit. forenſ. cap. 3. *Interdum verò prætermiſſis inferiorum decuriarum gradibus, ad ſummas rectà licet appellare; ſcilicet ſi de abuſu appellans queratur, quem his tantùm ſpeciebus aptari audivimus: primùm, cùm Judex Pontificius ea quæ Regiæ aut laïcæ Juriſdictionis ſunt, ſibi vendicat & præripit: rurſus item, cùm laïcus regiuſve Judex ea quæ ad Pontificium ſpectant, ſibi arrogat: deinde ſi Baſileenſis Concilii ſeu Pragmaticæ Sanctionis Decreta, aut regiæ Conſtitutiones violentur & contemerentur vel à Judice, vel ab alia publica perſona quæ ad judicium quippiam ſpectans exerceat.* Quod idem repetit in Enchirid. in verb. abuſus, iiſdem ferè verbis.

Inter caſus Abusûs connumeratur & tentatio ſeu interpriſia adversûs regiam ſeu ſecularem Juriſdictionem, hoc argumento quòd quilibet Judex poteſt tueri Juriſdictionem ſuam pœnali judicio; L. 1. ff. ſi quis jus dicent. non obtemperav. Sed hac in cauſa non videtur Judex ſecularis alio jure uti poſſe, quàm quo utitur in Judicem Eccleſiaſticum, exploſo ſcilicet cap. dilecto, de ſentent. excommunic. in 6. ex quo Judici Eccleſiaſtico licebat Juriſdictionem ſuam defenſare ſpirituali gladio, id eſt, cenſurâ Eccleſiaſticâ adversùs Judicem ſecularem. Regula enim juris utriuſque eſt, quòd quiſque juris in alterum dixerit, ut ipſe eodem jure utatur. Et ſi admittamus Judicem ſecularem poſſe cognoſcere propter abuſum, de meritis ſententiæ Judicis Eccleſiaſtici, inde duplex incommodum ſeu inconveniens emergit: unum quòd Judex ſecularis judicem ſe præſtat in ſua cauſa, contra L. qui Juriſdictioni. ff. de juriſd. alterum quòd par in parem ſibi aſſumit imperium, contra L. eſt receptum. ff. eod. Item quemadmodum ubi quæſtio eſt de Juriſdictione ſeu competentia fori inter inferiores, cognitio pertinet ad Superiorem; & ubi quæſtio occurrit duas inter Curias ſupremas, ea devolvitur ad Principem, cujus proprium

eſt

ſtcomponere Juriſdictiones; L. judicium ſolvitur. ff. de judic. cap. ut noſtrum, de appellat. & Conſtitut. Caroli VIII. anni 1493. art. 72. ne ſcilicet tribunalia Judicum vario conflictu inter ſe, velut fluctus tempeſtuoſi maris, colliſione frangantur: ita ſi de Juriſdictione quæſtio ſit inter utrumque Judicem, non alius convenienter adiri poteſt quàm Princeps, qui Juriſdictionum fines componat. Ac ubi Petrus Cugnerius de molitionibus fori Eccleſiaſtici celebrem querelam depoſuit, non adiit Senatum, etſi unus eſſet è cœtu, nempè Procurator fiſci; verùm rectà convenit Principem, quem in re explicanda ita laboraſſe compertum eſt, ut omnia in pendenti reliquerit, nè triſti exemplo poſteros provocaret in Juriſdictionis Eccleſiaſticæ everſionem.

## CAPUT X.

***Appellationibus tamquam ab abuſu imponendus eſt modus. Judicium Authoris de appellationibus tamquam ab abuſu, idem quod Patrum Gallicanorum de fruſtratoriis appellationibus ad Sedem Apoſtolicam. Appellationes tamquam ab abuſu lethale virus diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Cunctatio judiciorum Eccleſiaſticorum excuſatur.***

EGo nonnihil concedam ſeculo, quod prioris diſciplinæ auſteritatem ferre non poteſt; Tacit. 1. hiſtor. *Nocuit antiquus rigor, & nimia ſeveritas, cui jam pares non ſumus.* Appellationes tamquam ab abuſu licèt canonicæ diſciplinæ omninò adverſas, haud penitùs explodi velim, ſed modum eis imponi; nè quæ ſine lege introductæ ſunt, ſine lege evagentur, & quaſi cuniculis ſuffodiant univerſam Juriſdictionem Eccleſiaſticam, & Eccleſiam ipſam quæ ſine Juriſdictione ſalva & incolumis eſſe non poteſt. Appellationis tamquam ab abuſu ſuffragium non rejecêre Reges noſtri; verùm id ſuis finibus coërcendum duxerunt, nec recipiendum extra caſus Conſtitutionum: Carolus IX. edicto anni 1572. art. 5. *Les appellations comme d'abus ne ſeront, ſinon ès cas de nos Ordonnances.* Et Henricus III. in Conſtitutione Bleſenſi art. 59. *Défendons à nos Cours de Parlement de recevoir aucunes appellations comme d'abus, ſinon és cas de nos Ordonnances.* Eodem conſilio iidem Principes à diſciplinâ & correctione appellari tamquam ab abuſu non tulere; & ſi appelletur, appellationem quaſi exſecuere, adempto proprio robore appellationis, cujus

effectus est ut suspendat judicatum ; L. si causa cognita. C. de transact. atque ita demptâ vi appellationis, ut non suspendat executionem judicati, verùm devolvat tantùm causam appellationis ad Judicem secularem : quod ante statutum est & Constitut. Francisci I. anni 1539. art. 5. quæ omnia desumpta sunt ex cap. ad nostram. & cap. reprehensibilis, de appellat.

Appellatio tamquam ab abusu, quæ successit appellationibus ad futurum Concilium, & ad Papam meliùs consultum, non alio consilio primitùs excogitata est quàm ad tuendam Jurisdictionem Ordinariorum, & coërcendas molitiones transalpinas. Absit igitur ut qualecumque remedium convertatur in necem Ordinariorum, quorum gratiâ comparatum fuit. Appellatio tamquam ab abusu velut pharmacum tempestivè sumptum corpori forsitan prodest, sed eo utendum parciùs deficiente alio remedio; eo utendum tamquam ferro & igne, quibus interdum curatur corpus urendo, secando, cæteris remediis morbo imparibus. Denique idem mihi judicium de appellatione tamquam ab abusu, quod de inveteratis abusibus ; ferendi, non amplectendi ; omittenda adulta vitia, nè impares videamur, non fovenda ; Tacit. 3. Annal. *Omittenda potiùs prævalida & adulta vitia, quàm hoc adsequi ut palàm fieret, quibus flagitiis impares essemus.* Dolendum quòd vitio seculi sequior usus hujusmodi appellationum in legem desiit, ut veteres morbi corporis in naturam desinunt ; Jo. Chrysostom. Sermon. In princip. indict. novi anni, de muliere quæ profluvium sanguinis patiebatur jam duodecim ab annis : *εἰς φύσιν ὡί αἱμαι τὸ πάθος μετέπεσεν. In naturam, opinor, morbus evaserat.* Indiscretas & frustratorias appellationes ad Sedem Apostolicam damnarunt Patres Gallicani, tamquam Jurisdictionis Ordinariorum, & disciplinæ Ecclesiasticæ exitium lethumve ; Bernard. epist. 178. *Vox una omnium, qui fideli apud nos curâ populis præsunt, justitiam in Ecclesia deperire, annullari Ecclesiæ claves, Episcopalem omninò vilescere authoritatem, dum nemo Episcoporum in promptu habeat ulcisci injurias Dei nulli liceat illicita quævis, nè in propria quidem Parochia disputare. Causam referunt in vos, Curiamque Romanam. Rectè gesta ab ipsis (ut aiunt) destruitis, justè destructa statuitis. Quique flagitiosi & contentiosi de populo, sive de Clero, aut etiam ex monasteriis pulsati, currunt ad vos : redeuntes jactant & gestiunt se obtinuisse tutores, quos magis ultores sensisse debuerant.* Ivo Carnotens. epist 219. ad Paschalem II. *Paternæ pietati suplicamus, ut de cætero senectutem meam propter superfluam & impunitam appellatorum licentiam vexari non permittatis. Dum enim premit nos à prælata potestate illata adversitas, regendi in nobis debilitatur authoritas ; cùm Ecclesiasticam in eos non audemus exercere disciplinam, qui eam adversùs nos appellant non confidentiâ justitiæ, sed pro di-*

*latione sententiæ.* Quantò magis magisque damnandæ sunt indiscretæ & quotidianæ appellationes tamquam ab abusu, quæ passim interponuntur in necem Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Non de damno Jurisdictionis Ecclesiasticæ conqueror ; Ecclesia non quærit quæ sua sunt, nec tuetur Jurisdictionem ut censum temporalem, sed ut mucronem spiritualem in defensionem disciplinæ, ad continendos Clericos in officio. Unum est quod doleo, appellationem tamquam ab abusu peti non ut auxilium & refugium, sed ut suffugium, ut utar verbis D. Bernardi de consider. ad Eugen. libr. 3. quod semel nacti Clerici, impunè luxuriantur & fœnerantur, impunè seculariter vivunt; & Episcopi nè sese committant Judici seculari, nè sacrum nomen dehonestetur in foro, multa ferunt quæ non erant ferenda. Interceſſio Tribunorum plebis, si initia spectes, fuit sacrosanctum auxilium, arx & palladium libertatis nostræ; sed ut subiit intercedendi licentia, versa est in injuriam, alienarum simultatum instita, fax turbarum & bellorum civilium facta : ita & appellationes tamquam ab abusu, quæ priùs in speciem institutæ dicuntur ad tuendam Jurisdictionem Ordinariorum, authoritatem Pragmaticæ & Concordati, insano usu desiêre in perniciem & exitium Ecclesiæ, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut rectè observat Robert. Rer. judicat. libr. 3. cap. 5. Parvis initiis res abiit in immensum, & appellationis genus quod introductum est propter publicas causas, nunc usu corruptum vix locum habet nisi in causis privatorum; & quod intolerabilius est, pessima hæc lues Reipublicæ Christianæ alitur & fovetur industriâ & ingenio Forensium, qui in hoc genere causarum ferè insaniunt, ( nec ad votum audiuntur, ) plaususque excitant in foro, nisi quotidiè orent causas appellationis tamquam ab abusu, & velut in theatro triumphent de humiliatione & contumeliâ sanctissimorum Episcoporum. Sacrosanctorum nomen Episcoporum luditur & exsibilatur in foro; zelus disciplinæ, typhi & tyrannidis insimulatur; honestum studium tuendæ dignitatis Episcopalis, fastûs & ambitionis accusatur; sicque falsâ interpretatione religio adulteratur, sanctitas Episcoporum fit ludibrium fori, & forum fit capitolium impunitatis Clericorum incontinentium & facinorosorum, & falso nomine contumelia Episcoporum vocatur disciplina : quæ olim fuit querela militum in Tribunos; Tacit. 1. histor. *Falsis nominibus supplicia & contumelias vestras disciplinam appellant.*

Ut Judici seculari, & appellationi velut ab abusu, locus seu color quæratur, Jurisdictio Ecclesiastica morosa, jubilæa, pigra, sordida & quæstuosa depingitur, ut olim statua Zenæ Augustæ quæ erat formâ insignior, ab Andronico in statuam anûs rugis & canis obsitæ demutata, nè formæ gratiâ invidiam ejus cædis exacerbaret, & memoriam sceleris instaura-

ret; Nicet. in Andronic. Trinæ appellationis, trinæ ſententiæ volumina pinguiores Officialium exactiones exaggerantur: verùm quid? in foro ſeculari nonnè tertiò appellare licet? Et cunctatio judiciorum nonnè prodeſt Judici ut animum informet, ut partes ad concordiam adducat hortando, ſuadendo, quod maximè eſt officium Epiſcopi: id exemplo ſuo inſinuat Auguſtin. Serm. 24. de verb. Apoſtol. *Fratres mei, in cauſis & negotiis veſtris, quando ad nos judicanda veniunt, ſi homini Chriſtiano dico ut pro tempore redimendo perdat aliquid ſuum; quantò majore curâ & fiduciâ debeo dicere ut reddat alienum?* Officialium quæſtus culpatur; verùm Eccleſia huic malo quâ par erat providentiâ conſuluit, vetando nè ſacri Judices ſportulas exigant; ac ſi hac in re fortè deliquerint, ſuos Judices habent, à quibus pro modo delicti coërceantur. Nec propter vitium Judicis Eccleſia debet ſuâ Juriſdictione carere: delictum Prælati non eſt in damnum Eccleſiæ convertendum; can. ſi Epiſcopum. 16. qu. 7. cap. delictum, de regul. jur. in 6. Innocent. III. libr. 1. epiſt. 249. Concil. Tolet. II. can. 5. *Nec enim juſtum eſt, ut pro pravis actibus Sacerdotum, Eccleſiæ quibus præeminent ſuſtineant damnum, & pro exceſſibus talium ſatisfactio ab Eccleſiis exigatur, cùm Eccleſia cultores ſuos non ad litem, ſed honeſtatem informet.* Hoc jure ex Conſtitutione Conradi Beneficium Eccleſiaſticum ob culpam Epiſcopi vel Abbatis non committitur in perpetuum, ſed ad vitam Prælati, & poſt ejus mortem redit ad Eccleſiam; 2. Feud. tit. 40. Hoc jure uſus Fridericus, Hartuicum Bremenſem, & Ulricum Halberſtatenſem Epiſcopos regalibus multavit quoad viverent, quòd ei defuiſſent in expeditione Italicâ; Otho Friſingenſ. de geſt. Frideric. libr. 2. cap. 12. *Hunc morem Principe ſecuto, non ſolùm laïcorum feuda, ſed & quorumdam Epiſcoporum, id eſt Hartuici Bremenſis, & Ulrici Halberſtatenſis regalia perſonis tantùm, quia nec perſonis, ſed Eccleſiis perpetualiter à Principibus tradita ſunt, abjudicata fuere.* Quod Guntherus metro reddidit, Ligurin. libr. 2.

*Quin & Pontifices Halberſtadenſis, & ille*
*Sub quo Brema fuit, tali regalia jura*
*Amiſere notâ, perſonæ ſcilicet ipſæ,*
*Non tamen Eccleſiæ: neque enim quod Paſtor iniquè*
*Geſſerit, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi.*

## CAPUT XI.

### *Metropolitanus judex ordinarius Suffraganeorum Episcoporum. Idem non habet Jurisdictionem in subditos Suffraganeorum nisi in casibus expressis.*

SICUT Episcopus est Judex ordinarius totius Diœcesis, ita & Archiepiscopus est ordinarius suffraganeorum Episcoporum totius Provinciæ; can. Cleros. 21. dist. can. per singulas. 9. qu. 3. can. quia cognovimus. 10. qu. 3. Episcopi enim comprovinciales sunt subditi Archiepiscopo lege Metropolitanâ; cap. Pastoralis, de offic. Ordinar. & in hanc sententiam Archiepiscopus dicitur habere curam & sollicitudinem totius Provinciæ; d. can. per singulas. quia ejus curam gerit universaliter, non singulariter; Gloss. in d. cap. Pastoralis. Et Metropolitanus non impropriè dici potest Episcopus Episcoporum; quod etiam de Lupo Trecensi Episcopo dixit Sidon. libr. 6. epist. 1. *Tu Pater patrum, & Episcopus Episcoporum*: Et Metropolis dicitur matrix & caput Provinciæ; L. observare. §. ingressum. L. si in aliam. ff. de offic. Procons. Mater urbium; Ammiano libr. 14. *In excidium urbium matris Seleuciæ efferebantur.* Mater civitatum, can. in illis. 80. dist. *Non Primatum aut Metropolitanorum nomine, quia matres civitatum non tenent.* Metropolitanus est Judex ordinarius in causis civilibus & criminalibus Suffraganeorum: putà si Episcopus visitando Diœsim Clericos gravet angariis & procurationibus supra modum, querela defertur ad Metropolitanum; d. can. quia cognovimus: & si Episcopus sine causa Ecclesiæ sacris interdixerit, deponitur, nisi coram Metropolitano sese purgaverit; can. quicumque. 26. qu. 1. Et si civilis vel criminalis lis sit inter Episcopum, & Clericum sibi subditum seu Diœcesanum, Metropolitanus de ea cognoscit in Synodo Provinciali; can. Episcopum. 6. qu. 1. can. si Clericus. 11. qu. 1. Synod. Constantinopolit. I. can. 6. Aurelianens. V. can. 17. Capitul. libr. 7. cap. 241. & hæc se habent in minoribus causis criminalibus: majores enim quæ depositione dignæ sunt, pertinent ad solum Pontificem; Conc. Trident. sess. 13. de reform. cap. 6. 7. 8. & sess. 24. de reformat. cap. 5

Metropolitanus verò non est Judex ordinarius subditorum Suffraganeorum, quia illi habent suum judicem, nimirum Episcopum Diœcesanum; can. in apibus. 7. qu. 1. Metropolitanus nihil juris habet in Diœcesi Suffraganei, nisi quantùm sacri Canones concedunt., vel prisca consue-

tudo illis contulit ab antiquo ; can. conqueſtus. 9. qu. 3. cap. duo ſimul, de offic. Ordinar. Ivo Carnot. epiſt. 83. *Si enim conceſſum fuerit, ut Metropolitanus in Eccleſiis comprovincialibus, abſque conſenſu Epiſcoporum qui eis præſunt, quicquid voluerit valeat imperare, Clericos earumdem judicare, vel ab officio ſuo ſuſpendere ; dignitati Epiſcoporum indigna fiet violentia, & authoritati ſanctorum Patrum ruinoſa injuria.* Quam ob cauſam Metropolitanus non poteſt unire Beneficia in Diœceſi Suffraganei, vel confirmare unionem ſine aſſenſu ſuffraganei Epiſcopi factam, quia in Diœceſi Suffraganei nihil debet contra Conſtitutiones canonicas attentare ; cap. ſicut unire, de exceſſ. Prælat. & Metropolitanus non poteſt conſecrare Eccleſiam in alienâ Diœceſi, etiam in ſuo fundo ſuoque ſumptu ædificatam, ſine conſenſu diœceſani Epiſcopi ; Conc. Arauſic. I. can. 10. Arelat. II. can. 36. quos Nicolao I. perperam tribuit Gratianus, in can. ſi quis Epiſcoporum. 16. qu. 7. niſi hoc habeat ex ſpeciali privilegio, vel conſuetudine præſcriptâ : quo jure Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, in Diœceſi Londinenſi Eccleſiam quam Lanfrancus unus è deceſſoribus ædificarat, dedicaſſe memorat Eadmerus hiſt. libr. 1. *Veniens autem in villam ſuam quæ Herga vocatur, dedicavit illic Eccleſiam quam Lanfrancus quidem fabricaverat, ſed morte præventus ſacrare nequiverat. Inter quam dedicationem venerunt illuc duo Canonici de Sancto Paulo ab Epiſcopo Londoniæ miſſi, litteras ex parte Epiſcopi deferentes, in quibus ut ipſam dedicationem, donec ſimul inde loquerentur, differret deprecatus eſt : dicebat enim ipſam Eccleſiam in ſua Parochia eſſe, & ob hoc licet in terra Archiepiſcopi fuerit, dedicationem illius ad ſe pertinere. Audiens hoc Anſelmus, & Anteceſſorum ſuorum antiquam conſuetudinem ſciens, ratus eſt ab ipſo miniſterio pro hominum precibus non ceſſandum ; nec fecit : ſi quidem mos & conſuetudo Archiepiſcoporum Cantuarienſium ab antiquo fuit & eſt, ut in terris ſuis ubicumque per Angliam ſint, nullus Epiſcoporum præter ſe jus aliquod habeat, ſed humana ſimul & divina omnia, velut in propria Diœceſi, in ſua diſpoſitione conſiſtant, &c.* Hac de re Anſelmus ipſe libr. 3. epiſt. 19. *Semper Archiepiſcopus Cantuariæ hanc habuit poteſtatem & conſuetudinem, ut intra cujuſque Epiſcopi Diœceſim haberet Eccleſia Cantuariæ villam aut Eccleſiam, quæ ejuſdem Archiepiſcopi proprii juris eſſent, quicquid de eadem villa, vel Eccleſia pertineret ad Epiſcopale officium, ſive dedicatio, ſive aliquid aliud.*

Metropolitanus non habet Juriſdictionem in ſubditos Suffraganeorum, niſi in caſibus expreſſis à jure, putà in cauſis quæ per appellationem ad ſe devolvuntur ; cap. Paſtoralis. cap. duo ſimul, de offic. Ordinar. cap. Romana, eod. tit. in 6. cap. Romana, de foro compet. eod. cap. Romana, de appellat. eod. cap. Romana. cap. venerabilibus, de ſentent. excom-

municat. eod. ab Episcopo seu ejus Officiali ad Archiepiscopum appellatur; cap. 2. de consuetud. in 6. cap. ut litigantes, de offic. Ordinar. eod. Metropolitanus causas per appellationem devolutas potest judicare per se, vel illas subdito cuicumque Suffraganei sui in ejus Diœcesi delegare, volenti non invito; d. cap. Pastoralis. d. cap. Romanâ, de foro compet. in 6. in sua vel in ejus Diœcesi à quo appellatum est, non alibi, nisi aliud de consuetudine obtineat; d. cap. ut litigantes. Convenientius tamen de causis Suffraganeorum Metropolitanum judicare in ipsa Metropoli, duxit Gregor. Nyssenius in causa Helladii Episcopi: testem ipsum habemus in epist. ad Flavianum: εὐπρεπέστερον ἔναι κρίνων, ἐπὶ τῆς μητροπόλεως γενέσθαι τὴν συνωχίαν. *Quod magis esse decoro consentaneum putarem, ut in ipsa Metropoli hominem convenirem.* Metropolitanus non potest in Diœcesibus Suffraganeorum sibi constituere Officialem pro futuris causis, sed pro pendentibus tantùm, cùm scilicet fuerit appellatum, nisi aliud de speciali consuetudine obtineat; cap. Romanâ, de offic. Ordinar. in 6. cap. Romanâ, de appellat. eod. Metropolitanus quoque potest ordinariam Jurisdictionem exercere in tollendis pravis consuetudinibus Provinciæ; cap. ad extirpandas. cap. ult. de filiis Presbyter. cap. ex frequentibus, de institut. vel contrà impedientes Jurisdictionem suam, putà visitando Provinciam potest coërcere injuriam facientes sibi vel suis; vel ubi convocat Concilium, per nuncios quos hac de causa destinat per Provinciam; cap. Romanâ, de pœn. in 6. Canonicos absque manifestâ & rationabili causâ, in contemptum Episcopi, cessantes à divinis, Metropolitanus tamquam delegatus à Sede Apostolica potest censuris Ecclesiasticis coërcere; cap. irrefragabili. §. cæterum, de offic. Ordinar. cap. quamvis, eod. tit. in 6. Metropolitanus etiam potest missitare quæstores per universam Provinciam pro fabrica Metropolitanæ Ecclesiæ, & indulgentiam concedere per totam Provinciam; cap. 1. de pœnitent. in 6. ita ut modum generalis Concilii non excedat; cap. nostro, ex eod. tit. Item Metropolitanus Clericos cruce falsò signatos, à fratribus militiæ S. Joannis Hierosolymitani missos per totam Provinciam, prædicationis officio interdicere potest; & si sint laïci, excommunicationis mucrone percellere; cap. tuarum, de privilegiis.

Si Episcopus à Metropolitano monitus, subdito non jure excommunicato absolutionis beneficium deneget, Metropolitanus receptâ cautione juratoriâ de satisfaciendo, eum absolvere poterit; cap. ad reprimendam, de offic. Ordinar. cap. per tuas, de sentent. excommunicat. cap. venerabilibus, eod. tit. in 6. nec non Metropolitanus aditus per querelam potest supplere negligentiam Suffraganeorum; putà potest cogere Episcopum ut sibi constituat Oeconomum seu Vicarium, vel eo cessante potest ipse

constituere ; can. cùm simus. 9. qu. 3. can. in nona. 16. qu. 7. idem de Decano seu Archipresbytero rurali ; cap. ult. de offic. Archipresbyter. sic & potest cogere Episcopum suffraganeum cessantem in erectione Seminarii ; Conc. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 18. imò & visitando potest punire notoria crimina, propter negligentiam Suffraganeorum; cap. 1. §. notoria, de censib. in 6. Vacante Sede Episcopali morte Episcopi, Jurisdictio Episcopalis, vel administratio rerum Ecclesiæ non devolvitur ad Metropolitanum, sed relinquitur penès Capitulum, exceptis duobus casibus. Primus est, si non sint idonei Clerici in Ecclesia ; can. non liceat alicui. 12. qu. 2. Secundus est, si Capitulum res Ecclesiæ perperàm administret, tunc Metropolitanus causâ cognitâ, visitatorem seu administratorem sedi vacanti potest imponere ; cap. 1. & ult. de suppl. neglig. Prælat. in 6. Olim tamen Metropolitanus vacantem Ecclesiam per se curabat, donec Episcopus ordinaretur, vel eam viciniori Episcopo commendabat. Foro-Cornelienſem, nunc Imolenſem Ecclesiam, quæ tunc pertinebat ad Mediolanensem Metropolim, fortè vacantem Constantio Episcopo viciniori commendavit Ambrosius Mediolanensis Episcopus, quòd eò non posset excurrere per tempus Quadragesimæ : testis ipse Ambros. epist. 44. *Commendo tibi, fili, Ecclesiam quæ est ad forum Cornelii, quò eam de proximo intervisas frequentiùs, donec ei ordinetur Episcopus. Occupatus diebus ingruentibus Quadragesimæ, tam longè non possum excurrere.* In Anglia, vacante Sede Episcopali, baculus pastoralis deferebatur ad Metropolim, & collocabatur super altare Metropolis ; Eadmer. hist. libr. 4. *Supra memoratus Gundulfo Episcopo de hac vita sublato, Anselmus ad eum sepeliendum Roffam ivit : Baculus autem Episcopalis Cantuariam ab Ernulfo Monacho Roffensi, qui ejusdem Episcopi Capellanus extiterat, pro more delatus est, & in præsentia fratrum super altare Domini Salvatoris præsentatus.* Vacantium Episcopalium Ecclesiarum fructus unius anni Rex sibi vindicabat, Jurisdictionem & quicquid emolumenti inde erat, Metropolitanus ; Polydor. Virgil. Rer. Anglicar. libr. 10. *Item per jus ipsis Regibus licet & Episcopatuum vacantium prædia recipere, ac fructus in sex menses, vel in integrum annum debitos capere, aut ab illis quibus ea sacerdotia dantur exigere ; quemadmodum interea dum vacant, primus Provinciæ Antistes in Episcopalibus ipsis Jurisdictionem habet, & quicquid emolumenti inde est, ei est.*

CAPUT XII.

## CAPUT XII.

### *Jura & munia Metropolitanorum. Lapsus Ecclesiasticæ disciplinæ ex omissione Conciliorum Provincialium.*

METROPOLITANUS est judex ordinarius totius Provinciæ. Hoc jure is potest visitare Provinciam, & procurationes exigere à subditis Suffraganeorum; cap. sopitæ. cap. super eo. cap. cùm nuper, de censib. cap. 1. & ult. eod. tit. in 6. cap. cùm ex officii, de præscript. quod dicitur fieri jure metropolico; cap. cùm à nobis, de arbitr. Jo. Gallus. qu. 196. Archiepiscopus dum lustrat Provinciam, potest notoria crimina punire, cùm super his meritò notari possit negligentia Ordinariorum; Confessiones subditorum Suffraganeorum audire, & absolvere confitentes, ipsisque pœnitentiam injungere; d. cap. 1. & ult. de censib. in 6. Hodiè Metropolitanus non potest visitare Provinciam, & Suffraganeorum Diœceses, nisi causâ cognitâ & probatâ in Concilio Provinciali, putà propter negligentiam Ordinariorum; Conc. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 3. Veteri jure Metropolitanus debet convocare Concilium Provinciale bis in anno; Conc. Nicen. can. 5. Antiochen. can. 20. Chalced. can. 13. Leon. epist. 82. can. de Conciliis. can. habentur. can. propter. can. pervenit. 18. dist. Idem statutum in Synodo Constantinopolitana 2. Socrat. libr. 5. cap. 8. ὥρισαν δὲ, ὥστε εἰ χρεία καλέσοι τὰ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν, ἵνα ἡ τῆς ἐπαρχίας σύνοδος διοικῇ. *Itemque statuerunt uti, si usus postularet, res cujusque Provinciæ Concilium Provinciale dispensaret.* In Gallia penès Metropolitanum fuit congregatio Concilii Provincialis; Gregor. Tur. libr. 5. cap. 20. *Quòd cùm Rex Guntramnus comperisset, congregari Synodum apud urbem Lugdunensem jussit: conjunctique Episcopi cum Patriarchâ Nicetio beato*, is fuit Archiepiscopus Lugdunensis. Et Idem libr. 9. cap. 20. *Sed juxta consuetudinem Canonum placebat gloriosissimo nepoti vestro, ut unusquisque Metropolitanus cum Provincialibus suis conjungeretur, & tunc quæ irrationabiliter in regione propriâ fiebant, sanctione sacerdotali emendarentur.* Concilium apud Arvernam civitatem pro Parochis Cadurcinis, à Sulpitio Metropolitano Bituricensi celebratum refert idem Greg. Tur. libr. 6. cap. 38. *Theodosius Ruthenorum Episcopus obiit, & Innocentius Gabalitanorum Comes eligitur ad Episcopatum, opitulante Brunichilde Reginâ: sed assumpto Episcopatu, confestim Ursicinum Cadurcinæ urbis Episcopum lacessere cœpit dicens, quia Diœceses Ruthenæ Ecclesiæ debitas retineret. Unde factum est, ut diuturnâ intentione gliscente,*

*post aliquot annos conjunctus Metropolitanus cum suis Provincialibus, apud urbem Arvernam residens, judicium emanaret, scilicet ut Parochias, quas numquam Ruthena Ecclesia tenuisse recolebatur, reciperet: quod ita factum est.* Medio jure Concilium Provinciale à Metropolitano semel in anno celebrari placuit; Synod. VI. in Trull. Synod. VII. can. 6. can. quoniam. 18. dist. Concil. general. Lateranens. cap. sicut, de accusat. cap. grave nimis, de præbend. Hodiè saltem quolibet triennio; Conc. Trident. sess. 24. de reform. cap. 3. Metropolitanus non potest exactitare Ecclesias à Suffraganeis vocatis ad Synodum; can. de eulogiis. 18. dist.

Metropolitanus in Concilio Provinciali debet habere tractatum de corrigendis excessibus, & reformandis moribus Suffraganeorum, & ob id statuere idoneos inquisitores, qui per totum annum simpliciter & de plano sine Jurisdictione sollicitè inquirant, quænam correctione & emendatione egeant, & ea perferant ad Metropolitanum & Comprovinciales suos in proximo Concilio Provinciali, & quæ super his in eo statuta fuerint caveant observari, Decreta Concilii Provincialis publicaturi in Episcopalibus Synodis annuatim per singulas Diœceses celebrandis; d. cap. sicut. can. Episcopus in Synodo. 35. qu. 6. & hi sunt quos testes Synodales vocat cap. præterea, de testib. cogend. quòd in Synodo Provinciali publicè legerentur & probarentur, & vice Synodi fungerentur; Ambros. epist. 79. *Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit.* Metropolitanus in Concilio Provinciali debet diligenter inquirere, an Suffraganei conferant Beneficia indignis. Quod si Episcopus post alteram monitionem deprehensus fuerit conferre Beneficia indignis, per Metropolitanum in Synodo Provinciali suspenditur à collatione beneficiorum institutâ idoneâ personâ, quæ suspensi defectum suppleat in Beneficiis conferendis; d. cap. grave nimis. Episcopi vocati ad Synodum adesse debent: quòd si non liceat propter ætatem, valetudinem, vel aliam causam, debent se excusare apud Metropolitanum per litteras quas tractorias vocant, alioquin pœnæ causâ propriæ Ecclesiæ communione debent coërceri; can. Episcopus. can. placuit. 18. dist. Quòd si antequàm Concilium solvatur, à Concilio discedant sine commeatu, à fratrum communione suspenduntur; Concil. Arelat. II. can. 19. can. si quis autem. ead. dist. vel à Missarum officio per sex menses; Conc. Aurelian. V. can. 18. Metropolitanus non potest vocare ad Synodum Provincialem, Episcopos alterius Provinciæ. Hac de causa Victorini Primatis Numidiæ tractoriam quâ Mauritaniæ Episcopos simul cum Numidicis ad Synodum convocabat, arguit Augustin. epist. 217. *Legi in eadem tractoriâ, etiam ad Mauritanias esse scriptam, quas Provincias scimus habere suos Primates. Quòd si & ex eis ad Numidiam convocandum esset Concilium, oportuit utique ut aliquorum Maurorum Episcoporum,*

*qui illic priores sunt, nomina in tractoria ponerentur.* Ivo Carnotens. epist. 236. *Nusquam enim reverenda Patrum sanxit authoritas, nusquam hoc servare consuevit antiquitas, ut primæ sedis Episcopus Episcopos extra Provinciam propriam positos invitaret ad Concilium, nisi hoc aut Apostolica Sedes imperaret, aut una de Provincialibus Ecclesiis, pro causis quas intra Provinciam terminare non poterat, primæ Sedis audientiam appellaret.*

Floruit disciplinæ Ecclesiasticæ genius, quamdiu Metropolitani Provincialia Concilia quot-annis vel saltem crebriùs celebrare studuerunt, quibus Suffraganeorum negligentia & remissio coërcebatur, status Ecclesiarum, Episcoporum & Clericorum vivendi ratio observabatur: sed his omissis, brevi tractu collapsa est Ecclesiastica disciplina. Inde Episcopatus in manus laïcorum cecidêre, Ecclesiæ factæ sunt stipendia militum, præda & deliciæ laïcorum. Ecclesiæ cladem deplorat, & ejus causam insinuat Bonifac. Moguntin. epist. 132. ad Zachariam S. P. *Franci, ut seniores dicunt, plusquàm per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica jura alicubi fundabant, vel renovabant. Modò autem maximâ ex parte per civitates Episcopales, sedes traditæ sunt laïcis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis scortatoribus & publicanis seculariter ad perfruendum.* Instaurandæ Ecclesiasticæ disciplinæ causâ jam ferè extinctæ, Concilia Provincialia instaurari, imploratâ à Principe libertate coëundi, jam olim placuit Patribus Conc. Parisiensis VI. quod habitum est anno 829. part. 1. can. 26. *Inrepsit inter cætera, quæ Ecclesiasticæ authoritati, imò divinæ contraëunt, miserabilis ac periculosa temporis nostri consuetudo, quæ valdè ab authoritate canonica abhorret, eò quòd Episcoporum Concilia bis in anno, sicut mos canonicus docet, per unamquamque Provinciam non fiunt, & ob id Ecclesiasticæ utilitati magnum dispendium, & Principalibus auribus insolens impedimentum, & multorum impunitas nascitur flagitiorum. Proinde omnibus nobis per necessarium visum est, ut ab Imperiali celsitudine, libertas temporis imploretur, quo hæc ad honorem Dei, & utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, multorumque correctionem, congruenter decenterque fieri possint. Et si hæc aliquâ præpediente necessitate bis nequeunt, saltem in anno semel fiant: quoniam si hæc semel, ut dictum est, in anno per unamquamque Provinciam celebrata fuerint, & honor Ecclesiasticus vires ordinis sui obtinebit, & impudentia quorumdam superborum Clericorum, quæ passim authoritate canonicâ calcatâ auribus Imperialibus molestiam ingerit, cessabit, & impunitas diversorum flagitiorum locum delitescendi quem nunc habet, non habebit, & alia multa quæ hactenùs secùs, quàm Ecclesiastica disciplina docet, incesserunt, ordinem suum Domino auxiliante, servabunt.* Recidivo Ecclesiæ vulnere Conciliorum Provincialium celebrandorum solemnis usus defecit, non sine maximâ

labe, & dispendio Ecclesiasticæ disciplinæ: utinam diebus nostris fœlici postliminio restituatur, & Metropolitani intelligant quantum damni & dedecoris sibi & Ecclesiæ contingat, ex casu & quasi caducitate Provincialium Conciliorum. Sublatâ electione Episcoporum, Metropolitanis adempta est confirmatio & consecratio electorum. Cognitio de causis subditorum Suffraganeorum quæ pertinet ad Metropolitanos, passim intercipitur per appellationes veluti ab abusu: unicum eis restat dignitatis & potestatis argumentum Synodi Provincialis convocandæ jus, quod si eis tollatur, Metropolitanorum nomen & authoritas evanuit. Est igitur quod sibi caveant, nè hocunico lumine priventur; L. illicitas. §. nè tenues. ff. de offic. Præsid. Clem. 1. §. in cessationibus, de sentent. excommunic.

## CAPUT XIII.

### *Ad Metropolitanum pertinet confirmatio & consecratio electorum Episcoporum. Metropolitanus habet jus Crucis præferendæ per universam Provinciam. Idem habet jus Pallii.*

AD Metropolitanum spectat confirmatio electi in Episcopum; Conc. Nicen. can. 4. can. 1. dist. 64. cap. Suffraganeis. cap. cùm inter. cap. cùm dilectus, de elect. cap. quâ fronte, de appellat. Metropolitanus electus & confirmatus, etsi nondum consecrationem acceperit, potest confirmare electum; cap. 1. de translat. Episc. quia potest exercere ea quæ sunt Jurisdictionis, non Ordinis; cap. transmissam. cap. nosti, de elect. Ad Metropolitanum etiam pertinet Ordinatio & consecratio Episcoporum; Conc. Nicen. can. 4. & 5. Antioch. can. 19. can. Episcopi. 64. dist. can. sanè. can. Episcopus 65. dist. can. qui in aliquo. 51. dist. Hoc jure Silvestrum designatum B. Tetrico successorem in Episcopatu Lugdunensi, Lugdunum iter arripuisse ut consecrationem acciperet à Nicetio Archiepiscopo Lugdunensi, refert Gregor. Tur. libr. 5. hist. cap. 5. *Interea transeunte beato Tetrico, hic tonso capite Presbyter ordinatur, acceptâ omni potestate de rebus Ecclesiæ: qui verò ut benedictionem Episcopalem Lugduni accipiat, iter parat.* Episcopus verò debet ordinari à tribus Episcopis, non sine præsentia vel consensu Metropolitani; Conc. Nicen. can. 4. & 5. can. Episcopi & seq. 64. can. sanè. & seq. 65. dist. cap. si Archiepiscopus, de tempor. Ordinat. Metropolitanus priusquàm Pallium acceperit, non potest Clericos ordinare, Episcopos consecrare, Concilium Provinciale convocare, Chrisma conficere, quæ omnia sunt Ordinis; can. quoniam. 100. dist. cap. significasti, in antiq. cap. quod sicut. §. pen. de elect. Metro-

politanus quidem non potest consecrare Episcopos sine Pallio : ob id cùm Richerio Senonensi Archiepiscopo ad tempus pallio interdictum esset, ab Urbano II. ei indultum est interim pallio uti in consecratione Guillelmi electi Parisiensis ; Ivo Carnotens. epist. 50. *Inde mando vobis ex parte domni Papæ, ut si Parisiensis Ecclesia eum sibi ordinari & consecrari postulaverit, ante festum sancti Remigii secundum authoritatem & consuetudinem Ecclesiæ vestræ ei manum imponatis, & honore Pallii ad tempus vobis interdicto, in ejus ordinatione & consecratione uti nullatenùs formidetis.* Metropolitanus, inquam, priusquàm pallium acceperit, non potest consecrare Episcopos, verumtamen potest mandare Suffraganeis, ut electum qui ejus ad Jurisdictionem pertinet consecrent ; cap. Suffraganeis, de elect. quia electus & confirmatus demandando suis Suffraganeis, ut electum consecrent, exercet ea quæ sunt Jurisdictionis. Mandatum de consecrando est Jurisdictionis, non Ordinis ; & ideò non potest id officii mandare aliis quàm Suffraganeis, qui semel mandatâ potestate consecrandi, eam exercent ut propriam ; L. legali. ff. de offic. Proconsul.

Metropolitanus potest per se consecrare Episcopos, adjunctis duobus Episcopis, vel rem alteri demandare ; cap. quòd sedem, de offic. Ordinar. Cùm Faustianus à Gundovaldo incubatore Aquitaniæ, Aquensis Episcopus designatus esset, Bertramnus Burdegalensis Archiepiscopus sibi cavens, ejus consecrationem mandavit Palladio Santonensi Episcopo ; Gregor. Tur. libr. 7. cap. 31. *Dum autem in hac urbe morarentur, Faustianum Presbyterum Aquensi urbi Episcopum ordinari præcipiunt. Nuper enim in Aquensi urbe Episcopus obierat, & Nicetius comes loci illius, germanus Rustici Vici-Julensis Episcopi, præceptionem ab Chilperico elicuerat, ut tonsoratus civitati illi Sacerdos daretur. Sed Gundovaldus destruere nitens ejus decreta, convocatis Episcopis jussit eum benedici : Bertramnus autem Episcopus qui erat Metropolis cavens futura, Palladium Santonicum injungit qui eum benediceret, &c.* Episcopus cùm consecratur, professionem obedientiæ & reverentiæ præstat Archiepiscopo, quæ vocatur sponsio canonica ; can. quanquàm. 23. dist. cap. dilecti, de major. & obed. Conc. Vernens. I. can. 2. Capitul. Carol. Magni. addit. 4. cap. 87. Ivo Carnotens. epist. 61. *Timentes rei fieri sponsionis quam Metropolitanæ Sedi fecimus.* Metropolitano protelante post monitionem electum consecrare, consecratio devolvitur ad Summum Pontificem, salvo Metropolis privilegio ; can. nunc verò. 9. qu. 3. Recusante Richerio Senonensi Archiepiscopo, Ivonem Carnotensem Episcopum propriis manibus consecravit Urbanus II. salvâ Metropolitano canonicâ obedientiâ, de quo extant litteræ ipsius Pontificis, quæ præfixæ sunt epistolis Ivonis : *Nostrâ itaque fulti licentiâ Carnotenses, venerabilem Presbyterum Ivonem canonico ordine*

*in Episcopum elegerunt: cùm autem à te consecrationis gratiam pro more Ecclesiæ petivissent, tua ei fraternitas manum imponere recusavit. Ad nos igitur ipsis venientibus, & consecrationis ejusdem gratiam deposcentibus, Nos qui viri religionem jamdudùm noveramus, & ejus eligendi licentiam dederamus, petitioni justæ deesse nequivimus: consecratum ergo eum, salvâ Ecclesiæ tuæ obedientiâ, remittentes, &c.* Hodiè ex quo per Concordata promotio Episcoporum reservata est Summo Pontifici, salvâ Principi designatione seu nominatione, Metropolitanus amisit omne jus quod ei erat circa consecrationem Episcoporum, & ea solet à Pontifice demandari tribus Episcopis, etsi minimè comprovincialibus.

Metropolitanus habet jus Crucis præferendæ per totam Provinciam; cap. 1. Ut lit. pendent.: Vita & proceſſ. B. Thomæ Cantuar. libr. 1. cap. 35. *Intraturus Cameram Regis, ibi enim Regis præstolabatur adventum, ad ostium ipsum à crucis bajulo crucem accepit, & palam cunctis videntibus ipse eam bajulat, sequentibus eum Episcopis, & id aliter quàm decuit interpretantibus.* De quo & Guill. Neubrigens. libr. 2. cap. 16. Etiam in locis exemptis Metropolitanus habet jus Crucem præferendi, & in Pontificalibus celebrandi; Cle. ult. de privil. Metropolitanus etiam habet jus Pallii, quod est proprium insigne dignitatis & potestatis Metropolitanorum, quo confertur plenitudo Pontificalis officii; cap. quoniam. & seqq. 100. dist. d. cap. significasti, de elect. cap. nisi, de author. & usu Pallii.

## CAPUT XIV.

*Jura Primatum. Peregrina judicia. Primatus Senonensis. A Metropolitano appellatur ad Primatem, vel ad Sedem Apostolicam. Primatus non continet gradum Jurisdictionis necessariæ, contra Fevretium.*

SICUT Episcopus præest cuique Diœcesi, Metropolitanus seu Archiepiscopus uni Provinciæ, ita & Primas pluribus Provinciis, seu syntheſi Provinciarum; can. in illis. 81. dist. Leo IX. epist. 4. Primatis est Episcopos & Metropolitas electos confirmare & consecrare; Leo epist. 84. Conc. Carthag. I. can. 12. can. de personâ. can. placuit. 65. dist. can. Metropolitano. 63. dist. Inconsulto Primate cujusque Provinciæ, Episcopus non potest à Metropolitano ordinari; d. can. de personâ. d. can. placet. can. si Primates. 5. qu. 2. Imò Carthaginensis Episcopi & Primatis Africæ est consecrare Episcopos totius Africæ; Synod. Carth. III. can. 45. *Fuit sem-*

*per hæc licentia Sedi Carthaginensi, unde vellet & de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum* : Quod repetitum est Conc. African. can. 22. Et hoc jure Augustinus Hipponensis Episcopus ordinatus à Megalio Calamensi Episcopo Numidiæ Primate, non sine consensu Primatis Carthaginensis, de quo Possid. in ejus vit. *Unde amplius formidans idem venerabilis senex* ( is erat Aurelius Hipponensis Episcopus, qui Augustinum sibi adscivit adjutorem, & futurum successorem ) *& sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis litteris apud Primatem Episcopum Sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque gravitatem, & obsecrans ut Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ Cathedræ non tam succederet, sed Consacerdos acederet Augustinus : quæ igitur beatus Valerius optavit, & rogavit satagens, rescripto impetravit.* Et hoc jus Carthaginensi Primati restitutum, receptâ à Vandalis Africâ ; Nov. Justin. 131. cap. 4. Idem juris fuit Toletani Episcopi & Primatis Hispaniæ, consecrare Episcopos à Rege electos, & ab ipso Primate probatos, salvo privilegio Metropolitani, ita ut Episcopus post Ordinationem intra tres menses proprium Metropolitanum adiret obsequii & reverentiæ ergo ; Conc. Tolet. XII. can. 6. can. cùm longè. 63. dist. Tarraconens. can. 5. can. si quis in Metropolitana. 65. dist. Primatis etiam est Synodos è Provinciis subditis convocare ; Leo epist. 84. Hormisd. epist. 1. Gregor. libr. 4. epist. 52. sed & nonnumquàm urgentibus negotiis, quosdam è diversis Provinciis ad se evocare, de negotiis illis consultaturos ; Gregor. eod. loc. Hæ sunt præcipuæ vices Primatum Synodum convocare Episcoporum totius Diœcesis, Decreta Sedis Apostolicæ subditis Episcopis & Metropolitanis intimare, gesta in Synodo referre ad Sedem Apostolicam, & majora negotia quæ spectant ad Sedem Apostolicam disponenda satagere, ut specialiter expressum est litteris Joannis VIII. de Primatu Ansegisi Senonensis Archiepiscopi, quæ in Synodo Pontigonensi lectæ sunt præsente Carolo Caluo, & ægrè receptæ ab Episcopis Galliarum, nec aliter quàm salvo singulis Metropolitanis privilegio Ecclesiarum ; Aymoin. continuator libr. 5. cap. 33. *Resedit domnus Imperator in Synodo, & legit Joannes Tuscanensis Episcopus epistolas à Domno Apostolico missas, cum quibus & legit epistolam de Primatu Ansegisi Senonensis Archiepiscopi, ut quoties utilitas Ecclesiastica dictaverit, sive in evocanda Synodo, sive in aliis negotiis exercendis per Gallias & Germanias, Apostolicâ vice fruatur, & rursùs quæ gesta fuerint, ejus relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur, & majora negotia ac difficiliora quæque suggestione ipsius à Sede Apostolicâ disponenda, & enucleanda quærantur. Petentibus autem Episcopis, ut eis permitteretur ipsam legere epistolam quibus erat directa, non adquievit Imperator, sed responsum quæsivit ab eis, quid*

*de his juſſis Apoſtolicis reſponderent. Quorum reſponſio talis fuit, ut ſervato ſingulis Metropolitanis jure privilegii, ſecundùm ſacros Canones, & juxta Decreta Sedis Romanæ Pontificum ex eiſdem ſacris Canonibus promulgata, domni Joannis Papæ Apoſtolicis juſſionibus obedirent, &c.* Odorannus in Chronic. ex actis Synodi Pontigonenſis: *Sicut Domnus Joannes ſanxit, conjubente & condecernente Domno, ac glorioſiſſimo Carolo Imperatore ſemper Auguſto, Anſegiſum venerabilem Senonenſem Archipræſulem ſuam vicem tenere, & Primatum Galliæ & Germaniæ contulit, in evocanda Synodo, & diffinienda canonicè, ſi quæ inſurrexerint neceſſaria, ut & quælibet graviora ad notitiam ipſius referat; & nos unanimi devotione laudamus.* De jure Primas non poteſt quicquam diſponere, ordinare, vel judicare in Parochia alterius, niſi in caſibus à jure expreſſis, putà ſi invitatus fuerit, id eſt, rogatus à Diœceſano; can. nullus Primas. 9. qu. 2. can. nullus Primas. ead. cauſ. qu. 3. quia judicia peregrina ſacris Legibus vetantur, hoc eſt quæ ſunt non ſui Judicis, licèt Eccleſiaſtici; can. peregrina. can. leges. 3. qu. 6. Ivo Carnotenſ. epiſt. 35. *Peregrina judicia nullius eſſe momenti, Decretorum pariter & Canonum generali ſanctione decernit authoritas.* Et eò alludens idem epiſt. 85. *Cùm autem in Provincia veſtra peregrinum ſit judicium noſtrum, peregrinum tamen non putamus eſſe conſilium noſtrum.* Si lis ſit inter Epiſcopum vel Clericum, & Metropolitanum, cognitio eſt Primatis; Conc. Chalced. can. 9. can. ſi Clericus. 11. qu. 1. can placuit 16. qu. 6. Nec non Primatis eſt Epiſcopis & Metropolitanis, extra Diœceſim, vel Romam proficiſcentibus, formatas, id eſt, dimiſſorias litteras concedere; Zozim. epiſt. 5. 9. & 11. Ejuſdem eſt de rebus in Synodo Provinciali judicatis recognoſcere & judicare; Leo epiſt. 84. cap. 7. de Conciliis. 18. diſt. can. can. ſi inter. 6. qu. 4. Primas ſeu Patriarcha non poteſt cognoſcere de cauſis ſubditorum Epiſcoporum vel Metropolitanorum, niſi de his quæ per appellationem ad ſe devolvuntur: quia Primas nihil juris habet præ cæteris Epiſcopis, niſi quantùm ſacri Canones, vel priſca illis conſuetudo contulit; can. conqueſtus. 9. qu. 3. cap. duo ſimul, de officio Ordinar. quo nixus Ivo Carnot. Epiſcopus Senonenſis Provinciæ, à Primate Lugdunenſi vocatus ad Synodum apud Anſam celebrandam, ſcripſit Primatem nihil juris habere extra Provinciam, niſi in cauſa appellationis; epiſt. 236. *Nuſquàm enim reverenda Patrum ſanxit authoritas, nuſquàm hoc ſervare conſuevit antiquitas, ut primæ Sedis Epiſcopus Epiſcopos extra Provinciam poſitos invitaret ad Concilium, niſi hoc aut Apoſtolica Sedes imperaret, aut una de Provincialibus Eccleſiis, pro cauſis quas intra Provinciam terminare non poterat, primæ Sedis audientiam appellaret.* A Metropolitano appellatum ad Primatum Lugdunenſem narrat, & Guillelm. Brito Philippid. libr. 2.

*Et*

*Et Lugdunenſis quo Gallia tota ſolebat,*
*Ut fama eſt, Primate regi, cauſaſque referre*
*Difficilès, ut ibi lis ultima litibus eſſet,*
*Nec mittebatur lis ulla, niſi quam*
*Lugdunenſe forum per ſe finire nequiſſet.*

A Metropolitano appellatur ad Primatem, vel ad Sedem Apoſtolicam; can. ſi quis putaverit. 1. & 2. 2. qu. 6. Fevret. tamen libr. 9. cap. 3. num. 12. cenſet à Metropolitano non poſſe appellari ad Sedem Apoſtolicam, omiſſo Primate, adducto in hanc rem ex Rebuff. in Concord. tit. de frivol. appellat. Arreſto Senatûs Pariſienſis anni 1525. in cauſa Abbatis Omnium Sanctorum Andegavenſis, contra quem judicatum temerè ab eo appellatum à Metropolitano Turonenſi ad Sedem Apoſtolicam, omiſſo Primate Lugdunenſi, damnatâ conſuetudine contrariâ. Ego non nego inter volentes licere appellare à Metropolitano ad Primatem: ſed nihil vetat à Metropolitano appellari ad Sedem Apoſtolicam, omiſſo Primate; quòd Primas non conſtituat neceſſarium gradum Juriſdictionis, ſed voluntarium dumtaxat, inter eos qui ultrò ſe ſubmittunt Juriſdictioni Primatis. In Gallia enim non plures quàm tres gradus Juriſdictionis admittuntur, quorum in cenſu Epiſcopus ſtatuit primum gradum, Metropolitanus ſecundum, Sedes Apoſtolica tertium & ultimum, ita ut nullus locus ſit Primati, niſi detur quartus gradus Juriſdictionis. Et hoc ita verum eſt in hoc regno non recipi plures quàm tres gradus Juriſdictionis, ut Edicto Caroli IX. anni 1563. ſancitum ſit, nè domini Juſticiarii plus habeant quàm unicum gradum Juriſdictionis, quo Juriſdictio univerſa tribus gradibus contineatur. His regulis ita judicatum audio in Senatu Toloſano inter Syndicum Caſtrenſis Cartuſiæ jam Toloſam tranſlatæ, & Parochum de Percherio Diœceſis Narbonenſis anno 1597. 27. Junii, à Metropolitano ad Sedem Apoſtolicam appellatum, omiſſo Primate citra abuſum. Et certè Rebuf. agnoſcit conſuetudinem contrariam, quæ ſatis ferenda erat, ut potè conſona juri Gallicano, quo tres gradus tantùm Juriſdictionis feruntur, quos inter nullus locus eſt Primati, nè tollatur appellatio ad Sedem Apoſtolicam.

## CAPUT XV.

*Capitulum habet Juriſdictionem correctivam ex conſuetudine generali. Correctio in Capitulo. Capitulum Senatus Eccleſiæ. Quænam poſſint fieri ab Epiſcopo ſine conſenſu Capituli.*

HACTENUS emensâ Juriſdictione Epiſcoporum & aliorum Superiorum, non intempeſtivum erit attingere Juriſdictionem Capituli,

& aliorum inferiorum Prælatorum, quæ est pars & velut ramulus Jurisdictionis Episcopalis: de Capitulari primùm dicamus. De jure Episcopus habet Jurisdictionem ordinariam in tota Diœcesi; can. omnes Basilicæ. 16. qu. 7. cap. cùm Episcopus, de offic. Ordinar. in 6. & consequenter eam exercet in Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, æque ac in alios Clericos Diœcesis. Verumtamen ex consuetudine generali Capitulum habet Jurisdictionem correctivam in Canonicos, & alios Clericos; cap. irrefragabili. §. excessus, de offic. Ordinar. quia consuetudo tribuit Jurisdictionem; cap. cùm contingat, de foro competent. cap. cùm ex officii, de præscript. cap. dilecti, de arbitr. cap. significavit, de appellat. cap. Romanâ, eod. tit. in 6. Ex consuetudine generali Capitulum habet Jurisdictionem correctivam disciplinæ tuendæ causâ, quia nullum corpus vel collegium potest esse sine aliqua Jurisdictione, societatis & disciplinæ fovendæ gratiâ; L. ult. C. de Jurisdict. Hoc jure Decanum & Capitulum Rhemensis Ecclesiæ Jurisdictionem correctivam exercuisse in duos Canonicos rixosos, tradit Ægid. Aureæ vallis, de gestis Leodiensium Episcoporum cap. 72. *Cùm autem post triduum esset Festum Omnium Sanctorum, & ad Decanum venisset verbum istud, is commotus ambos citavit in crastinum ad Capitulum, & Vigiliâ Omnium Sanctorum re jurgii inter eos comprobatâ, sicut est severa Rhemensis Ecclesiæ disciplina, consilio seniorum jussit ut Subdiaconus exutâ camisiâ, pro reatu verberum exciperet corporalem disciplinam. Diaconus autem, quia gradui altiori censebant amplius deferendum, super camisiam eamdem exciperet disciplinam.* Præter Ægidium, Ecclesiam Rhemensem de disciplina commendavit & Stephanus Tornacensis epist. 160. *Usurpabant sibi hactenùs, nec immeritò, Parisiensis civitas doctrinam, Rhemensis Ecclesia disciplinam.* Lincolnienſi Capitulo in Anglia, Jurisdictionis correctivæ usum confirmavit & Innocent. IV. epist. ad Lincolnienſem Episcopum, quæ extat apud Matth. Paris ad ann. 1245. *Excessus tamen Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, qui consueverunt corrigi per Capitulum, per ipsum juxtà Ecclesiæ consuetudinem hactenùs pacificè observatam, ad commonitionem & jussionem tuam, successorumque tuorum, infra competentem terminum eis præfigendum à te vel eisdem successoribus, corrigantur: alioquin ex tunc tu vel successores tui, Deum omnipotentem præ oculis habentes, ipsos ut animarum cura requirit, per censuram Ecclesiasticam corrigatis.* Jurisdictio correctiva exercetur de plano & secretò in Capitulo, ut consulatur pudori fratrum; Ekkeard. Junior de casib. Monaster. S. Galli cap. 3. *Qui cùm labem maximam claustri impunitatem nominasset, ad Capitulum tamen nonnisi vocatus venit, cùm sibi officium capitulandi & puniendi gravissimum, ut ait, sit traditum.* Et idem cap. 16. *Abbate accito signum pulsatur ad Capitulum: ibi jussu Abbatis, juvenis ille adhuc furens, ad columnam pyralis ligatus acerrimè virgis cæditur.*

Petrus Cellens. libr. 7. epist. 10. *Hactenùs Monachi solent judicari in Capitulo, non in concilio; inter Monachos, non inter Presbyteros; ab Abbate, non ab Archidiacono; corporali, non pecuniariâ pœnâ.* Cæsarius lib. 3. de Miracul. cap. 49. *Dominus Gisilbertus Abbas in Hemmenrode tantæ fuit misericordiæ, ut si aliquandò quis Monachorum, sive conversorum, coram eo proclamatus fuisset in Capitulo, & ille neglectâ virtute patientiæ extra se fieret, infirmitati illius compassus diceret, &c.* Et Idem libr. 4. cap. 61. *Sequenti die Capitulum intravit, Cellarium proclamavit & deposuit.* Capitulum correctionis causâ, potest multare Canonicos vel alios Clericos privatione vocis in Capitulo, vel distributionum quotidianarum ad tempus; Cle. Ut ii qui, de ætat. & qualit. vel ordin. præficiend. ingressu Chori vel Ecclesiæ, vel virgis castigare; quia hujusmodi pœnæ correctionis modum non excedunt, nec ulla Jurisdictio constat sine modica correctione; L. Magistratibus. ff. de Jurisdict. Capitulum certè disciplinæ causâ non potest excommunicare: quia excommunicatio est major pœna, quæ excedit modum correctionis, cùm Ecclesia post excommunicationem non habeat ultrà quod faciat; cap. cùm non ab homine, de judic. A correctione Capituli non appellatur; cap. 3. cap. reprehensibilis, de appellat. & si appelletur, appellatio non suspendit executionem judicati; cap. irrefragabili, de offic. Ordinar. Quòd si post monitionem Episcopi Capitulum moram fecerit in correctione subditorum, correctio devolvitur ad Episcopum; d. cap. irrefragabili. quia Jurisdictio quæ abiit ab Episcopo ad Capitulum ex consuetudine, vel privilegio, facilè ad eumdem revertitur. Jurisdictio est Capituli in his quæ pertinent ad disciplinam, id est, in levioribus delictis: in criminibus perpetua est Jurisdictio Episcopi, & licèt ipsa Jurisdictio correctiva sit Capituli, nihil vetat Episcopum visitando eâ uti, quia Jurisdictio correctiva ex consuetudine vel privilegio adquiritur Capitulo, non privativè sed cumulativè, seu concurrenter cum Episcopo; Panormit. in cap. Pastoralis, de offic. Ordinar. Oldrad. consil. 172.

Capitulum etiam gaudet participio Jurisdictionis Episcopalis in aliis multis, quia est Senatus Ecclesiæ; Hieronym ad Rusticum. in can. Ecclesia. 16. qu. 1. *Ecclesia habet Senatum, cœtum Presbyterorum.* Idem in Esaïam cap. 3. *Et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum, cœtum Presbyterorum.* Ignat. epist. ad Trallianos: σύστημα ἱερὸν, σύμζουλοι, καὶ συνεδερευταὶ τοῦ ἐπισκόπου. *Sacer cœtus, Concilium & assessores Episcopi.* Author Constitut. Apostolicar. libr. 2. cap. 28. σύμζουλοι τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῆς ἐκκλεσίας στέφανος εἰσὶ γὰρ συνέδριον, καὶ βουλὴ τῆς ἐκκλεσίας. *Consiliarii Episcopi, & corona Ecclesiæ, consilium & Senatus Ecclesiæ.* Et Capitulum unum facit corpus cum Episcopo; cap. requisiti, de testament. & caput habet Episcopum; cap. novit, de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. Ca-

pitul. cap. dilecta, de exceſſ. Prælator. Putà Epiſcopus non poteſt audire cauſas Clericorum, ſine conſeſſu & conſilio Cleri; can. Epiſcopus nullus. 15. qu. 7. Cyprian. epiſt. 6. *Ad id verò quod ſcripſerunt mihi Compreſbyteri noſtri Donatus & Fortunatus, Novatus & Goràius, ſolus reſcribere nihil potui, quandò à primordio Epiſcopatûs mei ſtatuerim nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis meæ privatâ ſententiâ gerere.* Et idem epiſt. 28. *Deſideraſtis quoque, ut de Philumeno & Fortunato Hypodiaconis, & Favorino Acolytho qui medio tempore receſſerunt & nunc venerunt, quid mihi videatur reſcribam. Cui rei non potui me ſolum judicem dare, cùm multi adhuc de Clero abſentes ſint.* In Andronicum Berenicenſem, quòd valvis Eccleſiæ ſua edicta affixiſſet, excommunicationem miſit Syneſius Ptolemaïdis Epiſcopus non ſine conſilio cœtûs Preſbyterorum: teſtem habemus ipſum Syneſ. epiſt. 58. Epiſcopus non poteſt donare vel alienare res menſæ Epiſcopalis ſine conſenſu Capituli; cap. 1. cap. novit. cap. quantò. cap. ea noſcitur, de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſ. Capitul. cap. 1. & ſeqq. de reb. Eccleſ. alienand. can. ſine exceptione. 12. qu. 2. Item Epiſcopus non poteſt unire Eccleſiam alteri Eccleſiæ, vel Monaſterio, dignitati, vel præbendæ ſine conſenſu Capituli; cap. tua nuper, de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu Capituli Cle. ſi una. de reb. Eccleſ. non alienand. can. bonæ rei. ubi Gloſſ. 12. qu. 2. quia unio eſt alienatio in qua requiritur conſenſus Capituli: imò & in unione facienda ipſi Capitulo, non ſufficit conſenſus Capituli, quia non poteſt authoritatem præſtare in re ſua, verùm deſideratur authoritas Pontificis; d. Cle. ſi una. Suppreſſio præbendarum, vel beneficiorum propter tenuitatem reditûs, vel aliam cauſam non permittitur Epiſcopo, abſque conſenſu Capituli; cap. cùm acceſſiſſent, de Conſtitut. Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 5. Epiſcopus etiam non poteſt tranſigere de juribus Eccleſiæ ſine adſenſu Capituli; cap. ſtatuimus. cap. contingit, de tranſact. cap. ult. de majorit. & obedient. Capitulum non poteſt condere Statuta quæ pertinent ad ſtatum Eccleſiæ, ſine conſenſu Epiſcopi; cap. cùm omnes, & ibi Gloſſ. de Conſtit. cap. cùm conſuetudinis, de conſuetud. Nec in ſtatutis edictis contra jus commune ſufficit conſenſus Epiſcopi, imò & requiritur authoritas Pontificis; cap. 2. verb. ſtatutum de V. S. in 6. Oldrad. conſil. 259. Frideric. Senenſ. conſ. 17. Alexand. conſ. 105. num. 2. libr. 2. Etiam Capitulum habet ordinariam Juriſdictionem ex conſuetudine ſpeciali, putà poteſt mittere interdictum ex juſta cauſa; cap. irrefragabili. §. cæterum, de offic. Ordinar. cap. cùm inter, de conſuetud. Et ut per omnia liqueat quæ ſit communio dignitatis & poteſtatis inter Epiſcopum & Capitulum, Capitula etiam Cathedralium Eccleſiarum vocantur ad Concilium Provinciale; cap. ult. de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſ. Capitul. cap. ult. de major.

& obedient. & hoc juris antiquissimi fuisse docet Conc. Tarraconens. I. habitum sub Hormisda Papa can. 13. *Epistolæ tales per fratres à Metropolitano sunt dirigendæ, ut non solùm è Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Ecclesiæ secularibus secum adducere debeant.* Nec immeritò, quia Ecclesia Cathedralis est sponsa Episcopi, fundamentum, & columen Sacerdotii; & hoc est quod Gregor. Nyssenus ait in vita Gregorii Neocæsarienſis Episcopi, eum quamprimùm in eminentiori loco civitatis Ecclesiam instituisse: *οἶος τινὸ θεμέλιον, καὶ κρηπῖδα τῆς ἰδίας ἱερωσύνης. Veluti fundamentum & crepidinem sui Sacerdotii.*

## CAPUT XVI.

*Capitulum sede vacante succedit in his quæ sunt Jurisdictionis ordinariæ, non succedit in delegata.*

VACANTE Sede Episcopali morte vel captivitate Episcopi, Capitulum vice Episcopi fungitur, & succedit in omnibus quæ sunt Jurisdictionis ordinariæ, exceptis casibus à jure prohibitis; cap. his quæ. cap. cùm olim, de majorit. & obedient. cap. unic. eod. tit. in 6. cap. Albericus, de testib. cap. ad abolendam, de hæretic. cap. pen. & ult. de suppl. neglig. Prælat. in 6. Extravag. execrabilis vers. caterum, de præbend. & quia Jurisdictio non potest exerceri per universitatem, & requirit ministerium certæ personæ. Capitulum, Sede vacante, tenetur creare idoneum Vicarium qui vices Episcopi gerat, intra octo dies à die notitiæ vacationis; alioquin cessante Capitulo, optio Vicarii devolvitur ad Metropolitanum; Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 16. Vacante Ecclesiâ Faventinâ Clero suasit Petrus Damianus, ut electionem differrent in adventum Imperatoris, & interim eligerent idoneum Presbyterum, qui vicariam administrationem Episcopatûs gereret: testem ipsum habemus libr. 5. epist. 10. ad Faventinos: *Unde & Dominus noster Papa rogandus est, ut Episcopum vobis modò non ingerat, sed Ecclesiam vestram interim vacare, & vos sub suæ benedictionis umbraculo manere decernat. Quia verò per Dei misericordiam industrios inter vos Clericos, ac prudentes & litteratos habetis, si placet, unus ex eis eligatur, qui ad exequendum hoc negotium utilior inveniatur: cui nimirùm cura ac sollicitudo totius Episcopatûs possit imponi, ac per eum omnia necessitatis Ecclesiasticæ negotia debeant ministrari.* Vacante Episcopatu Argentinensi morte Bertoldi Episcopi, Joannem de Lamperthem à Capitulo designatum Officialem, Vicarium generalem in spiritualibus & temporalibus, refert Albert. Argentin. in vita Bertoldi Episcopi.

Capitulum, sede vacante, succedit in his quæ sunt Jurisdictionis ordinariæ, non in Jurisdictione delegata; cap. pastoralis. §. præterea, de offic. Ordinar. putà non potest Vicarius Capituli concedere litteras quas vocant in forma dignum: sed si provisio dirigatur Ordinario in forma dignum, & interim Sedes Episcopalis vacaverit, commissionem provisionis reformari oportet, & dirigi Episcopo viciniori, attento quòd Sedes Episcopalis vacat; Pavin. de potest. Capitul. sed. vac. part. 1. qu. 7. & 10. Eadem ratione Capitulum, seu Vicarius Capituli non potest visitare Monasteria exempta etiam Monialium, quæ non visitantur ab Episcopo, nisi tamquàm delegato Sedis Apostolicæ; Cle. attendentes. §. hoc igitur, de stat. Monachor. Conc. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 9. Capitulum, sede vacante, non succedit in collatione Beneficiorum; cap. eam te, de rescript. cap. illa, nè sed. vacant. cap. 2. eod. tit. in 6. cap. 1. de institut, eod. libr. quia collatio Beneficiorum est in fructu, & reservatur futuro Successori, nisi Papa præveniat; Gloss. in cap. cùm olim, de majorit. & obedient. Hoc verum est in collatione liberâ, aliud est in collatione necessariâ, unde Capitulum potest confirmare electiones; d. cap. cùm olim. instituere præsentatos; cap. 1. de institut. in 6. conferre Beneficia affecta graduatis vel nominatis, vel vacantia ex causa permutationis, quia in his collatio est necessaria; Panormitan. in d. cap. illa. Rebuff. de nominat. qu. 8. num. 49. Capitulum, sede vacante, non potest per se defungi ea quæ sunt Ordinis, sed per viciniores Episcopos; can. Pontifices. 7. qu. 1. cap. cùm nullus. §. Episcopo, de tempor. Ordin. in 6. Gloss. in cap. his quæ, de major. & obed. Quo pacto Verisiensem Archiepiscopum Thessalonicensi Ecclesiâ vacante, rogatum ut viatorem, nonnullos Clericos in ea ordinasse memoratur apud Innocent. III. regist. 13. epist. 13. Minimè verò licet Capitulo, sede vacante, intra annum à die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias ad Ordines concedere non arctatis beneficio Ecclesiastico recepto, aut recipiendo; Conc. Trident. sess. 7. de reformat. cap. 10. Capitulum, sede vacante, non potest destituere Officialem, non unâ ratione: prior est, quia vacante sede Episcopali, nihil innovandum, nisi in his quæ sunt necessitatis, quæve moram non patiuntur; cap. 1. 2. & 3. nè sed. vacant. Panormitan. in cap. his quæ, de major. & obed. Altera est, quia Officialis non est proprie Officiarius Episcopi, sed totius Diœcesis, qui destitui non potest in injuriam Diœcesis. Accedit & tertia ratio, quòd institutio & destitutio Officialium est in fructu, & reservanda est Episcopo successuro; can. Episcopus. 67. dist. cap. 1. de Capell. Monachor. cap. cùm ex injuncto, de hæretic. Imò Capitulum, sede vacante, plus juris non habet quàm Episcopus, cui minimè fas est Officialem destituere, nè Clero invito suus Judex tollatur, nevè Officialis,

dum timet casum, serviliter inserviat voluntati Episcopi, & in Clericos sæviat, vel remissior sit pro nutu Antistitis. Sanè si nullus Officialis existat, vel tempore vacationis decesserit, Capitulum, sede vacante, debet instituere Officialem; cap. ult. de suppl. neglig. Prælat. in 6. Conc. Trident. sess. 24. de reform. cap. 10. An Capitulum sede vacante possit visitare, & Synodum celebrare, dubitatum est; quia Capitulum, sede vacante, succedit in Jurisdictione ordinariâ in casibus expressis à jure; hi verò casus non reperiuntur expressi: item visitatio & Synodus sunt apices dignitatis Episcopalis, quæ cohærent personæ; ex quo Vicarius Episcopi non potest visitare, vel Synodum celebrare sine speciali mandato: tamen probabilius est Capitulum, sede vacante, posse utrumque, visitare, & Synodum celebrare, nè crescente peccandi licentiâ, crimina maneant impunita; Gloss. in Clem. 9. de Hæretic. Panormit. in cap. cùm olim, de majorit. & obedient. Pavin. de offic. & potest. Capitul. sed. vacante. part. 1. qu. 7. Rebuff. in Prax. part. 1. de devolut. num. 65.

## CAPUT XVII.

### *Archidiaconus Vicarius Episcopi. Vices jurisdictionis Archidiaconi. An Archidiaconus sit Antistes secundi ordinis: Notatur Fevretius.*

Archidiaconus est Vicarius Episcopi, & nomine Episcopi vicariam Jurisdictionem exercet, non plenam quidem, id est, omnimodam, sed in levioribus delictis; majores verò excessus per eum denunciantur Episcopo; can. perlectis. 25. dist. idemque habet modicam coërcitionem; Ebo Rhemens. in opusculo de Ministris Rhemens. Eccles. à Jacob. Sirmundo edito in calce Flodoardi. *Officium Archidiaconi est pro neglecta lectione, aut officio gradûs sui à Diacono usque ad infimum excommunicare, etiam & juvenculos talibus pro excessibus, verberibus arcere.* Nec modò in Clericos Jurisdictionem, seu coërcitionem habuit Archidiaconus; verùm etiam in laïcos, si fortè in rebus sacris delinquerent. Hac de causa Cæcilianus tum Archidiaconus, posteà Carthaginensis Episcopus, Lucillam factiosam fœminam, infensam habuisse memoratur, quòd cùm esset Archidiaconus, ipsius correptionem non ferret, de eo quòd ante sacram Communionem, incerti, id est, nondùm vindicati Martyris lipsana osculo libaret; Optat. Milevit. libr. 1. *Hoc apud Carthaginem post ordinationem Cæciliani factum esse nemo est qui nesciat, per Lucillam scilicet nescio quam fœminam factiosam, quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cùm correptionem Archidiaconi Cæci-*

*liani ferre non posset, quæ ante spiritalem cibum & potum, os nescio cujus martyris, si tamen martyris libare dicebatur, & si martyris, sed necdum vindicati, correpta cum confusione irata discessit.* Quò se refert Augustin. libr. 1. contra epist Parmeniani: *Legant qui volunt quæ narrat Optatus de Lucilla, quam pro Ecclesiæ disciplina Sanctus Cæcilianus adhuc Diaconus læserat.* In Orientali Ecclesiâ majorem & laxiorem Jurisdictionem habuit Archidiaconus in Diaconos, ita ut eos excommunicandi jus illis esset. In Concilio Chalcedonensi, cùm Ibæ Edesseno Episcopo inter alia objiceretur, quòd Maram Diaconum excommunicasset, factum rejecit in Archidiaconum, ut habetur in gestis Conc. Chalced. act. 10. Μάρας δὲ κατὰ τὸ ἀληθὲς ἀκοινάνητος ἐστι τῷ ἰδίῳ ἀρχιδιακόνῳ, ὃ δὲ γὰρ ἐμοὶ ἔστιν ἀκοινάνητος, ἐπεδὴ ὕζρισε πρεσβύτερον διὰ τοῦτο ἀκοινάνητον αὐτὸν ἐποίησεν. *Maras autem secundùm veritatem excommunicatus est à proprio Archidiacono; non enim à me excommunicatus est. Quoniam injuriam fecit Presbytero, ob hoc eum à communione suspendit.* Si lis verteretur inter Clericum & laïcum apud civilem Judicem, non audiebatur Clericus à Judice, nisi vocato Archidiacono; Conc. Aurelianens. IV. can. 20. *Quæcumque causatio quoties inter Clericum & secularem vertetur, absque Presbytero, aut Archidiacono, vel si quis esse Præpositus Ecclesiæ dignoscitur, Judex publicus audire negotium non præsumat.* Nec in judiciis Ecclesiasticis quicquam ferè Episcopus sine Archidiacono; Gregor. Turonens. libr. 9. cap. 6. *Hæc cernens Episcopus* (is erat Ragnemodus Episcopus Parisiensis) *misit Archidiaconum suum dicens: Si Reliquias Sanctorum exhibes, pone eas paululum in basilicâ, & nobiscum celebra dies sanctos. At ille parvipendens quæ ab Archidiacono dicebantur, cœpit Episcopum conviciis ac maledictis prosequi. Sacerdos verò intelligens eum esse seductorem, jussit eum recludi in cellulam.* Et mox: *Captusque ab Archidiacono, & catenis vinctus, jussus est custodiri.* In Synodo Suessionensi II. ab Archidiacono in judicium deducti duo Monachi Presbyteri, quòd Pipinum olim Aquitaniæ Regem è Monasterio sancti Medardi Suessionensis, quo in custodiæ causâ detentus erat, abducere conati essent, & belli causam instaurare; Synod. Suessionens. II. can. 5. *Ejectos jussu venerabilis Rothadi Suessionum Episcopi ad Synodi audientiam Archidiaconus deduxit: & partim confessi, partim convicti conspirationis malum perpetrasse, Canonum severitate depositi sunt, Presbyteri quippè erant, & separatim in Monasteria sui ordinis longè distantia relegati, & ut deinceps nemo tale quid committere auderet, nisi qui similia perpeti non timeret.* Nec modò in Clericos Diœcesanos Jurisdictionem habebat Archidiaconus, sed etiam in Clericos positos privatis in Oratoriis, quæ erant in prædiis Potentiorum, quòd cùm domini ægrè ferrent, rem emendari placuit; Conc. Cabillonens. can. 14. *De Oratoriis quæ per villas fiunt, nonnulli ex fratribus,*

*fratribus, & Coepiſcopis noſtris, reſidentibus nobis in ſancta Synodo querimoniam detulerunt, quòd Oratoria per villas Potentum jam longo conſtructa tempore, & facultates ibidem collatas, ipſi quorum villæ ſunt, Epiſcopis contradicant; & jam nec ipſos Clericos qui ad ipſa Oratoria deſerviunt, ab Archidiacono coërceri permittant : quod convenit emendari.*

Jure communi Archidiaconus non habet ordinariam, id eſt, propriam Juriſdictionem, ſed vicariam, ut Vicarius natus ſeu legitimus Epiſcopi; d. can. perlectis. cap. 1. cap. ad hæc, de offic. Archidiac. quam ob cauſam ab Archidiacono non appellatur Epiſcopus, ſed Metropolitanus; cap. referente, de præbend. nè idem à ſeipſo appellari videatur. Archidiaconus verò habet ordinariam Juriſdictionem ex conſuetudine, vel privilegio. De conſuetudine ſuſpendit, excommunicat, abſolvit Clericos, Eccleſias interdicit; cap. dudum. 2. de elect. cap. dilecto, de offic. Archidiacon. cap. ſignificantibus, de nov. oper. nunciat. cap. ad hæc, de exceſſib. Prælat. cap. licet, de pœn. & de conſuetudine accipiendi ſunt plerique loci, qui Archidiacono tribuunt Juriſdictionem; cap. 1. de eo qui furtiv. Ordin. ſuſcepit; cap. litteras, de reſtit. ſpoliat. maximè in Archidiaconis Angliæ: & hoc jure gloriatur Polydor. Virgil. 4. Rer. Anglicar. quòd ante quatuor & decem annos Archidiaconus wellenſis factus eſſet, haberetque in ipſa wellenſi Diœceſi Juriſdictionem *quæ nos interdùm*, inquit, *meliores reddit*. De conſuetudine Archidiaconus Pariſienſis habet ordinariam Juriſdictionem, & ab eo appellatur ad Epiſcopum; d. cap. ſignificantibus. Jo. Gallus. qu. 115. Chopin. de ſacra polit. libr. 1. cap. ult. num. 21. & Archidiaconus quatenus habet ordinariam Juriſdictionem, ſolet habere Officialem inſtar Epiſcopi; d. cap. ſignificantibus. cap. Romanâ. §. 1. de appellat. in 6. cap. Romana, de ſentent. excommunicat. eod. Matth. Paris ad ann. 1225. ex Decretis Archiepiſcopi Cantuarienſis, de concubinis Clericorum: *Item ſi pepererint, non purificentur niſi priùs ſufficientem præſtiterint cautionem Archidiacono, vel ejus Officiali, de ſatisfactione in proximo Capitulo poſt purificationem earum facienda: item Sacerdotes in quorum Parochiis concubinæ talium commorantur, ſi non hoc oſtenderint, Archidiacono vel ejus Officiali, ſuſpendantur.* Et Synodus Londinenſis habita anno 1237. apud eundem Matth. Paris. *Nè Eccleſiarum Prælati, & maximè Archidiaconi & Decani, vel Officiales eorum, vel etiam quicumque alii ad univerſitatem cauſarum, vel aliqua negotia ratione Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, vel officii ſpiritualis Eccleſiaſtorum contingentia delegati, quin de diſcordiis vel querelis ſiat pax vel concordia inter partes, præſumant aliquatenùs impedire.* Et hoc caſu ab Archidiacono non appellatur ad Metropolitanum, omiſſo Epiſcopo; d. cap. Romanâ, de appellat. Ubi Archidiaconus Juriſdictionem exercet vice Epiſcopi, Diœceſim viſitat non ſine mandato Epiſcopi; d. can. perlectis, & Conc. Cabillonenſ. can. 15. can. dictum eſt. 94. diſt. De conſuetudine verò Ar-

chidiaconus habet ſuam Diœceſim, ſuumque Clerum; cap. mandamus, de offic. Archidiac. cap. pen. de major. & obed. cap. ad hoc, de exceſſ. Prælat. Hincmar. dialog. de ſtat. Eccleſ. *Archidiaconatus olim certis terminis diſtributos non dubitaverim.* Eique viſitatio competit, intra fines ſui Archidiaconatûs, & procurationis exactio viſitationis causâ; d. cap. dudum. d. cap. mandamus. cap. auditis, de præſcript. cap. cùm Apoſtolus. cap. procurationes, de cenſib. hoc Epiſcopo impar, quòd non ampliùs quàm ſemel in anno viſitat Eccleſias ſuæ Diœceſis; d. cap. mandamus.

Eodem jure Archidiaconus convocat Synodum intra metas Diœceſis ſuæ; Baldricus Noviomenſ. Epiſcopus, apud Miræum in Codic. Donation. piar. cap. 71. *Porrò ſi Archidiaconus, ſive Decanus in Eccleſia ſupranominatæ villæ Synodum tenuerint.* Et Lotharius III. Imp. in privilegio Eccleſiæ S. Servatii Trajectenſis eodem in Cod. cap. 87. *Et conſuetudo eſt longo uſu in habitum converſa, ut Preſbyter Parochiæ S. Servatii, & Preſbyter Parochiæ S. Mariæ, præſidente Archidiacono, communiter habeant Synodum in Eccleſia Sanctæ Mariæ.* Archidiaconi erat in Synodo Preſbyteros inſtituere, in his quæ pertinent ad Sacramentorum adminiſtrationem; Synod. Londinenſis jam laudata apud Matth. Paris. *Archidiaconi quoque in Decanatuum ſuorum conventibus, Sacerdotes maximè in his ſtudeant erudire, docentes eos qualiter circa Baptiſmum, Pœnitentiam, Euchariſtiam & Matrimonium debeant ſe habere.* Ejuſdem eſt convocare Synodum diœceſanam; Capitular. libr. 5. cap. 9. *Preſbyteris & Clericis ſic ordinavimus, ut Archidiaconus Epiſcopi eos ad Synodum convocet.* Eo nomine Archidiacono debetur Synodus, id eſt, Synodaticum ut Circata ſeu procuratio pro viſitatione, ſaltem pro parte; Innocent. III. libr. 2. epiſt. 73. *Archidiaconibus tertiam partem de Circatis & Synodis.* Et Jo. Sariſber. epiſt. 4. *Præterea dicebat ſe litem injicere ſuper alia Eccleſia ab eodem Richardo, qui tam Epiſcopo quàm Archidiacono Synodalia, & quoſdam reditus Epiſcopales moliebatur auferre.* De conſuetudine etiam Archidiaconus ſuam facit Juriſdictionem & emolumentum ſigilli Epiſcopalis, ſede vacante; Oldrad. conſ. 194. & Chopin. loco ſupr. laudato. & Monaſtic. libr. 2. tit. 3. num. 19. Hodiè Juriſdictio Archidiaconi, per deſuetudinem ferè exolevit, tranſlata ad Vicarium Epiſcopi, & Archidiaconus nudam dignitatem habet ſine Juriſdictione. Nimis incautè Fevret. libr. 4. cap. 3. num. 20. deceptus à Savarone, Archidiaconos numerat inter Antiſtites ſeu Sacerdotes ſecundi ordinis; de Archidiacono accipiens illum locum Sidonii libr. 4. epiſt. 11. de Claudiano fratre Mammerti Viennenſis Epiſcopi.

*Antiſtes fuit ordine in ſecundo,*
*Fratrem faſce levans Epiſcopali.*

Locus enim non poteſt intelligi de alio quàm de Archipreſbytero, quia non alii quàm Preſbyteri ſunt ſecundi ordinis poſt Epiſcopum: Diaconi

verò sunt in tertio gradu seu ordine ; Optatus libr. 1. *Quid commemorem laïcos qui tunc in Ecclesia nullâ fuerant dignitate suffulti ; quid ministros plurimos, quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos ?* Et ita Joannem per gradus, primùm Lectorem, inde Diaconum, posteà Archidiaconum, inde jam secundi ordinis Sacerdotem, id est, Archipresbyterum, in Episcopum Cabillonensem electum fuisse tradit idem Sidon. epist. 25. ejusd. libr.

## CAPUT XVIII.

*Jurisdictio Archipresbyteri qui & Decanus. Jurisdictio Præpositi.*

ARCHIPRESBYTER licet Archidiacono major ordine, unde in his quæ sunt ordinis priùs nominatur ; can. Salvator. 1. qu. 3. dignitate & officio minor est, & subest Jurisdictioni Archidiaconi ; can. perlectis. 25. dist. cap. 1. cap. ad hæc, de offic. Archidiac. Imò de consuetudine electio Archipresbyteri pertinet ad Archidiaconum, unà cum Clero & plebe sua ; can. si in plebibus. 63. dist. Arnulph. Lexov. epist. 27. ad Alexandr. III. pro P. Pictavensi Archidiacono. *Idcircò si causæ ipsius qualitas inquiratur, id juris se in quodam Archipresbyteratu suo contendit habere, quod tam ipsi, quàm omnibus aliis Archidiaconis, in omnibus Archipresbyteratibus suis, vetus Ecclesiæ illius consuetudo confirmat. Porrò supervacuâ videtur quæstione vexari, cùm sola sit de solâ Archipresbyteri electione contentio cum Archidiacono facta ad Episcopale de consuetudine referatur arbitrium, eamque potest authoritate sua, nisi fuerit idonea reprobare. Cæterùm si eo invito in Archidiaconatu ejus Archipresbyter fuerit institutus, plurimùm utilitatibus ejus & honori constabit esse subtractum, cùm ei in Archidiaconatu suo alius quodammodò Archidiaconus agnoscatur.* Archipresbyter est Decanus, & senior Presbyterorum, unde Decanus dicitur ; Synod. Agath. can. 9. can. in capite. 50. dist. *Ibi adesse debent Decani, id est, Archipresbyteri Parochiarum, & Presbyteri pœnitentium*, cui congruit can. nullus Episcopus & seq. 60. dist. can. nullus omninò. 16. qu. 7. cap. cùm Apostolus, de censib. cap. 1. & 2. nè Prælat. vices suas. Inde & Decania est Diœcesis propria Archipresbyteri ; Capitular. Caroli Calui tit. 5. cap. 3. ex Concil. Tolosano: *Statuant Episcopi loca convenientia per Decanias, sicut constituti sunt Archipresbyteri.* Archipresbyteri alii sunt urbani seu civitatenses, alii agrestes quos rurales Decanos vocant ; d. can. nullus. d. cap. 1. & 2. nè Prælat. vic. suas. Archipresbyter seu Decanus urbicus est, qui constitutus est in Ecclesia Cathedrali, in plerisque Ecclesiis is est caput Capituli, cap. cùm inter universas, de elect. unde appellatione Capituli continetur ; cap. post electio-

nem, de conceſſ. præbend. Reſcripta Pontificia diriguntur Decano & Capitulo, cap. cùm inter, de conſuetud. cap. 1. de poſtulat. Prælat. is habet primam vocem in Capitulo, cap. auditis, de elect. ejuſdem eſt convocare Capitulum; Marcus. part. deciſ. 1365.

Decanus præeſt Preſbyteris, & ad hoc habet curam animarum, & in eo requiritur ætas 25. annorum, & ut intra annum promoveatur ad Preſbyteratum; can. 1. & ſeq. 61. diſt. cap. cùm in cunctis, de elect. cap. 1. de ætat. & ordin. præficiend. Decanatus eſt dignitas electiva; d. can. ſi in plebibus. 63. diſt. cap. deliberatione, de offic. Legat. in 6. Decanus ſeu Archipreſbyter exercet Juriſdictionem vice Epiſcopi; d. can. nullus. 16. qu. 7. cap. ſignificavit, de converſ. conjugator. etiam de matrimonialibus cauſis quæ ſunt majores cognoſcit, cap. ex litteris, de conſanguinit. & affinitat. cap. fraternitatis, de frigid. & malefic. necnon de incantatoribus & maleficiis; ex Conſtitut. Caroli M. de pace cap. 25. quin imò eò res prolapſa eſt, ut Decani ſeu Archipreſbyteri, vices Epiſcopi & Archidiaconi, id eſt, exercituum Juriſdictionis, ejuſque compendium ſub annuo cenſu conducerent, quod vetitum eſt d. cap. 1. & 2. nè Prælat. vices ſuas. Aliàs & Decanus de conſuetudine habet propriam Juriſdictionem; cap. dilectis, de appellat. Hildebert. Cenomanenſ. epiſt. 68. *Sequenti autem tempore contigit, ut quoſdam Canonicorum, qui ſubvirgaerant, propter eorum turpia verba, & reprimẽdorum enormitates operum, Decanus ex officio Decaniæ, Eccleſiaſtica corrigeret diſciplina.* Joann. Sariſber. Policratic. libr. 1. cap. 16. *Porrò nec Judices Eccleſiaſtici ſequuntur Samxelem, ſed ſicut populus ſic & Sacerdos, quòd ut ab humilioribus liqueat, qui Decani ſunt vel Archidiaconi, niſi illi ut Simon noſter venerabilis Doctor in lege Domini dicere conſueverat, in quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.* Item Archipreſbyter ſeu Decanus habet jus viſitandi Eccleſias tractûs ſui, & procurationem eo nomine exigendi; cap. cùm Apoſtolus, de cenſib. Archipreſbyter enim habet ſuum Clerum, & ſuam Diœceſim, & præeſt Vicariis Preſbyteris, qui per minores titulos diſpoſiti ſunt; cap. ult., de offic. Preſbyter. quod perperam laudatur ex Synodo Ravennæ habitâ, & malim reddi Synodo Ticinenſi celebratæ ſub Carolo Caluo; can. 13. ubi idem. cap. iiſdem verbis exiſtat integrum. In multis Eccleſiis Præpoſitus præeſt Capitulo, & habet Juriſdictionem ordinariam de conſuetudine in Canonicos & alios Clericos, habet duplicem vocem in Capitulo; cap. cùm olim, de re judic. duplicem præbendam, quia habet dignitatem & Canonicatum; cap. litteras, de conceſſ. præbend. Canonici ei jurant obedientiam; cap. cùm in Eccleſiis, de major. & obedient. His juribus gaudere Præpoſitum Toloſanum non tacuit Benedictus in cap. Raynut. in verb. & uxorem in pr. num. 6. eſt dignitas electiva; dudum. 1. de elect. Marc. loc. laudat.



# ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS VINDICIÆ ADVERSUS CAROLI FEVRETI ET ALIORUM TRACTATUS DE ABUSU.

## LIBER NONUS.

*De Pœnis Canonicis.*

## CAPUT PRIMUM.

*Cur Pœnæ Canonicæ in Clericos mitiores. Sententiæ in Episcopos sine elogio feruntur.*

POSTQUAM de Judiciis ecclesiasticis satis fusè & diligenter à nobis actum est, jam ordo rerum suggerit ut de pœnis canonicis, quæ Clericis imponuntur propter delicta ecclesiastica, dicamus; ut Jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ sine coërcitione nulla & inanis foret, perfecta & absoluta imago delineetur. Ecclesia habet

pœnas canonicas, præter quas alias non recipit. Cùm à Prætextato Rothomagensi Episcopo pœnas non canonicas poscceret Chilpericus, scissionem vestium & alias, strenuè & viriliter, ne quid contra Canones fieret interceſſit Gregorius Turonensis Episcopus qui Concilio interfuit; testem ipsum habemus lib. 5. cap. 19. *His ita gestis petiit Rex ut aut tunica ejus scinderetur, aut centesimus octavus Psalmus, qui maledictiones scharioticas continet, super caput ejus recitaretur, aut certè judicium contra eum scriberetur, ne ut in perpetuum communicaret; quibus conditionibus ego restiti, juxta permissum Regis, ut nihil extra Canones gereretur*, &c. Ægidius Remensis Episcopus ob crimen majestatis in Synodo Metensi depositus, & Strasburgum exilii causâ deportatus, à Guntrano Rege pœna capitis ei remissa petente Synodo. Gregor. Turonens. lib. 10. cap. 14. *At ille confusus*, ait, *ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini, nam ego novi me ob crimen majestatis reum esse mortis:* Et mox: *Hæc Episcopi audientes obtentâ vitâ ipsum ab ordine Sacerdotali, latis Canonum sanctionibus removerunt, qui statim ad Argentoratensem urbem, quam nunc Strateburgum vocant, deductus exilio condemnatus est.* Ecclesia habet pœnas canonicas, quæ mitiores sunt & incruentæ, magis feriunt animam quàm corpus, magisque medicamenta sunt & pharmaca, quam pœnæ & tormenta. Ecclesia maluit sanguinem suffundere, quàm effundere, non indulgens flagitiis Clericorum, absit ab Ecclesia quæ est sponsa Christi tam nefarium consilium; sed ut consulatur pudori Clericorum, sacri ordinis dignitati; ne Clericorum ignominiâ, Ecclesiæ labes aspergatur, neve hæretici oblatrantes sacerdotio injuriosius insultandi, ex eo occasionem nanciscantur. Concil. Carthag. 5. Can. 16. *Rursus constitutum est, ut quoties Clericis convictis, vel confessis in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundiæ parcitur, vel propter Ecclesiæ opprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum, atque gentilium, si fortè causæ suæ adesse voluerint, & innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant*, &c. Can. Rursus constitutum 11. qu. 3. cui convenit Synod. Carth. Can. 82. apud Balsam. ejusd. Synod. Can. 85. apud Zonar. & Conc. Afric. 46. Episcopis & Clericis insultabant hæretici & infideles, & de casu unius omnes damnabant. August. Epist. 137. *Ad quid enim aliud sedent isti, & quid aliud captant nisi ut quisquis Episcopus vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis totidem omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari.* In pœnarum genere cum Clericis mitiùs agitur; dantur eis induciæ unius anni, si fortè accusentur, ad innocentiam asserendam, id est purgandam;

in eos tardius proceditur ad ſententiam, ut detur tempus innocentiam vindicandi, & objecta diluendi, ne ſacri ordinis dignitas labefactetur, & ut ſcandalum Eccleſiæ vitetur, & inſultatio hæreticorum; neve Eccleſia quæ Chriſti ſanguine ſemel expurgata & mundata eſt, Clericorum ignominia contaminetur: iiſdem rationibus Clericis pœnitentia publica remittitur, Can. confirmandum 50. diſt. Canon, Presbyter. 82. diſt. Ut & Monachis pœna remittitur religionis favore, Cap. ſignificaſti de homicid. Guillelm. de Novavilla Archiepiſcopus Eboracenſis, & rationalis Angliæ depoſitus, & domum ablegatus à Principe audivit meritas pœnas ei remitti ob reverentiam ordinis & natalium Jo. Froſſard. vol. 3. cap. 79. *Et luy fut dit que pour l'honneur de ſa Maiſon & de ſon Ordre, on l'excuſoit de pluſieurs choſes, qui eſtoient grandement préjudiciables à ſon honneur.* Alia & ratio optima eſt cur pœnis canonicis modus impoſitus ſit, ne dum Prælati ſubditos præter modum caſtigant, debitam ſibi eorum reverentiam ſubtrahant. Synod. Brachar. 3. Can. 7. Can. cum beatus 45. diſt. *Non eſt dignum ut paſſim unuſquiſque Prælatus, honorabiliora membra ſua, prout voluerit, & ei placuerit verberibus ſubjiciat, & dolori, ne dum incautè ſubdita percutit membra, ipſe quoque debitam ſibi ſubditorum reverentiam ſubtrahat.* Et plerumque mitiores pœnæ plus proſunt quàm duriores, propter pudorem quem peccanti injiciunt. Gregor. lib. 8. epiſt. 26. Indict. 3. ad Clementinam Patriciam. *Exceſſus gloriæ veſtræ bonitas ſuperet, & magis ſalubriter ignoſcendo devotum faciat, quem poteſt perſiſtens facere aſperitas indevotum; relinquatur illi unde verecundiam habeat, & non ſervetur quod doleat; nam plerumque plus virium habet diſcreta in coërcitione remiſſio, quàm in exequenda ultione diſtrictio, adeo ut nonnumquam hæc fideliorem atque ſubjectum, illa verò obſtinatum faciat & æmulum.*

Pœnarum Canonicarum modus talis eſt: pœnam debet præcedere monitio, correptio, increpatio, ſi iſta non proſint, gradatim ſequi debet excommunicatio, degradatio ſic temperanda eſt Præpoſitorum patientia, ut non foveatur iniquitas, nec diſſolvatur diſciplina. Aug. de verb. Apoſt. Ser. 24. *Sanè ſi judex es, ſi judicandi poteſtatem accepiſti Eccleſiaſtica regula, ſi apud te accuſatur, ſi innumeris documentis teſtibuſque convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada, ſic vigilet tolerantia, ut non dormiat diſciplina.* Can. Fortè 23. qu. 4. & idem lib. contra Donatiſt. poſt col. *Sic enim & diſciplina ſervat patientiam, & patientia temperat diſciplinam, & utrumque refertur ad charitatem, ne fortè aut indiſciplinata patientia foveat iniquitatem, aut impatiens diſciplina diſſipet unitatem.* Mitius agi-

tur cum Clericis propter reverentiam Sacerdotii : Hinc cùm Aaron & Maria, uno & eodem ſcelere Moyſi maledixiſſent, Maria ſola lepra percuſſa maledicti pœnas luit ; Aaroni verò impunè fuit, quia Sacerdotis primordium erat, Sacerdotii initiis ignominiæ labem Deus inurere noluit, ne finis quoque probroſus exiſteret, ut eleganter ait Iſidor. Peluſiot. lib. 3. epiſt. 152. Laurentium Presbyterum reum effoſſi ſepulchri, theſauri rapiendi cauſâ, non aliâ pœnâ, quàm pecuniæ reſtitutione multavit Theodoricus Rex propter Sacerdotii dignitatem, apud Caſſiodor. lib. 4. Var. epiſt. 18. *Laurentium Presbyterum effoſſis cineribus funeſtas divitias, inter hominum cadavera perſcrutatum, concuſſionemque mortuis intuliſſe, quem oportet viventibus quietem prædicare, hominis ambitum eo tantum fine concludas, ne poſſit ſupprimere, quod eum non licuit invenire; ſcelus enim quod nos pro Sacerdotali honore relinquimus impunitum, majori pondere non credimus vindicandum.* Ob cæſos & vulneratos Scholares Pariſienſes, ædium ſuarum excidio multatus Carolus Sabaudus remiſsâ ei multa ſeu emendâ honorariâ, quod eſſet Clericus ſolutus. Juvenal. de Urſin. ad ann. 1404. *Et les parties ouïes où fut Savoiſi en perſonne, s'enſuivit l'Arreſt, c'eſt à ſçavoir que Savoiſi fut condamné à aſſeoir cent livres de rente amortie, & à bailler deux mille francs, & que ſon Hoſtel ſeroit abatu, & ne fut point condamné à faire amende honorable, car il eſtoit Clerc non marié, mais trois de ſes gens le furent.* Et hæc à multis ſæculis materia litium & querelarum Laïcorum adverſus Eccleſiam, in delictis mitius agi cum Clericis, & ex impunitate, vel levitate pœnæ exurgere licentiam peccandi. Verùm non ita depravatus eſt ordo Clericorum, quin mitiores pœnæ, non minùs eis proſint exemplo ad emendationem, quàm graviores Laïcis : Clericos ſi fortè labi contingat, pudore magis quàm pœna coerceri experimentis quotidiè diſcimus, & pœnitentiæ meritis fœlicius reſtitui, quàm pœnæ cruciatu. Nec impuniti dicendi ſunt Clerici, quod Eccleſia in eos non ſæviat ad necem, ſatis punitur qui ſe judice punitur, quive ſalutarem pœnitentiam lubens ſuſcipit. Pulcherrimum vindictæ genus pœnitentia : *Quæ eſt dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.* Auguſtin. de vera & falſ. pœnitent. cap. 6. In judiciis Eccleſiaſticis nequaquam impunitas auctoratur, ſed ſublimius pœnitentiæ ſolium erigitur, in quo judex ſedet Deus in perſonâ Vicarii, ex quo non mortem, ſed vitam & ſalutem pronunciat. Lex Moſis ſtylo ferreo & ſanguine exarata, lex gratiæ ſtylo manſuetudinis ; ex lege Moſis adultera lapidatur ; adulteræ Chriſtus dixit : *Vade & noli amplius*

*peccare.* Hæc eſt lex Eccleſiæ, quæ ſolis pœnis canonicis contenta, lachrymis, vigiliis, jejuniis, tunſione pectorum, ferrum & ſanguinem Chriſto cœleſtes animos afflante perhorreſcit : nec ſibi & Clericis ſolis parcit Eccleſia ; quantum Eccleſia deteſtatur hæreticos, nihilominus in eos non iraſcitur ad necem. Auguſtin. lib. 3. contra Creſcon. cap. 50. *Nullis tamen bonis in Catholica hoc placet, ſi uſque ad mortem in quemquam licet hæreticum ſæviatur.* Quandoque etiam Eccleſia gladium ſpiritualem ſuſpendit, ubi eſt periculum ſchiſmatis. Idem lib. 3. contra Parmenianum : *Cùm quiſque fratrum, id eſt Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt.* Can. Cùm quiſque 23. qu. 4. Dices-ne Eccleſiam remiſſius agere diſciplinæ vitio ? imò potius velim credas hæc fieri, Spiritus quo regitur numine, ut homines quos Deus vult ſuæ ſalutis eſſe artifices, meritis & beneficiis magis provocentur ad ſalutem, quàm pœnis, uti meritis magis liberi ad paterna obſequia provocandi, quàm pœnis adſtrigendi, juxta Papiniani reſponſum in L. ſi quando §. 1. C. de inoffic. teſtament. Nec invidioſum Clericos mitius puniri ; etiam inter ipſos Laïcos, Decuriones tormentis & plebeiorum pœnis non afficiuntur, L. Omnes judices. C. de Decurionib. L. 80. C. Th. eod. tit. Auguſtin. lib. 3. contr. Creſcon. cap. 70. *Denique cùm Maximus Ingentium Decurionem Riquenſium civitatis Epiſtolam Cæciliani ex duumviris falſaſſe contenderet, eundem ipſum Ingentium ſuſpenſum actis quæ ſuberant pervidimus, & ideo minime tortum, quod ſe Decurionem Riquenſium civitatis eſſe aſſeveraverit.* Quod idem repetit epiſt. 68. Idem juris in militibus placuiſſe ſcimus ex L. Milites, C. de Quæſtionibus : eadem prærogativâ meritò gaudere debent Clerici, quos ſacra militia, & Sacerdotii dignitas æquat aut verius anteponit militibus, & majobus Magiſtratibus. Ambroſ. ad Virgines. *Habemus enim nos Sacerdotes, noſtram nobilitatem præfecturis & conſulatibus præferendam, habemus, inquam, fidei dignitatem quæ perire non norunt.* Pœnis Canonicis modus impoſitus eſt ut parceretur pudori Clericorum, & dignitati ſacri ordinis : Eandem ob cauſam moris fuit ut ſententia depoſitionis lata in Epiſcopos dictaretur ſine elogio, ſine causâ. In Concilio Antiocheno depoſitus eſt Euſtathius Antiochenus Epiſcopus, ſed cauſa depoſitionis quæ fuerit, ſilentio prætermiſſum, ut fieri ſolet in Judiciis Eccleſiaſticis. Socrat. lib. 1. cap. 18. ὡς μὲν ἔνιοι φασιν δι' ἄλλας τινὰς ἀγαθὰς αἰτίας φανερῶς δὲ οὐκ εἰρήκασι, τοῦτο δὲ ὅτι πάντων εἰώθασι τῶν καθαιρεμένων ποιεῖν οἱ Ἐπίσκοποι, κατηγο-

ρῦντες μὲν καὶ ἀσεβῆ λέγοντες, τὰς δὲ αἰτίας τῆς ἀσεβείας οὐ λέγουσιν: *Verum quidam prædicant alias cauſas parum honeſtas ejus abdicationis extitiſſe, non tamen eas palam percenſent, eſt enim hoc Epiſcopis in more poſitum, ut eos qui abdicantur accuſent, impios pronuncient, cauſas tamen impietatis minime adjungant.* Eodem ſtudio tuendæ verecundiæ Pontificii Tertio Concilio diſcuſſa eſt cauſa Symmachi, ita reverenter, ut ſub nube lateat genus criminis quo impetebatur: verborum ſchemate rem velavit Ennodius ejus defenſor in Apologetic. pro Synodo. *Symmachi quos vocatis exceſſus, ſi ſunt illa qua & vos expectatione ſuſtineo, nefas eſt peccantem patientiam judicis non amare.*

## CAPUT II.

### *Eccleſia neſcit judicium ſanguinis: interceſſiones Eccleſiaſticæ.*

ECCLESIA Chriſti lege & exemplo imbuta à ſe omnino repulit judicium ſanguinis, contenta depoſitione, excommunicatione & aliis canonicis pœnis. Conc. Toletan. 11. Can. 6. *His à quibus Domini Sacramenta tractanda ſunt judicium ſanguis agitare non licet:* Et in hoc diſtant Epiſcopi à Magiſtratibus: Præſes gladium & cingulum geſtat, quæ ſunt ſymbola juris gladii & imperii, Sacerdos incruentum imperium gerit. Gregor. Nazianzen. epiſt. 46. ἄρχων βοηθὸς ἀρετῆς, ἢ ἀνταγωνιστὴς κακίας, κἂν τὴν ἀναίμακτον ἄρχῃ ἀρχὴν, καθάπερ ἡμεῖς καὶ τὴν μὴ ξίφους, μὴ τελαμῶνος. *Præſes virtutis adjutor, & adverſarius vitii ſive incruentum imperium gerat, ut nos, ſive cum gladio & cingulo:* Hinc Epiſcopos expertes poteſtatis puniendi facinoroſos profitetur Ioan. Chryſoſtom. de Sacerdotio. lib. 2. cap. 20. ἔστε γὰρ ἡμῖν ἐξουσία τοσαύτη δέδοται τῶν νόμων, ὥστε κολύειν τοὺς ἁμαρτάνοντας; *Neque enim talis nobis poteſtas à lege data eſt, ad coercendos delinquentes.* Andream Tarentinum Epiſcopum à celebratione Miſſarum per duos menſes ſuſpendit Gregorius I. quod mulierem de matriculis, id eſt quæ alebatur in matricula Eccleſiæ, gravius fuſtibus cædi juſſiſſet. Auctorem ipſum habemus lib. 2. epiſt. 44. Joann. C.P. Epiſcopo acriter ſuccenſuit idem Pontifex ob Monachum Presbyterum in Eccleſia fuſtibus cæſum, ut ſcribit ipſe lib. 2. epiſt. 52. Apud Mauricium Auguſtum accuſatus idem Ponti-

fex quod Malchum Epiſcopum ſacri patrimonii proviſorem cuſtodiâ detinuiſſet, ad ultimum uſque vitæ ſpiritum, enixè ſeſe defendit lib. 7. epiſt. 1. *Si in morte Longobardorum*, inquit, *me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diviſa; ſed quia Deum timeo, in mortem cujuſlibet hominis me miſcere formido.* Can. ſi in morte 23. qu. 8. Eccleſia alienum ſanguinem neſcit, quæ pro Chriſto proprium ſanguinem fundit, & judicium ſanguinis reliquit cinctis judicibus, id eſt magiſtratibus qui jus cinguli habent. Ivo Carnotenſ. epiſt. 249. *Quomodo enim Eccleſia judicare debet, fundendum ſanguinem alienum, quæ à primo ortu ſuo, juſſa eſt fundere ſanguinem proprium? faciant hæc cincti judices, qui ad malorum vindictam gladium materialem portant, non qui contra nequitias ſpirituales gladio ſpiritus pugnant.* Et quidem ita alienum eſt à Sacerdotibus judicium ſanguinis, ut capite plexos more Laïcorum plecti ſcripſerit Athanaſ. epiſt. ad Solitar. vit. agentes, ubi ait Euſebianos apud Conſtantium effeciſſe ut Adriapolitani, quod ſecum communicare nollent, è loco fabricæ cognomine, Δηλῶ λαϊκῶν ἀποτμηθῶσι τὰς κεφαλὰς, *more Laicorum capitibus truncarentur.* Et ſi quando Epiſcopis juriſdictio criminalis demandatur à Principe, ita eâ defungi debent, ut ſi caſus atrocior requirat judicium ſanguinis, debeant abſtinere, remque relinquere Regiæ poteſtati. Can. Sæpe 23. qu. 8. cap. 9. ne Cleric. vel Monach. cap. 1. de poſtuland. cap. In Archiepiſcopatu. de Raptorib. Hoc moderamine uſum quendam Presbyterum qui juriſdictioni præerat nomine Comitis Flandrenſis, ut convictos vel confeſſos traderet Communiæ Ambianenſi, quæ habebat penes ſe judicium ſanguinis. Steph. Tornacenſ. epiſt. 132. *Juriſdictionem civilem uſque ad rigorem, quam imperium mixtum quidam appellant, ſub poteſtate Comitis Flandrenſis Procuratorio nomine diu exercuit, ubi ex officio qualitercumque ſuſcepto tenebatur & innocentes abſolvere, & noxios condemnare; neminem tamen ut ipſe confitetur, ad effuſionem ſanguinis ore proprio condemnavit, ſed confeſſos, aut convictos de crimine, Communiæ Ambianenſi ad quam judicium ſanguinis ſpectat, ſecundùm quod meruiſſet reus judicandos expoſuit & plectendos.* Denique Eccleſia ita odit ſanguinem, ut non pateat homicidis. Ad Terram promiſſam, quæ eſt typus Eccleſiæ non pervenit Moſes quod Ægyptium necaſſet, licèt verbo ſolo, λόγῳ μόνῳ, ut ait Clemens Alexadrin. lib. 1. Stromat. Eadem religione Eccleſia impatiens ſanguinis, intercedebat pro vinctis ne ultimo afficerentur ſupplicio. Pro Antiochenis interceſſit fœliciter Flavianus An-

tiochenus Episcopus apud Theodosium nimis iratum ob dejectam Placillæ Augustæ statuam. Sozomen. lib. 7. cap. 23. Nicephor. lib. 12. cap. 43. qua de legatione Chrysostom. Homil. 6. ad populum Antiochenum: δικασταὶ φοβοῦσιν ἰουκοῦν ἱερεῖς παρακαλείτωσαν, ἄρλοντες ἰπειλοῦσιν, οὐκ οὖν ἡ ἐκκλησία παρὰ μωθείσθω, *Judices terrent, inde Sacerdotes consolentur; magistratus minantur, ideo Ecclesia confirmet.* Pro Valentino apud Nemesium Præsidem Cappadociæ intercessit Gregorius Naziazen. epist. 183. pro Rustico apud Ausonium Correctorem Isidorus Pelusiot. lib. 5. epist. 212. & hujusmodi intercessionum officium commendat Ambros. in Psalm. 118. Serm. 8. *Eripe eum qui ducitur ad mortem, hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratiâ, tu Sacerdos, aut tu Imperator eripe subscriptione indulgentiæ, & solvisti peccata tua, exuisti te è vinculis.* Et Chrysostom. in Matth. Hom. 46. Ἐνταῦθα μὲν γὰρ δυνατὸν, καὶ προσελθεῖν, καὶ δεκθῆναι τοῦ Βασιλέως, καὶ λύσαι τὴν καταδιναθέντα. *Nam hic quidem accedere nonnumquam ad Principes, atque rogare pro condemnatis possumus;* Memorantur & intercessiones Ecclesiæ pro Hæreticis, ne in eos sæviretur ad necem. August. Epist. 127. ad Donatum Proconsulem Africæ pro Donatistis. *Quæsumus igitur, ut cùm Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam, vel afflictam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris, & petitionem nostram non obliviscaris.* Et idem epist. 159. ad Marcellinum Comitem pro iisdem, *Unde mihi sollicitudo maxima incussa est, ne fortè sublimitas tua censeat eos, tantâ legum severitate plectendos, ut qualia fecerunt, talia patiantur; ideoque his litteris obtestor fidem tuam, quam habes in Christo, per ipsius Domini nostri misericordiam, ut ne hoc facias, nec omnino fieri permittas.* Intercessiones Ecclesiæ & obiter pro confugientibus ad Ecclesiam, idem epist. 10. in appendic. *Faventium benè novit sanctitas tua, qui Paralianensis saltus conductor fuit; is cùm ab ejusdem possessionis Domino nescio quid sibi metueret, ad Hipponensem confugit Ecclesiam, & ibi erat, ut confugientes solent, expectans, quomodo per intercessionem nostram sua negotia terminaret.* Et idem in Joannem Homil. 25. *Alius negotium habet, quærit intercessionem Clericorum; alius premitur à potentiore, fugit ad Ecclesiam; alius pro se vult interveniri apud eum, apud quem parum valet, ille sic, impletur quotidie talibus Ecclesia.* Imperatoribus bene acceptæ fuere intercessiones Ecclesiæ. Antiochenis pepercit Theodosius precibus Flaviani victus: his qui conficiendi naves artem barbaris tradidere, Honorius intercedente Asclepiade Chersonnesti Episcopo. Lib. ult. C. Th. de pœn. Denique quàm frequentes & quotidianæ fuerint intercessiones

nes Ecclesiæ in causis privatorum testatur Augustin. in Collat. 3. Carthaginens. cap. 161. *Notum est omnibus multas causas habere Ecclesiam, & suam, & privatarum personarum sibimet commissarum, & potest fieri ut ad Episcoporum intercessionem multa pertineant; secreta nobis committuntur negotiorum, & causarum alienarum, in quibus nostra interventio sæpè postulatur, propter quæ auxilium ab Ecclesia poscitur.*

## CAPUT III.

### *Judex Ecclesiasticus habet modicam coërcitionem.*

SACER juridicus Christi justitiæ æmulus nescit sanguinem: modicam tamen habet coërcitionem, quæ non perveniat ad sanguinis effusionem; quia jurisdictio nulla & inanis est, absque aliqua coërcitione, Conc. Eliberit. Can. 9. *Decrevit sancta Synodus, ut Episcopi, ac ministri Episcoporum pro criminibus colonos flagellare cum virgis potestatem habeant.* Idolorum cultores & sortilegos, si servi sint, verberibus & cruciatibus; si verò sint liberi inclusione dignâ, id est, custodiâ diutinâ multandi, ex Gregorio I. in Can. contra idolorum 26. quæst. 5. Modica coërcitio permittitur Episcopis, ut parentibus & magistris disciplinæ causâ. Aug. epist. 159. ad Marcellinum Comitem, quæ refertur in can. Circumcelliones 23. qu. 4. *Noli perdere paternam diligentiam quam in ipsa inquisitione servasti, quando tantorum scelerum confessionem non extendente equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti, qui modus coërcitionis & à magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpè etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* Et idem in Psalm. 122. *Nam quis dubitet nuperrimè, sicuti audivimus à fratribus, qui interfuerunt Coëpiscopis nostris, damnatum illum Boëticum inimicum contra Dominum latrantem, dignè flagellatum fuisse.* Charisius Lector, cùm sæpiùs monitus à pravis non resipisceret, flagris verberari paternâ & Ecclesiasticâ censurâ jussit Gennadius P. C. de quo Joan. Moschus in Liminar. cap. 145. καὶ ἐπαίδευσεν αὐτὸν πατρικῶς καὶ Ἐκκλησιαστικῶς, *& jussit illum flagellari paternâ & Ecclesiasticâ censurâ.* Et ut hoc loco intelligas quænam sit vis & potestas gladii spiritualis, id est jurisdictionis Ecclesiasticæ, cùm Charisius incorrigibilis esset, Gennadius per Aprocrisiarium oravit S. Eleutherium mar-

tyrem, cujus in oratorio hic Lector erat, ut aut eum emendaret, aut excideret, non irritâ Legatione; craſtinâ enim die ille mortuus inventus eſt, ut addit idem Moſchus, & Nicephor. lib. 15. cap. 13. Coërcitioni canonicæ hunc modum adhibuit Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, ut non ultrà 39. ictus flagellatio excederet, & ſi iteraretur poſt paucos dies, paucis repeteretur. Cyprianus in vita Cæſarii apud Surium, tom. 4. 27. Auguſt. *Solebat verò ſanctus peraccuratè obſervare, ut nemo ex illis qui ipſi parebant, ſive ſervi illi eſſent, ſive ingenui, ſi pro culpa ſua flagellandi eſſent, amplius* 39. *ictibus ferirentur; ſi quis verò in gravi culpa deprehenſus eſſet, permittebat quidem ut poſt dies paucos iterùm vapularet.. conteſtabaturque Eccleſiæ Præfectos, ut ſi quis juberet quempiam diutiùs flagellari, & ex verbere illi mortem afferrent, ut is homicidii reum ſe ſciret.* Ob hæreſim flagellis damnatus Boëtius ſententiâ Epiſcoporum, ut ſuprà dictum eſt ex Auguſt. in Pſalm. 122. *Nam quis dubitet nuperrimè, ſicuti audivimus à fratribus qui interfuerunt Coëpiſcopis noſtris, damnatum illum Boëticum inimicum contrà Dominum latrantem, dignè flagellatum fuiſſe.*

## CAPUT IV.

### *An Judex Eccleſiaſticus poſſit reos ſubjicere quæſtioni. Ne Clerici reorum neci interſint. Atrium ſauciolum quid ſit.*

QUIA Judex Pontificius habet juriſdictionem civilem & criminalem in Clericos, ſciendum eſt an idem gravioribus in flagitiis reos poſſit quæſtioni ſubdere. Ratio dubitandi fuit, quod per quæſtionem debilitantur membra, & periculum eſt ne Judex qui quæſtionem irrogat, irregularitatem incurrat. Immò & cùm Clerici gaudeant privilegio militum, & ſacra militia adæquetur armatæ, non debent carere privilegio militum & Decurionum, qui torqueri non debent. L. Milites. C. de Quæſt. L. Omnes Judices. C. de Decur. Et in hanc ſententiam quæſtionem eſſe cenſuram Curiæ non Eccleſiæ ſatis eleganter ait Hildebert. Cenomanenſ. Epiſt. 30. *Reos tormentis afficere, vel ſuppliciis extorquere confeſſionem cenſura Curiæ eſt, non Eccleſiæ diſciplina.* Et idem ſenſiſſe videtur Auguſtin. epiſt. 159. cùm Marcellinum comitem commendat, quod à Donatiſtis confeſſionem ſcelerum, non ex-

tento equuleo, non ferro, & flammis, ſed virgis eruiſſet, quo dumtaxat coërcitionis genere Eccleſia uteretur. Tamen jure Pontificio Judex Eccleſiaſticus poteſt reos in gravioribus delictis ſubdere quæſtioni. Cap. Gravis, de depoſit. & hoc de conſuetudine ſervatur. Jo. Gall. quæſt. 234. Boër. deciſ. 163. Bernard. Diaz. in Prax. Criminal. cap. 117. Chopin. de S. Polit. lib. 2. tit. 3. num. 11. Non unâ ratione; prior eſt, quia munus Judicis eſt neceſſarium, & Eccleſiæ maximè intereſt ne crimina impunita maneant; altera eſt quod ceſſat periculum irregularitatis: conceſſa enim Juriſdictione, conceſſa videntur ea omnia, ſine quibus juriſdictio explicari nequit. L. 2. ff. de juriſdict. Et conſequenter jus quærendi veritatem per tormenta & alias probationes. Necnon quæſtio ſeu tortura non eſt pœna quæ excedat modum juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſed genus probationis, & veritatis per tormenta exquirendæ ratio. Tertull. Apologetic. cap. 2. *Civilis, non tyrannica dominatio veſtra eſt; apud tyrannos enim tormenta etiam pro pœna adhibentur, apud nos ſoli quæſtioni temperatur.* Item in Gallia etiam Clerici & Nobiles torquentur, quia reatus tollit dignitatem. L. 2. C. de dignitat. lib. 12. Joan. Chryſoſt. Homil. 13. ad Antiochen. Ἔνθα γὰρ ἂν ᾖ κατάθεσις, ἀξίωμα οὐδὲν ὠφελεῖ: *Ubi enim capitis devotio, dignitas nihil prodeſt.* Certè Judex Eccleſiaſticus non poteſt uti novo genere quæſtionis citrà abuſum. Papon. lib. 19. tit. de appellat. velut ab abuſu. Maynard. lib. 8. cap. 44. Etiam nova & inſolita pœnarum genera Gallis pridem exoſa. Maſſilienſes ad pœnam damnatorum non alio uſi ſunt gladio, quàm rubigine, & vetuſtate exeſo, ne judici exquiſito pœnæ invento ſæviendi locus daretur. Valer. Maxim. lib. 2. *Cæterùm à condita urbe gladius eſt ibi, quo noxii jugulantur, rubigine quidem exeſus, & vix ſufficiens miniſterio; ſed Judex minimis quoque rebus omnia antiquæ conſuetudinis momenta ſervanda.* Judici Eccleſiaſtico reos licet dare quæſtioni; tamen Preſbyteris & aliis Clericis non licet ſtare ad trepalium, ſeu locum ſupplicii ubi rei torquentur, vel ſupplicio afficiuntur. Synod. Matiſcon. 2. Can. 18. *Deffinimus ut ad locum examinationis reorum, nullus Clericorum accedat, neque interſit Atrio ſauciolo, ubi pro reatus ſui qualitate quiſpiam interficiendus eſt.* Et Synod. Antiſſiodor. Can. 33. *Non licet Presbytero, nec Diacono ad trepalium, ubi rei torquentur, ſtare.* Atrium ſauciolum dicitur hic locus ubi rei capite, vel membris plectuntur; aliis atrium ſauciatum, ut in vita Cypriani Carthag. Epiſcopi & Martyris. *Idem Valerius Maximus Proconſul eadem die Cyprianum ſibi offerri præcepit; in*

*atrio ſauciato ſedenti.* Idem locus trepalium, quòd ibi erigeretur patibulum tribus palis ſuſpenſum, quaſi trepalium, ut ſellula tripetia.

## CAPUT V.

### *Epiſcopi habent mulctæ dictionem. Bannus Epiſcopalis. Eodem jure uſi veteres Pontifices.*

JUDEX Eccleſiaſticus non habet jus mulctam pecuniariam dicendi. Cap. Licet, de pœn. Cap. Irrefragabili. §. ult. de Offic. ordinar. ſed per ſecularem poteſtatem debet cavere pœnam pecuniariam blaſphemis irrogari. Cap. Statuimus. de maledic. Verumtamen de conſuetudine judex Eccleſiaſticus poteſt indicere multam pecuniariam. Cap. referente. de delictis prætor. Synod. Carthag. Can. 65. apud Balſamon. & ſolvens decimas extra baptiſmalem Eccleſiam Bannum Epiſcopalem componit, Can. Statuimus 16. qu. 1. Bannus Epiſcopalis eſt mulcta ſexaginta ſolidorum, ut rectè adnotat gloſſ. in d. Cap. Statuimus. Valtramus Naumburgenſ. de inveſtitur. Epiſcopor. *Sequitur autem conſecratio, ut Bannus Epiſcopalis, Banno regali conveniens in communem ſalutem operetur.* Et multa olim addicebatur Eccleſiæ, vel Epiſcopo. Joannes VIII. in Can. Quiſquis 17. qu. 4. *Quiſquis inventus fuerit reus ſacrilegii, Epiſcopis, vel Abbatibus, ſive perſonis ad quas querimonia ſacrilegii juſte pertinuerit triginta libras examinati argenti puriſſimi componat.* Hujus juris inſigne argumentum eſt, quòd pœna pro interfecto Presbytero, quæ Wirgeldus ſeu compoſitio dicitur, pro parte ſolvitur Eccleſiæ cui Presbyter præfuit, & pro parte Epiſcopo in eleemoſynas illius, quia nullus Presbyteri hæres proximior videtur, quàm ille qui ipſum Domino ſociavit, id eſt ordinavit. Conc. Tribur. Can. 5. Can. Omnes 17. qu. 4. Capitul. lib. 4. cap. 5. Hodie Epiſcopus non prohibetur pœnam pecuniariam judicare; ſed non poteſt eam convertere in uſus ſuos, imò expreſſim debet addicere in eleemoſynas vel alios uſus pios. Conc. Trident. Seſſ. 25. de Reformat. cap. 3. & 15. Covarruv. Var. libr. 2. cap. 9. num. 8. Bacquet, *Des Droits de Juſtice.* cap. 7. num. 26. In cauſis Eccleſiaſticis mulcta non cedit fiſco, ſed eroganda eſt in pauperes. L. 18. C. Th. quor. appellat. non recip. Cap. Quia plerique, de immunitat. Eccleſ.

Variæ ſunt pœnæ Eccleſiaſticæ pro modo delictorum, quas inter cenſentur mulctę pecuniarię erogandæ in pauperes. Auctor. Conſt. Apoſtolicar. lib. 2. cap. 48. καὶ τὰς μὲν ὑποβαλλεῖς μόναις ἀποτελαῖς, τὰς δὲ πενήτων χορηγίαις; *Et alios quidem ſubjicies ſolis minis, alios eleemoſynis in pauperes.* Ex Conſtitutione Athalarici, ſi quis Presbyterum vel Clericum Eccleſiæ Romanæ convenerit apud alium quam Romanum Pontificem, mulctatur decem libris auri, quæ per Palatinos ſacrarum largitionum protinùs exactæ, per manus memorati Antiſtitis pauperibus erogentur. Caſſiodor. lib. 8. Var. cap. 24. Mulcta quæ imponitur ab Epiſcopo, venit eroganda in pauperes, quia Eccleſia fiſcum habet propter eleemoſynas. Auguſtin in Pſalm. 146. de eleemoſyna in pauperes. *Sordet eleemoſyna in manu tua, quouſque invenias juſtum cui des, quod cuique placet pro neceſſitate rei familiaris ſuæ tanquam debitum quaſi fiſco reddendum; ſi non habet rempublicam ſuam Chriſtus, non habet fiſcum ſuum, &c.* Solebant Epiſcopi & Comites pro delictis Wadios id eſt pignora capere, & pecuniam inter ſe dividere; quod vetuit Synodus Cabillonenſis 2. Can. 18. *Dictum eſt nobis, quod in quibuſdam locis Epiſcopi & Comites ab inceſtuoſis, & ab his qui decimas non dant Vvadios accipiant, & à Presbyteris pro quibuſdam negligentiis, & inter ſe pecuniam dividant, quod penitus abolendum decrevimus, &c.* Igitur Epiſcopus poteſt indicere mulctam pecuniariam Clericis, ita ut eam non convertat in uſus proprios, vel Eccleſiæ ſuæ, ſed in eleemoſynas vel alios uſus pios. Nec invidioſum Epiſcopos habere jus mulctæ dicendæ; nam & Gentiles urbis Romæ Pontifices eodem jure uſi ſunt in minores ſacrificulos, puta Flamines & alios. Livius libr. 37. *Certamen inter P. Licinium Pontificem maximum fuit & Quintum Fabium Prætorem Flaminem Quirinalem, imperia inhibita ultrò citroque, & pignora capta & mulctæ dictæ, & Tribuni appellati & provocatum ad populum eſt; religio poſtremum vicit, ut dicto audiens eſſet Flamen Pontifici, & mulctæ ex juſſu populi remiſſæ.* Et idem lib. 40. *De Rege ſacrifico ſufficiendo in locum C. Cornelii Dolabellæ contentio inter G. Servilium Pontificem Maximum fuit, & L. Cornelium Dolabellam Duumvirum, navalem, quem ut inauguraret Pontifex magiſtratu ſeſe abdicare jubebat, recuſante quod ſibi faceret ob eam rem multa Duumviro dicta à Pontifice.* Et M. Tull. Philippic. II. *Craſſus Conſul & Pontifex maximus Flacco Collegæ Flamini Martiali mulctam dixit, ſi à ſacris diſceſſiſſet; quam mulctam populus remiſit, Pontifici tamen Flaminem parere juſſit.* Et inter prophanos, etiam minores magiſtratus, veluti municipales habent pignorum capionem. L. Quem-

admodum §. Magiſtratus. ff. ad. L. Aquil. l. 3. §. 1. de reb. eor. qui ſub tutel. vel cur. ſunt. l. 4. §. an tamen. ff. de dam. infect. habent etiam mulctæ dictionem, quia publicè judicium exercent, quod genus magiſtratuum mulctæ dictionem habet, L. 2. §. ult. ff. de Judic.

## CAPUT VI.

### *De Majoribus Pœnis Canonicis; & primùm de Suſpenſione.*

MAJORES Pœnæ Canonicæ ſunt Suſpenſio, Depoſitio, Excommunicatio, Interdictum; Cap. quærenti de V. S. quarum duæ priores ſpectant Clericos tantùm, duæ poſteriores Clericos & Laïcos ſimul. De ſuſpenſione quæ eſt levior cæteris primùm dicemus, ut ad graviores recto gradu tranſeamus. Suſpenſio eſt Cenſura eccleſiaſtica per quam Presbyter vel Clericus abſtinetur ab officio & ordine, vel beneficio, vel à juriſdictione ex parte, vel in totum, ad tempus vel in perpetuum. d. cap. quærenti. Salvâ Cathedrâ, ſalvâ dignitate. Conc. Ancyran. Can. 1. Can. Presbyteros. 50. diſt. Synod. 6. in Trull. Can. 26. Can. Presbyterum 28. diſt. Hujus Cenſuræ antiquiſſimus uſus in Eccleſia memoratur. Hoc cenſuræ genere uſus eſt Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus in ſuos Presbyteros, quòd lapſos tempore perſecutionis, nondum peractâ pœnitentiâ ſuſcepiſſent; teſtem ipſum habemus Epiſt. 10. *Scientes quoniam ſi in iiſdem perſeveraverint utar eâ admonitione, quâ me uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos & apud Confeſſores ipſos, & apud plebem univerſam cauſam ſuam, cùm Domino permittente in ſinum matris Eccleſiæ recolligi cœperimus.* Abſtentionis appellatione eam intelligit Cyprian. Epiſt. 55. ad Cornelium de Fœliciſſimo Epiſcopo, *Qui non tantùm ab iis iſtic abſtentus, ſed abs te illic nuper de Eccleſia pulſus eſt.* Et idem Epiſt. 62. ad Pomponium: *Et idcirco conſultè & cum rigore feciſti, frater cariſſime, abſtinendo Diaconum qui cum virgine ſæpe manſit.* Conc. Eliberit. Can. 53. *Placuit cunctis ut ab eo Epiſcopo quis recipiat communionem, à quo abſtentus in crimine aliquo fuerit.* Suſpenſionis uſum tanquam ſalutarem Eccleſiæ commendat Ambroſ. in Pſalm. 118. Serm. 2. *Sunt ergo qui*

*ad tempus à mandatis pro misericordia repelluntur, sicut & illis consulitur qui vomunt; nam quemadmodum manens in corpore quod vomendum est, plus acescit, ita qui debet excludi si retineatur, nec se corrigat, totum corpus exulcerat.* Ejusdem censuræ meminit Augustin. Epist. 137. ex Concilio Africano : *Et in Episcoporum concilio constitutum est nullum Clericum qui nondum convictus sit, suspendi à communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit.* Suspensionis effectus est, quod amovet suspensum ab executione officii & ordinis; sed non tollit communionem Ecclesiæ, id est, non infert excommunicationem. Conc. Aurelian. 1. cap. 11. Can. Si Diaconus 81. dist. Suspensus ab officio non privatur beneficio, quia pœnæ sunt restringendæ. Gloss. in Clem. Cupientes, de pœn. Hinc Ursicinus Cadurcensis Episcopus suspensus in triennium à celebratione Missarum, & his quæ sunt ordinis Episcopalis, salvâ tamen administratione rerum Ecclesiæ, Gregor. Turonens. lib. 8. cap. 20. *Ursicius Cadurcensis Episcopus excommunicatur, eo quòd Gundovaldum excepisse publicè est confessus, accepto hujusmodi placito, ut pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vino & carnibus abstineret, Missas celebrare, Clericos ordinare, Ecclesiasque, & Chrisma benedicere, Eulogias dare penitùs non auderet; utilitas tamen Ecclesiæ sicut solita erat, per ejus ordinationem omnino exerceretur.* Suspensus tamen non potest eligere, neque eligi, in beneficiis electivis. Cap. Cùm dilectus, de consuetudine. Cap. cùm inter R. seniorem. Cap. per inquisitionem, de elect. Neque eligere, quia electio est actus legitimus spectans ad officium; neque eligi, quia suspensus non potest exercere officium, quo tenetur electus. Cap. si celebrat, de Cleric. excommunic. ministr. Ideò suspensus non potest eligere, nisi priùs absolvatur ad cautelam, ne ordinatio Ecclesiæ retardetur, cap. Apostolicæ, de except. Suspensus pariter non potest conferre beneficia, Cap. quia diversitatem. de concess. Præbend. & suspenso beneficium conferri non potest. Clem. Quoniam de vit. & honest. Cleric. Rebuff. de pacific. possess. num. 254. A suspenso non currit tempus sex mensium, qui dantur Ordinario ad conferendum; quia licet culpâ suâ suspensus sit, non est in culpa quòd non sit absolutus, cùm non sit in mora petendi absolutionem, d. cap. quia diversitatem. Suspensus ab officio cingulo honoris & ordinis exuitur, Can. Placuit. 21. quæst. 2. id est non habet executionem ordinis, non potest Missas celebrare, benedictionem fundere super plebem; ejus nomen interim expungitur è matricula, id est ex albo in quo continetur census Clericorum,

nec ejus nomen recitatur in ſacris diptycis ; & hoc eſt quod inſinuat Auguſtin. prædictâ epiſt. 137. de Bonifacio Preſbytero incontinentiæ reo, quem pendente judicio à ſacris ſuſpendere noluit. *Nomen autem Presbyteri, propterea non auſus ſum de numero collegarum ejus, vel ſupprimere, vel delere, nè divinæ poteſtati, ſub cujus examine cauſa adhuc pendet, facere viderer injuriam, ſi illius judicium meo vellem judicio prævenire.* Et paulò poſt : *Et nunc ſi nobis placet ut nomen ejus non recitetur, ne iis qui ad Eccleſiam accedere nolunt, ſicut ait Apoſtolus, demus occaſionem, quærentibus occaſionem... quid enim obeſt homini quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, ſi de libro vivorum non eum delet iniqua conſcientia ?* Suſpenſis etiam peregrè proficiſcentibus non dabantur litteræ communicatoriæ, ut indicat Auguſtinus ipſe eadem epiſt. *Bonifacius tamen hanc humilitatem ſuſcepit, ut nec litteras acciperet, quibus in peregrinatione honorem ſuum quæreret, ut in eo loco ubi ambo ignoti ſunt, circa ambos æqualitas ſervaretur.* Suſpenſus, inquam, ab officio non habet executionem ordinis ; ideò Guillelmus ſenior Rex Anglorum, inauguratus ab Aldredo Eboracenſi Archiep. quia Stigaudus Archiep. Cantuar. ob labem ſchiſmatis ab Alex. III. ſuſpenſus erat. Matth. Pariſ. & Mat. Weſtmonſt. ad ann. 1057. *Conſecratus eſt Rex Guillelmus & coronatus die Nativitatis Dominicæ feriâ ſecundâ, ab Ældredo Eboracenſi Archiepiſcopo, quia Stigaudus Cantuariæ Archiepiſcopus, tanquam ſchiſmaticus ab Alexandro Papa ſuſpenſus erat.* Et antè Wlſtanus Wigornienſis Epiſcopus ab eodem Aldredo conſecratus ob ſuſpenſionem Stigaudi Cantuarienſis, ſalvâ tamen Cantuarienſi Canonica poſſeſſione, ut potè quæ eſſet juriſdictionis, non ordinis. Roger. Hovedenus ad ann. 1062. *Conſecratus eſt igitur ab Aldredo Eboracenſi Archiepiſcopo, eò quòd Stigaudo Dorobernis Epiſcopo, officium Epiſcopale tunc à Domino Papa interdictum erat, quia Roberto Archiepiſcopo vivente Archiepiſcopatum ſumere præſumpſit, Canonicâ tamen poſſeſſione præfato Dorobernenſi Archiepiſcopo Stigaudo, non ſuo ordinatori Aldredo facta.* Clericus qui per annum hæſit in ſuſpenſione privatur beneficio, quod priùs habebat, & eo quod à ſuſpenſione adeptus eſt, quia fit irregularis, cap. cùm bonæ, de ætat. & qualitat. & ordin. præfic. Ut Epiſcopus violans interdictum ſuſpenditur ab officio & beneficio, nec ſolùm privatur beneficio antè interdicti violationem adepto, ſed etiam poſtea adepto, cap. Tanta, de exceſſ. Prælat. & ſuſpenſus celebrans incurrit irregularitatem, ſuper quâ non poteſt diſpenſari, niſi à ſummo Pontifice, cap. final. de exceſſ. Prælat. cap. 1. in fin. Cap. Is qui. de ſentent. excommunic. in 6. cap. 1. de

re

re judic. eod. Suſpenſio non ſuſpenditur per appellationem, cap. Is cui. de ſentent. excommunic. in 6. quia trahit ſecum executionem, exemplo excommunicationis, cap. paſtoralis. §. verum, de appellat. Et ſuſpenſio lata ad tempus ſolvitur abſque ulla abſolutione elapſo tempore. gloſſ. in Clem. 1. in verb. donec dederim, ut ſuſpenſio ab advocationis officio, vel relegatio ad tempus remittitur ſolo lapſu temporis, nè pœna ultra tempus prorogetur. L. Imperatores. ff. de poſtuland. Suſpenſio propriè pertinet ad Clericos tantùm; impropriè ad Laïcos. Melioribus enim Eccleſiæ ſæculis, etiam magiſtratus quia ſævis quandoque ſe immiſcebant, à communione Eccleſiæ interim abſtinere ſolebant, Concil. Eliberit. Can. 56. *Magiſtratum verò anno quo agit duumviratum, prohibere placet ut ſe ab Eccleſia cohibeat.* Et qui per ambitionem Magiſtratum adipiſcebantur, non recipiebantur in communionem abſque litteris communicatoriis; & ſi quid contra leges, & diſciplinam agerent, à communione removebantur. Concil. Arelatenſ. 1. Can. 7. *De Præſidibus qui Fideles ad Præſidatum impetu proſiliunt, ita placuit ut cùm promoti fuerint, litteras accipiant Eccleſiaſticas communicatorias; ita tamen ut in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur, ut cùm cæperint contra diſciplinam publicam agere, tunc demum à communione excludantur.* Aliàs magiſtratus non arcebantur à communione, nè metu abſtentionis viri probi detrectarent magiſtratum, & vacuis tribunalibus crimina manerent impunita; ſed ipſi ultro ſolebant abſtinere. Ambroſ. epiſt. 59. *Nam non ſunt extra Eccleſiam, tamen qui in aliquos capitalem ſententiam ferendam exiſtimaverunt, plerique etiam ſponte ſe abſtinent, & laudantur quidem, nec ipſi eos poſſumus non prædicare; quia auctoritatem Apoſtoli eatenus obſervamus, ut iis communionem non audeamus negare.* Et paulò poſt: *Ideo majores maluerunt indulgentiores eſſe circa judices, ut dum gladius eorum timeretur & reprimeretur, ſcelerum furor non incitaretur; quod ſi negaretur communio, videretur criminoſorum vindicata pœna: maluerint igitur priores noſtri, ut id in voluntate magis abſtinentis, quàm in neceſſitate ſit legis.*

## CAPUT VII.

### *De Depoſitione, quæ eſt pœna propria Clericorum; deque Communione peregrina, quæ alia eſt à laica.*

DEPOSITIO, quæ Græcis καθαίρεσις, etiam canonica eſt pœna Clericorum, non aliter atque excommunicatio, quæ Græcis ἀφόρισμὸς, laicorum, ita ut quibus de cauſis Clerici depoſitione, laici excommunicatione plectantur. Hac diſtinctione utitur can. 31. Apoſtolorum, Si quis Presbyter contempto proprio Epiſcopo ſeorſim collectas egerit, καθαιρεῖσθω deponatur: laici verò ἀφοριζέσθωσαν ſegregentur, & can. 66. Si Clericus die Dominico, aut Sabbato inventus fuerit jejunare, καθαιρείσθω; ſi laïcus, ἀφοριζέσθω. Eadem diſtinctione Synod. 6. in Trull. can. 62. ne fideles Kalendas, vel alios Gentilium feſtos dies celebrent, vel alias ſuperſtitiones exerceant; quòd ſi aliter fecerint, ſi ſint Clerici, deponi jubentur, καθαιρεῖσθαι: ſi verò laici ἀφορίζεσθαι. Depoſitio eſt perpetua remotio à ſacro miniſterio, id eſt executione ordinis. can. Apoſtolor. 15. & Synod. Antioch. can. 3. Si Preſbyter vel Diaconus relictâ ſuâ Eccleſiâ in aliam emigraverit, à ſacro miniſterio deponatur, καθαιρεῖσθαι τ̃ λειτουργίας. Preſbytero olim depoſito ob conſuetudinem cum famoſa muliere, Eccleſiam credere non ſuſtinuit Auguſtinus: teſtem ipſum habemus epiſt. 16. in appendic. *Ego certè Presbyterum & qui die jejunii, quo ejuſdem loci etiam Eccleſia jejunabat, valefaciens collegæ ſuo ejuſdem loci Presbyterio, apud famoſam mulierem, nullum ſecum Clericum habentem, remanere, & prandere & cœnare auſus eſt, & in una domo dormire, removendum ab officio Presbyteri auſus ſum, timens ei deinceps Eccleſiam Dei committere: quod ſi fortè judicibus eccleſiaſticis aliàs videtur, quia ſex Epiſcopis cauſam Presbyteri terminare concilio ſtatutum, committat ille qui vult Eccleſiam ſuæ curæ commiſſam.* Primis ſæculis depoſitio erat perpetua, & ſine ſpe reſtitutionis; ſemel enim depoſitus gradu in perpetuum excidebat, & redigebatur in ordinem laicorum, & hoc eſt quod dicebant redigi ad communionem laicam; id eſt ad communionem inter laicos, ſicut unum è plebe. Conc. Agathenſ. can. 50. *Si Epiſcopus, Preſ-*

*byter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit, ab officii honore depositus, in monasterium detrudatur, & ibi quamdiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.* Cui addendi sunt Can. Si quis viduam, Can. accedens, eadem dist. Can. Si quis Clericus. Can. Si quis Episcopus. 81. dist. Can. statuimus 11. qu. 1. Can. Abbatibus. 12. qu. 2. Basil. ad Amphiloch. Can. 32. Hanc ob causam depositus Elpidius Satalorum Episcopus, quod Eusebium Presbyterio amotum contra decreta Melitinensis Concilii ordine restituisset. Sozomen. lib. 4. cap. 23. Posteà remittente disciplinâ, ut consuleretur iniquitati temporum, usu inolevit ut depositi Clerici peractâ pœnitentiâ, in ordinem restituerentur. Can. Benè valet. can. Si quis Diaconus. 50. dist. Clerici depositi pœnitentię causâ detrudebantur in monasterium, ne gradu amisso seculariter viverent. Concil. Cabillonens. 2. can. 40. *Dictum nobis est Presbyteros propter suam negligentiam, canonicè degradatos seculariter gradu amisso vivere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere; unde statuimus, ut gradu amisso agendæ pœnitentiæ gratiâ in monasterio, aut canonico, aut regulari mittantur.* Quem canonem ex Conc. Moguntino laudat Gratianus, Can. dictum est, 81. dist. Clerici depositi amittebant nomen & honorem Clericorum, Synod. Antiochen. can. 1. τοὺς δὲ καθαιρεθέντας ἀποστερεῖθας, καὶ τῆς ἔξωθεν τιμῆς, ἧς ὅς ἅγιος κανὼν καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ ἱερατεῖον μετείληφεν. *Depositis autem etiam externo honore privari, cujus sanctus canon & Dei Sacerdotium fuit particeps.* Depositi mutabant vestem & tonsuram clericalem, & induebantur veste laicâ, & laxabant comam ut laici, nisi retrò pœnitentiam agerent. Synod. 6. in Trull. can. 21. Depositi omnino pro laicis habebantur, eorumque nomen expungebatur de tabula, id est albo, seu matriculâ Clericorum. August. serm. de commun. vit. Cleric. *Quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum.* Can. nolo, 12. quæst. 1. Marbodus Rhedonensis Episcopus in epist. ad Rainaldum Episcopum Andegavens. *Nec opinantem aggressus omnibus honoribus ac beneficiis, quæ mihi antecessorum tuorum contulit liberalitas me privasti. Reversus ergo Româ, acceptâ videlicet faciendi, quod jam feceras potestate, ne quid odio tuo deesset, delere nomen meum de catalogo prorupisti, prius omnia, meas etiam syllabas persecutus.* Depositionem sequebatur polixius anathema, id est segregatio à communione Sacramentorum, & participio Eucharistiæ, ac depositis vix concedebatur communio peregrina. Concil. Ilerd. can. 16. *Quod si quisquam*

*post hæc cujuslibet ordinis Clericus, quacumque occasione, de omni facultate quidpiam probatus fuerit abstulisse, vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegii prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei communio concedatur.* Can. hæc hujus 12. qu. 2. Concil. Agath. can. 2. *Contumaces Clerici prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur, & si qui prioris gradus elati superbiâ, communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur.* Can. Contumaces 50. dist. Eadem Synod. can. 5. *Si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.* Can. Clerici. 13. quæst. 2. Armentario qui perperàm fuerat à duobus Episcopis ordinatus, indultum Chorepiscopi nomen, aut peregrinæ communionis fomentum, Synod. Regiens. can. 3. *Quod ergo in quibusdam schismaticis magis quàm hæreticis recipiendis, Nicænum Concilium statuit, à singulis per territoria sua, hoc etiam præsens conventus in hoc statuit, ab omnibus debere servari, id est ut cuicumque de fratribus tale aliquid caritatis consilia dictaverint, liceat ei unam Parochiarum suarum Ecclesiam cedere, in qua aut Chorepiscopi nomine, ut idem Canon loquitur, aut peregrina, ut aiunt, communione foveatur.* Quæ sit istiusmodi peregrina communio à variis anxiè quæsitum; eandem esse cum communione laïca, id est communione quæ Clericis depositis non denegatur inter laïcos, credit auctor glossæ in d. Can. Contumaces, & in d. Can. Clericis, cujus sententiam non improbabilem esse reor. Communionem enim laïcam non ineptum & incongruum est dici peregrinam, quia communio laïca est aliena & peregrina Clericis, nec eis datur quàm post depositionem, ubi jam pro laïcis habentur; & eadem analogia peregrinum judicium idem est quod seculare, quod sit peregrinum Clericis, qui fori secularis expertes sunt. Goffr. Vindocin. lib. 2. ep. 24. *Omnino enim injustum est, & sacris canonibus sicut ipse melius nosti penitus obviare videtur, ut ecclesiastica causa seculari & peregrino judicio terminetur.* Tamen communionem laïcam aliam esse à peregrina facilè colligi potest ex variis canonibus, qui utriusque meminerunt; & communionem peregrinam malim esse non communionem annonæ & alimentorum quod multis suasum est. Communio enim peregrina est canonica & spiritualis, etsi minor ecclesiastica, sed nudam & simplicem communionem precum, quæ quandoque non denegatur honestis viris injuriâ excommunicatis, si appellaverint, ante causæ cognitionem. Ita monachos Ægyptios (hi erant quatuor fratres μάκροι, id est longi à statura corporis vulgo nuncupati) à Theophilo Alexandrino ir-

juſtè excommunicatos humanè & hoſpitaliter ſuſcepit Jo. Chryſoſtomus, eoſque admiſit ad communionem precum, denegatâ tamen communione Euchariſtiæ, donec eorum de cauſa cognitum eſſet. Socrat. libr. 6. cap. 9. μαθὼν ὃ ταῦτα ὁ Ἰωαννης ἐν τιμῇ μὲν εἶχε τὰς ἄνδρας, τῆς δὲ σὺν αὐτοῖς μετέχειν, οὐκ ἐκώλυσε κοινωνίαν ἢ τῆς μυστηρίων οὐκ ἔφη πρὸ διαγνώσεως μεταδώσειν αὐτοῖς. *De quibus Joannes certior factus, viros illos honorificè excepit, precumque participes eſſe permiſit, ſed communionem myſteriorum illis ſe minimè prius conceſſurum dixit, quàm eorum cauſa cognita eſſet.* Idem Sozomen. lib. 8. cap. 13. Nicephor. lib. 13. cap. 11. Pallad. in vita Chryſoſtomi. Relegationem etiam ad communionem peregrinam non eſſe regradationem ſeu rejectionem in inferiorem gradum, quod quidam voluit, facilè evincitur quòd ejus copia datur Clericis depoſitis, quorum nomen abraſum erat è matricula, quod eſt argumentum depoſitionis; ita ut eis non tollatur ſpes reſtitutionis, & ubi reſtituti fuerint eorum nomen reponatur in matricula, ut innuunt poſtrema verba Canon. 2. Concil. Agathenſ. jam à me laudati: *Peregrina eis communio tribuatur, ita ut cum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant.* Depoſitioni aliquando accedebat excommunicatio, id eſt ſegregatio à communione fidelium, quæ dicebatur perfecta & omnimoda depoſitio. Synod. Antiochena Can. 3. παντελῶς ὡς καθαιρεῖσθαι δὲ λειτουργίας: *Is omnino à ſacro miniſterio deponatur*; & eadem Synod. Can. 5. τοῦτον καθαιρεῖσθαι παντελῶς, *is omnino deponatur.* Sæpius Clerici depoſiti mox tradebantur Curiæ ſervituri, Can. Si quis Sacerdotum. Can. Statuimus 11. qu. 1. Can. Clericus 3. quæſt. 4. L. 39. C. Th. de Epiſcop. & Cleric. id eſt redigebantur in ordinem Decurionum, ſi natalibus & facultatibus eſſent idonei, ut ſuſtinerent onera municipalia quæ erant gravia & importabilia. d. L. 39. Hujus legis & canonis prava & ſtulta interpretatione invaluit, ut Clerici depoſiti traderentur judici ſeculari puniendi. Ivo Carnot. epiſt. 53. *Nonne ſatius erat rapinam bonorum veſtrorum perpeti, vel etiam perſonam veſtram ſicut promiſeratis carceri mancipari, quàm Clericus veſter non judicatus, non damnatus à vobis Curiæ traderetur, ubi more furis contumeliis & injuriis quotidianis cruciaretur. Non eſt hoc officium Paſtoris, ſed mercenarii.* Et idem epiſt. 66. *Hoc quod dico Clerus approbaret, hoc populus acclamaret, niſi metu Regis comprimerentur, vel inſidiis Turonenſis Archiepiſcopi terrerentur, qui Clericos ſibi adverſantes clandeſtinis delationibus Curiæ tradi facit, aut in exilium pellendos aut bonis ſuis ſpoliandos.* Eadem interpretatione inſtabat Henricus II. Rex

Anglorum, ut Clerici depoſiti Curiæ, id eſt foro ſeculari traderentur, in vit. Thomæ Cantuar. libr. 1. cap. 23. *Hoc igitur Rex quorumdam fretus conſilio, utriuſque juris ſe habere peritiam oſtentantium inſtantiſſimè poſtulabat, ut tales mox ſubmoti ab Ordine, Curiæ tradantur, quod non ſolum jus humanum, ſed etiam ipſius divini juris canonica ſanxit auctoritas. Unde de talibus ſæpe reperitur in canone, tradantur curiæ; unde quidam pro Rege ob regium favorem ut videbatur, ſcienter edocti allegabant, tales nequaquam exilio, vel monaſterio, ſed canonibus ſancientibus, ſic potius tradendos curiæ, hoc eſt judicio ſeculari tradi puniendos.* Et hoc eſt quod tradit Matth. Pariſ. in Henrico II. ad ann. 1163. *Eodem anno Rex Henricus incongruum eſſe aſſeruit Clericos à ſuis Juſticiariis in publico flagitio deprehenſos Epiſcopo tradere impunitos; decrevit enim ut quos Epiſcopi invenirent obnoxios præſente Regis juſticiario exautorarent, & poſt Curiæ Regis traderent puniendos.* Rigord. in Philippo A. de Hæreticis ſectæ Amalrici. *Et ita hujus ſectæ plures Sacerdotes Clerici, & Laïci, ac mulieres diutius latentes, prout Domino placuit tandem detecti, & capti, & Pariſios adducti, & in Concilio ibidem congregato convicti & condemnati, & ab ordinibus in quibus erant degradati, traditi fuerunt curiæ Philippi Regis. Qui tamquam Rex Chriſtianiſſimus & Catholicus, vocatis apparitoribus fecit omnes cremari.* Et ad uſum & conſuetudinem, ſeculi potiùs quàm ad genuinam ſententiam canonis ſe referens Innocent. III. in cap. Novimus. de V. S. eandem ſic interpretatus eſt, ut depoſiti quos Curiæ tradi dixit canon, tradantur brachio ſeculari puniendi.

## CAPUT VIII.

### *Depoſitio alia nuda, alia ſolemnis, quæ degradatio. Depoſitionis ſolemnia; depoſitioni modus adhibitus.*

DEPOSITIO alia eſt nuda & ſimplex ſeu verbalis, alia actualis ſeu ſolemnis, quæ propriè degradatio dicitur. Verbalis eſt quæ fit nudis verbis per ſententiam. Conc. Arelat. 1. Can. 13. *De his qui Scripturas ſanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa dominica, vel nomina fratrum ſuorum, placuit nobis ut quicumque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis ab ordine Cleri amoveatur.* Solemnis eſt quæ fit ſolemniter verbis & re, ſeu facto, id eſt detractione ſolemni inſignium clericalium. Conc. Tolet.

4. Can. 24. *Episcopus, Presbyter, aut diaconus à gradu suo injustè dejectus, si in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manibus Episcoporum; si Episcopus est, orarium, annulum & baculum; si Presbyter orarium & planetam; si diaconus orarium & albam; si subdiaconus patenam & calicem.* Quem Canonem ex Conc. Moguntino laudat Gratianus, can. Episcopus. ij. qu. 3. His solemnibus Germanus PC. sede dejectus ὠμοφόριον, id est superhumerale, quod est insigne sacerdotii super aram Ecclesiæ deposuit. Cedr. in Leone. Et Sandabarenus Euchaitanus Episcopus reus postulatus nefarii consilii dati Basilio Imp. de oculis filio eruendis, apud Photium Patriarcham, ejus pedes amplexus, ὁρκίζω, inquit, σε Δέσποτα κατὰ τοῦ Θεοῦ λέγων πρότερον μὲ καθαιρῆσαι, καὶ τότε γυμνὸν ἱερωσύνης παραλαβέτωσαν, καὶ κολαζέτωσαν ὡς κακοῦργον: *Obtestor te*, inquit, *Domine, per Deum, ut mihi sacerdotalem prius adimas dignitatem, atque tum exauctoratum me ij arripiant, & ut maleficum puniant.* Cedren. in Leon. Ph. In depositione Photii Pseudopatriarchæ ei demptus est baculus Pastoralis, Synod. 8. act. 7. init. similiter Benedictus Pseudopontifex à Leone 8. depositus scisso Pallio, & Baculo Pontificio. Regino 2. Chronic. *Tunc Leo apostolicus, coadunata multorum Episcoporum Synodo, eundem Benedictum humanæ sedis invasorem, judicio omnium ab invaso gradu deposuit, & pontificale pallium, quod sibi imposuerat abscidit, ferulamque Pastoralem manu ejus arreptam, coram omnibus in frusta confregit, & ad preces Imperatoris* (is erat Ottho 1.) *Diaconatus ei tantum gradu uti concessit.* Idem Luitprand. libr. 6. cap. 11. Quid Formosus Pseudopontifex è sepulchro erutus solio Pontificio impositus, & sacris vestibus denudatus, tribus digitis abscissis, mox in Tyberim corpus projectum. Luitprand. libr. 1. cap. 8. *Nam Formoso defuncto, atque Arnulfo in propria reverso, is qui post mortem Formosi Papa constitutus est expellitur, Sergiusque Papa per Adelbertum constituitur; quo constituto ut impius doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum è sepulchro extrahere, atque in sedem Romani Pontificis, sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit, cui & ait: Quum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti? His expletis sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim jactare præcepit, cunctosque quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit.* Idem Sigebert. ad ann. 900. Et Abbas Vistog. in vita Arnulfi. Eodem jure in Gallia Augustiniani duo presbyteri, qui Carolum 6. quem curandum susceperant in maximum vitæ periculum inani artis jacta-

tione adduxere, morte damnati priùs ſolemniter degradati ab Epiſcopo Pariſienſi. Juvenal. de Urſin. ad ann. 1398. *Et y eut pluſieurs notables gens aſſemblez, tant d'Egliſe que Lais, leſquels conclurent, qu'ils ſeroient degradez, & qu'ils auroient les teſtes coupées, & pour cette cauſe furent faits écharfauts en Greve devant l'Hôtel de la Ville, & du ſaint Eſprit:* & mox; *Et aprés iſſit l'Eveſque de Paris en habit pontifical, & vint juſques aux deux Auguſtins, leſquels eſtoient reveſtus comme s'ils euſſent voulu dire meſſe; Et aprés ce qu'il euſt parlé à eux il leur oſta à chacun d'eux, les Chaſuble, Eſtolle, Manipule, Aube & Surplis, en diſant certaines Oraiſons; puis s'en retourna par où il eſtoit venu, & paravant en ſa preſence, feurent rais & oſtez leurs cheveux, ſans apparence de couronnes; & tantoſt ceux de la juriſdiction laye, les prindrent & les dépoüillerent, & leur laiſſerent ſeulement leurs chemiſes, & à chacun une petite jaquette par deſſus, & feurent mis en une charette, & liez & menez aux Halles & là eurent les teſtes couppées &c.* Etiam ſolemnis depoſitio Abbatum fieri ſolebat fracto ſigillo, quod eſt præcipuum inſigne Juriſdictionis. Hoc ritu S. Abbas Conchenſis in Normannia, coram judicibus datis à ſummo Pontifice Abbatiam ejuravit fracto ſigillo, ſententiam depoſitionis prævenientes. Innocent. 3. libr. 2. Epiſt. 38. *Et inſtrumenta ſua fracto ſigillo quo uſus fuerat in manibus judicum reſignavit, & Abbatiam abjuravit memoratam.* Fracto ſigillo depoſitus eſt Radulfus de Arundel Abbas Weſtmonaſterienſis. Matth. Pariſ. ad ann. 1214. *Illis diebus per prædictum legatum depoſitus eſt Radulfus de Arundel Abbas VVeſtmonaſterienſis in craſtino ſancti Vincentii per N. Abbatem de VVeſtham miſſum ex parte legati, fracto ipſius ſigillo in capitulo.* Solemnis depoſitio Clericorum fit detractis inſignibus clericalibus, ut militum vel magiſtratuum exautoratio demptis militiæ, vel dignitatis inſignibus. L. 2. ff. de his qui notant. infam. l. qui de libertate, de liberal. cauſ. l. judices. C. de dignitat. lib. 12. cap. degradatio de pœn. in 6. Jo. Chryſoſtom. in Epiſt. ad Roman. Homil. 6. ὥσπερ ἂν τὰς ἐν ἀξιώμασιν ὄντας εἶτα ἀλισκομένους, ὅτι μεγίστοις ἐγκλήμασιν, οἱ δικάζοντες ἀφελόμενοι τὰ τῶν ἀξιωμάτων τιμὰς τότε κολάζουσι, ἅπερ ὁ παῦλος ἐποίησεν. *Quod igitur facere ſolent judices ij, qui quos in dignitate conſtitutos, gravioris alicujus criminis convictos habent, eos priùs honoris ſui ornamentis ſpoliant quàm ſupplicio multatos abdicant, hoc ipſum & hic quoque Paulus fecit.* Aliquando depoſitio fiebat cum aliqua gratia & remiſſione, putà ſalvo nomine & honore Epiſcopatus, & ſalvis alimentis & annonis de Eccleſiæ cenſu. Baſſiano & Stephano Epiſcopis Epheſinis depoſitis ſalvâ dignitate Epiſcopatus

patus relicta sunt necessaria sumptu Ecclesiæ. Concil. Chalced. act. 12. Domno Antiocheno Episcopo depositio etiam consultum de alimonia stipe Ecclesiæ, ejusd. Conc. act. Pariter Clericis depositis ordine & beneficio relinquitur modicum alimentorum causa è fructibus beneficii. Nicolaus I. in can. studeat 50. dist. *Verùm si Presbyter adeo vestro studio obnoxius fortè claruerit, præcipimus ut tale beneficium sibi Ecclesiæ suæ concedatur, quo & ipse & sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium.* Nec non Clericis depositis & pœnitentiæ causâ in Monasterium ablegatis providendum de alimonia, ne Monasterio sint graves. Gregor. libr. 1. Epist. 42. *Si qui verò ex familia ecclesiastica Sacerdotes, vel Levitæ, vel Monachi, vel Clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus; sed res eorum Ecclesiastico juri non subtrahi, ad usum tamen suum accipiant, unde ad pœnitendum subsistant, ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint oneroſi sint.* Can. de Lapsis 16. qu. 6. quia dandum vitæ sustentandæ solatium, cui vita relinquitur. L. Si mandavero, §. is cujus. ff. mandat. Cap. fœlicis, de pœn. in 6. Aliquando & depositioni Episcoporum modus adhibitus est, ita ut deponerentur salvo Presbyteratu. Eustathius Beryti Metropolita duos Episcopos à Photio Tyri Metropolita ordinatos depositi salvo Presbyteratu, quod novum & insolens visum Legatis sedis Apostolicæ & aliis Patribus Concilii Chalcedonensis, ut fertur Act. 4. Concil. Chalced. ἐπίσκοπον εἰς Πρεσβυτέρου καθίγιν βαθμὸν ἱερόσυλία ἐστίν. Episcopum in gradum Presbyteri redigere sacrilegium est. Unde confectus est Can. 29. Concil. Episcopos tamen suspendi licuit incolumi Presbyteratu, ex Synodo 6. in Trull. Can. 20. quem de suspensione intelligendum insinuant verba illa, ἀπ' Ἐπισκοπῆς παυέσθω: *ab Episcopatu cesset*, ut optimè observavit Jo. Morin. Exercit. Eccles. libr. 2. cap. 15. Posterioribus tamen seculis vergente in occasum disciplinâ, depositi leguntur Episcopi, servato Presbyteratu in solatium amissi Episcopatus. A Leone VIII. depositus est Benedictus Pseudopontifex misso ei diaconatu, ut jam observatum est ex Reginone & Luitprando. In Concilio Rhemensi cui præfuit Leo IX. Pontifex salvo Presbyteratu depositus Nannetensis Episcopus, ex gestis hujusce Concilii. Depositio Aurelianensi Episcopo, ut salvum retineret ordinem Presbyterii pro eo intercessit Bernard. Epist. 245. ad Eugenium III. *Sufficit si vestra indulgentia possit retinere sacerdotem qui Episcopus fuit; tantum à nota infamiæ, & perpetuæ inustionis cauterio scuto bonæ voluntatis vestræ obumbretur sibi.* Depositio tam verbalis quàm solemnis spectat ad Episcopum; verbalis ad Epis-

copum proprium, abſque aliis Epiſcopis; ſolemnis ad Epiſcopum proprium adhibitis ſex aliis Epiſcopis ſi Presbyter ſit, tribus Epiſcopis, ſi Diaconus. Can. ſi quis & ſeqq. 15. qu. 7. cap. Degradatio, de pœn. in 6. Auguſtin. Epiſt. 16. in appendic. *Removendum ab officio Presbyterii auſus ſum, timens ei deinceps Eccleſiam Dei committere: quod ſi fortè judicibus Eccleſiaſticis aliàs videtur, quia ſex Epiſcopis cauſam Presbyterii terminari Concilio ſtatutum, committat illi qui volet Eccleſiam ſuæ curæ commiſſam.* Hodie quia tot Epiſcoporum copia vix eſſe poſſet, & ſi tot convenirent eorum reſidentia interverteretur, Clericorum depoſitio vel degradatio fieri poteſt per proprium Epiſcopum, ſine aliis Epiſcopis, adhibitis totidem Abbatibus, vel perſonis Eccleſiaſticâ dignitate præditis. Concil. Tridentin. ſeſſ. 13. de reformat. cap. 4. Ad Epiſcopum pertinet & deſtitutio Clericorum, ſicut inſtitutio. Cap. Conquerente, de offic. ordinar. cap. cùm ex injuncto, in fin. de hæretic. cap. 1. de Capell. Monach. Can. Epiſcopus diſt. can. 67. Epiſcopus 15. qu. 7. Hoc diſtat depoſitio à deſtitutione, quod depoſitio propriè eſt ab ordine, deſtitutio à beneficio. Licèt ſæpius depoſitio utrumque continet, remotionem ab officio & beneficio, quia indignus ordine, indignus efficitur beneficio. Can. ſi quis amodò. can. ſi quis ſacerdotum. can. eos, 81. diſt. unde degradatio dicitur deminutio capitis, cap. qualiter, de accuſat. quia per depoſitionem mutatur omnino ſtatus perſonæ, & depoſitus ordine & beneficio capite minutus videtur. Quandoque depoſitionem ſequebatur virgarum caſtigatio publica & exilium, Gregor. Libr. 9. Epiſt. 66. ind. 4. *Fratrem Paſchaſium* (is erat Epiſcopus Neapolitanus) *volumus admoneri, ut eundem Hilarium prius Subdiaconatus quo indignus fungitur privet officio, atque verberibus publicè caſtigatum faciat in exilium deportari.*

## CAPUT IX.

### *De Regradatione. Regradatio Pœna Canonica, etiam & militaris.*

INTER Pœnas Canonicas proximum à depoſitione locum tenet Regradatio, quæ eſt mitior depoſitione: depoſitio enim tollit penitus gradum & Ordinem; regradatio non omnino adimit gradum, ſed rejicit in inferiorem, vel ultimum; ut cùm

Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, propter lapsum rejicitur in imum gradum Ostiarii vel Lectoris. Conc. Toletan. 1. Can. 4. *Subdiaconus defuncta uxore si uxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Ostiarios & Lectores.* Can. si Subdiaconus 34. dist. Eadem pœnâ plectuntur Presbyteri & Diaconi ob vitium usuræ. Conc. Aurelianens. 3. Can. 27. *Ut Clericus à Diaconatu & suprà, pecuniam non commodet ad usuras; quod si quis adversùm statuta venire præsumpserit, communione concessa ab ordine regradetur.* Vel ob inobservantiam dierum festorum. Concil. Matisconens. 1. Can. 10. *Ut Presbyteri Diaconi, vel quolibet ordine Clerici Episcopo suo obedienti devotione subjaceant, & non alibi dies feriatos, nisi in obsequio illius liceat tenere, aut celebrare; quod si quis per quamcumque contumaciam aut per cujuscumque patrocinium hoc facere fortasse distulerit, ab officio regradetur.* Vel ob accusationem innocentium. Idem Conc. can. 18. *De his verò qui innocentes, aut Principi, aut judicibus accusare convicti fuerint, si Clericus honoratior fuerit, ab officii sui ordine regradetur.* Aliud est regradationis genus, cùm Presbyter vel Diaconus, vel inferior Clericus pœnæ causâ rejicitur in ultimum locum sui ordinis, id est collocatur ultimus inter Presbyteros vel Diaconos, vel alios sui Ordinis; ut si Diaconus inter Presbyteros sedere præsumpserit, ultimus omnium constituitur in ordine suo. Synod. 6. in Trull. can. 7. Ἕσχατος πάντων γινέσθω τῶ ἐν ὥπερ κατελέγετο τάγματος, ἐν τῆ κατ' ὠὴ Ἐκκλησία. Undè desumptus est Can. præcipimus. 93. dist. Et Clerici qui ultrò pecunias Ecclesiæ obtulerunt, & propter oblationem se jactant fratribusque se præferunt, rejiciuntur in ultimum gradum sui Ordinis. Synod. Nicæn. 2. can. 5. Ἔσχατον βαθμὸν λαμβάνειν τῶ ἰδίου τάγματος. Et Clerici pigri & desides ad divina officia, rejiciuntur in ultimum loeum Chori. Concil. Aquisgr. can. 131. *Qui segniter aut tardè ad matutinum, aut aliud quodlibet divinum obsequium peragendum occurrerit, dignum est ut non cum aliis in Choro, sed omnium ultimus, aut certè ut erubescere discat, in loco hujuscemodi negligentibus à Prælatis constituto stet, foris verò nullatenus remanere præsumat.* Eadem pœna est Clericorum ob incontinentiæ labem. Concil. Hybernens. *Presbyter si fornicatus fuerit psalmos cum fratribus in Choro ultimus canat.* Can. Presbyter. 82. dist. Eadem regradationis usu frequentata, ob compescendum typhum Diaconorum. Gregor. I. libr. 1. Epist. 81. *Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantiâ à sui pravitate compesce, & ultimum inter Diaconos stare constitue, &c.* In regulari

disciplinâ nota quoque fuit pœna hujusmodi regradationis; putà Canonicus regularis, Monachus factus, ad Canonicos redire compellitur; ita ut in pœnam desultoriæ levitatis deinceps memorialem cucullam deferat, & ultimus in Choro maneat, ex Decreto Urbani II. Can. Mandamus 19. qu. 3. cap. Intelleximus, de ætat. & qualit. & ordin. præfic. Goffrid. Vindocinens. libr. 2. Epist. 7. ad Ivonem Episcopum Carnotensem. *Domnus Ernaldus quem Decanum vestrum dicitis, si sibi secundùm justitiam placuisset, detecto floccello de capite suo, potiùs in nostra, quàm in vestra sorte manere debuisset.* Innocent. libr. 2. epist. 11. ad Pictavien sem Episcopum, de Canonico sancti Ruffi, qui ad Malleacenses Monachos transierat. *Mandamus quatenus jam dictum Canonicum ad Ecclesiam redire priorem monitione præmissâ per censuram Ecclesiasticam appellatione remotâ compellas, ubi & memorialem cucullam eum deferre facias, & ultimum in Choro manere, ut exemplo ejus alii similia non attentent.* Imò & Monachi professi, si sine licentiâ Abbatis transeant ad aliud Monasterium, si redeant, ultimi in Choro locantur. Anselm. libr. 2. epist. 15. ad Fulconem Abbatem. *Filius vester qui à paternitate vestra inordinatè abierat, penitus ad omnem satisfactionem, secundùm vestrum judicium paratus, humiliter redit, qui non tam postulat, ut illi pœnam quam meruit remittatis, quàm ut vel ultimum illum intra gregem, quem sua culpâ dimiserat, vestrâ misericordiâ constituatis.* Quid & Monachi professi abeuntes Monasterio ad Physicam vel Leges legendas, docendi scilicet causâ, nisi intra duos menses redeant, pro excommunicatis ab omnibus evitandi, & reversi in Choro, capitulo & mensa, & aliis locis regularibus ultimi fratrum locantur. Cap. 3. ne Cleric. vel Monach.

Regradatio ecclesiastica ut depositio initium cœpit è militia. Inter pœnas militares fuit gradûs dejectio L. 3. ff. de re militar. quæ uno verbo regradatio dicitur. L. 2. C. Th. de Curs. public. id est rejectio in infimam militiam. Hieronym. ad Pammach. *Finge aliquem tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum, per singula militiæ equestris officia, ad tyronis vocabulum devolutum.*

Aliud adjungendum est pœnæ Ecclesiasticæ genus, quo Clerici non deponuntur à susceptis Ordinibus, vel rejiciuntur in deteriorem gradum, sed suis Ordinibus defixi, ab altioribus arcentur. Concil. Ilerdens. can. 1. & 5. Syricii epist. 1. Can. 15. Can. de his. Can. hi qui altario. Can. quicumque. 50. dist. Synod. 6. in Trullo, Can. 3. Hos propriâ appellatione ἀποσκότους vocat Basil. ad Amphiloch. can. 69. δεχθήσεται μένων ἀπερίσκοπος. Recipietur non ulteriùs promovendus.

# CAPUT X.

*De excommunicatione. Excommunicatio maxima pœna canonica; quibus de cauſis infligatur. Excommunicatio alia major, alia minor. Excommunicatus à proprio Epiſcopo, non eſt reſtituendus ab alio.*

INTER pœnas canonicas ſummum & noviſſimum locum implet Excommunicatio, quæ eſt remotio à participatione Sacramentorum, & communione fidelium; in pœnis enim canonicis gradatio & ordo ſervatur pro modo & qualitate delicti. Clerici ob leviora delicta ſuſpenduntur; ob graviora, putà, furtum, homicidium, deponuntur; depoſiti ſi incorrigibles exiſtant, excommunicatione plectantur. Can. dictum eſt. 81. diſt. Can. Abbatibus 12. q. 2. cap. Cùm non ab homine, de judic. Hujus pœnæ antiquiſſimus & ſaluberrimus uſus initium cœpit cum ipſa Eccleſiâ. Primùm ſancitus ſacro Chriſti oraculo qui ligandi & ſolvendi poteſtatem Petro & cæteris Apoſtolis tradidit Matth. 16. & auctoritate Pauli, qui eâ poteſtate uſus Corinthium inceſtuoſum anathemate percuſſit. 1. Cor. 5. Himeneum & Alexandrum ſatanæ tradidit. 1. Timoth. 1. Hujus pœnæ uſum non uno loco commemorat Tertull. Apologetic. cap. 39. *Summumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à communione orationis & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur.* Idem de pudicitia. cap. 13. *Illis traditis ſatanæ, id eſt extra Eccleſiam projectis.* Excommunicatio eſt maxima pœna inter canonicas, tum quoad Clericos, tum quoad Laïcos; depoſitionem enim Clerici, ſi depoſitus incorrigibilis ſit, ſequitur excommunicatio, poſt quam non habet Eccleſia ultra quid faciat, d. cap. Cùm non ab homine. Auguſtin. de corrept. & grat. cap. 15. *Corripiantur itaquè à præpoſitis ſuis ſubditi fratres correptionibus de charitate venientibus pro culparum diverſitate diverſis, vel minoribus, vel amplioribus; quia & ipſa quæ damnatio nominatur, quam facit epiſcopale judicium, qua pœna in Eccleſia nulla major eſt, poteſt ſi Deus voluerit, in correctionem ſaluberrimam cedere atque proficere.* Can. corripiantur. 24. quæſt. 3. Excommunicatio eſt major, &

maxima pœna ; reſpondet enim pœnæ capitali. Auguſtin libr. 5. quæſt. in Deuteron. cap. 39. in illud : *Et auferetis malignum ex vobis ipſis. Aſſiduè hoc dicit Scriptura, cùm jubet occidi malos ; quâ locutione uſus eſt etiam Apoſtolus cùm diceret, Auferte malum ex vobis ipſis ; ex quo apparet eum voluiſſe intelligi, qui aliquid tale commiſit, ut excommunicatione ſit dignus, hoc enim nunc agit in Eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Unde excommunicatio dicitur, gladius Eccleſiaſticus, mucro ſpiritualis. Cap. dilecto, de ſentent. excommun. in 6. Hieronym. ad Heliodorum, de laude vitæ ſolitariæ : *Nunc verò inobediens ſpiritali mucrone truncatur aut ejectus de Eccleſia valido dæmonum ore diſcerpitur.* Mucro Epiſcopalis. Joannes VIII. in Can. Viſis 16. quæſt. 2. *Et felici mucrone Epiſcopi ſacerdotum piacula reſecentur,* Gladius ſpiritualis, Cyprian. epiſt. 62. *Spiritali gladio ſuperbi & contumaces necantur, dum de Eccleſiâ ejiciuntur.* Auguſtin. libr. 1. contr. Epiſt. Parmenian. *Propter quid ergo gladium portat qui dictus eſt miniſter Dei, vindex in iram eis qui malè agunt, niſi fortè quemadmodum nonnulli eorum ſanè imperitiſſimi, hoc intelligere ſolent de honoribus eccleſiaſticis dictum eſſe, ut gladius intelligatur vindicta ſpiritalis qui excommunicationem operatur?* Quæ pœna ſit excommunicatio, inde facile colligere eſt, quod excommunicatio in laicis, comparatur depoſitioni in Clericis. Concil. Chalced. Can. 2. καὶ εἴς εἰ μὲν κληρικὸς εἴη τῷ ὀικείῳ ἐκπιπτέτω βαθμῷ, εἰ δὲ λαϊκὸς ἢ μονάζων ἀναθεματιζέσθω. *Si quidem Clericus fuerit proprio gradu decidat : ſi verò laicus, aut monachus, anathematizetur.* Can. Si quis Epiſcopus 1. quæſt. 1. Concil. Carthag. 4. C. 73. *Si laicus eſt excommunicetur, ſi Clericus deponatur.* Can. Qui communicaverit, 11. quæſt. 3. Auguſt. in Enchirid. cap. 80. *Sic noſtris temporibus ita multa mala, etſi non talia in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut pro his non ſolùm excommunicare aliquem laïcum non audeamus, ſed nec Clericum degradare.* Et paſſim excommunicatio & degradatio coæquantur, quaſi pares pœnæ, in diſparibus perſonis. Auguſt. in Brevicul. Collat. cap. 4. *Malos in Eccleſia ſic non eſſe permixtos, ut quamvis debeat vigilare eccleſiaſtica diſciplina, ad eos non ſolùm verbis, ſed etiam excommunicationibus, & degradationibus corripiendos ; tamen non ſolùm in ea latentes neſciantur, ſed plerumque propter pacem veritatis, etiam cogniti tolerentur.* Idem lib. contra Donatiſtas poſt Collat. cap. 19. *Neque enim à populo Dei ſeparamus, quos nec degradando, vel excommunicando, ad humiliorem pœnitendo locum redigimus.*

Excommunicandi jus propriè pertinet ad Epiſcopum. Can.

Nemo 2. quæſt. 1. & d. Can. corripiantur, 23. qu. 4. cap. quærenti, de V. S. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de reformat. cap. 3. Excommunicatio eſt actus juriſdictionis Epiſcopi, cap. Tranſmiſſum, & ibi gloſſ. de Elect. & fœlix mucro Epiſcopi. d. Can. Viſis. Dionyſ. Areopagit. De eccleſiaſt. Hierarch. ἔστω εἰ τὰς ἀφορισικὰς ἔχεσιν οἱ ἱεράρχαι δυνάμεις, ὡς ἐκφαντορικοὶ τῶν θείων. *Sic etiam ſegregandi vim habent Pontifices ut interpretes divinæ juſtitiæ.* Et Auctor Conſtit. Apoſtolicar. lib. 2. cap. 16. ἰδὼν ὃ οὐ τὸ ἡμαρτηκότα πικραναθεὶς κέλευσον αὐτὸν ἐξωβληθῆναι: *Cùm verò deliquiſſe videris, ejici foras jube.* Geſta Concil. Chalced. act. 4. Ἐπισκοποί εἰσι, καὶ ἐξουσίαν ἔχουσι, καὶ ἀφορίσαι, καὶ καθαιρῆσαι, καὶ εἴ τι θέλουσιν ἐξουσίαν ἔχουσι. *Epiſcopi ſunt, poteſtatem habent & excommunicare, & damnare, & quidquid volunt poteſtatem habent.* Inferiores etiam Prælati habent excommunicandi poteſtatem, putà Presbyteri d. Can. Nemo, id eſt Parochi ſeu Plebani, Cap. cùm ab Eccleſiarum, de offic. Judic. ordinar. Abbates & Priores, Cap. cùm in Eccleſiis, de Major. & obedient. Cap. olim. de accuſat. cap. ſicut de Simon. & Decani d. cap. dilecto. cap. Significavit de converſ. conjugat.

Excommunicatio non poteſt irrogari niſi causâ cognitâ, d. can. nemo. can. multi, ead. cauſ. & qu. can. nemo. 11. qu. 3. Gregor. Turonenſ. lib. 5. cap. 14. *Poſt Miſſas autem petiit, ut ei eulogias dare deberemus; quod cùm refutaremus ipſe clamare cœpit, & dicere quod non rectè eum à communione, ſine fratrum convenientia ſuſpenderemus: illo autem hæc dicente cum conſenſu fratris qui præſens erat, conteſtata cauſa canonica, eulogias accepit.* Excommunicatio etiam non poteſt infligi, niſi ob grave, & mortale delictum, Concil. Meldenſ. can. 56. *Quia anathema eſt æternæ mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.* d. can. nemo 11. quæſt. 3. Idem probatur can. nullus. can. certum. ead. cauſ. & qu. & Conſtit. Aurelianenſ. art. 18. Optimè Auguſt. de fide & operib. cap. 19. *Qui autem operantur & cætera eleemoſynis facilè compenſari, tria tamen mortifera eſſe non dubitant excommunicatione punienda, donec pœnitentiâ humiliore ſanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium.* Excommunicatio poteſt injici ob contumaciam, Can. certum. 11. qu. 3. cap. cùm in Eccleſiis. de Major. & obed. cap. tuæ. ut lit. non conteſtat. propter ordinem contumaciæ, ac ne contemnatur diſciplina eccleſiaſtica, can. quiſquis, 2. qu. 6. can. ſi quis deinceps 17. qu. 4. Ob cauſam civilem, putà ob æs alienum per inopiam non ſolutum, non poteſt quiſpiam excommunicari, cap. Odoardus de ſolut. Concil. Trident. ſeſſ. 25. de ref. cap. 3. Ob hujuſmodi cau-

ſam tamen monachos ab officio altaris à ſe ſuſpenſos memorat Arnulfus Lexovienſis Epiſcopus, epiſt. 12. *Studii itaque veſtri ſit intra proximam Pentecoſten ſatisfacere, ſicut in noſtra fuit præſentia conſtitutum; alioquin ex ea die fraternitatem veſtram ab officio altaris noveritis ea qua præeminemus auctoritate ſuſpenſam, &c.* Etſi excommunicationis ſententia non ſit ferenda, niſi ob graviorem cauſam, tamen ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda eſt, id eſt ei deferendum eſt, can. 1. 11. quæſt. 3. nimirum propter religionis cultum. Ideo Theodoſius junior fortè excommunicatus à quopiam Monacho, etſi ab Epiſcopo ei reſponſum eſſet nullam & irritam eſſe excommunicationem, abſtinuit donec à quo ligatus erat, communioni redditus eſſet. Theodoret. lib. 5. cap. 36. Depoſitio eſt pœna Clericorum, excommunicatio laicorum, & monachorum. Conc. Chalc. can. 2. d. can. Si quis Epiſcopus. Socrat. lib. 4. cap. 18. de Monachis Ægyptiis. Αρσήνιος ἄλλως τοὺς νέους πταίσαντας οὐκ ἀφώριζεν, ἀλλὰ τοὺς προκόψαντας λέγων ὅτι ὁ νέος ἀφοριθεὶς, καταφρονητὴς γίνεται, ὁ δὲ προκόψας τὴν οὐκ τοῦ ἀφορισμοῦ ὀδύνης. *Arſenius ex eodem numero adoleſcentulos qui deliquerant, à communione non ſegregavit, ſed eos qui in diſciplina monaſtica profecerant; nam adoleſcentulus, inquit, ſi ſegregetur contemnit; qui autem profecerit, dolorem, quem ex ſegregatione capit, citò perſentiſcit.* Ratio fuit, quia Monachi erant extra Clerum, ante conſtitut. Siricii, can. Monachos 16. quæſt. 1. Jamque tempore Chalcedon. Conc. pauci è Monachis promovebantur in Clericos.

Excommunicatio verò duplex eſt, major & minor; minor eſt quæ ſubmovit à participatione ſacramentorum; major quæ à communione fidelium. Cap. à nobis, de Except. cap. 1. de Sentent. excomm. can. Engeltrudam, 3. qu. 4. quæ anathema dicitur d. can. Engeltrudam. Alibi tamen anathema diſtat ab excommunicatione majori; quia excommunicatio major à fraterna ſocietate ſegregat, anathema abſcindit à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. d. can. Engeltrudam. Anathema eſt æternæ mortis damnatio, d. can. nemo 11. qu. 3. quia qui anathematizatur, traditur ſatanæ, & ſalutis ſpem amittit, niſi pœnitentiam agat. Arnob. in Pſal. 139. *Nam ferro tollitur vita, ut multum quinquaginta annorum; anathematis autem mucrone & vita æterna eripitur, & mors perpetua irrogatur.* Quâ de cauſâ maxima excommunicatio dicitur prolixius anathema, Conc. Ilerdenſ. can.... Can. Hæc hujus 12. qu. 2. Et anathema diſtinguitur ab excommunicatione. Auguſt. de temp. ſerm. 164. *Ubi ſcimus corripimus, objurgamus, anathematiſamus, excommunicamus, & tamen non corrigimus.* Excommunicatio

municatio minùs ſolemnis, irrogatur per ſententiam; Excommunicatio major, ſeu anathema fit ſolemniter, extinctis, & projectis humi facibus. Can. debent 11. qu. 3. Quod variis illuſtratur exemplis, ex Concil. Lemovic. habito anno 1034. Raderic. de geſt. Frideric. libr. 2. cap. 70. Nicephor. Gregor. l. 9. vit. D. Bernard. libr. 2. cap. 6. Matth. Pariſ. ad ann. 1224. Ultra annum inſordeſcens in excommunicatione non auditur, Can. rurſus & ſeq. 11. qu. 3. Privatur omnibus beneficiis, qui eſt ſuſpectus hæreſis, propter contemptum clavium, cap. ult. de pœn. cap. cum bonæ, de ætat & qualit. præfic. Bened. In cap. Rainut. verb. Mortuo itaque teſtatore 1. num. 290. Capell. Toloſ. deciſ. 365. Hoc jure Suevi & Saxones Henricum V. Imper. à Gregorio VII. diris excommunicationibus proſcriptum, per legatos monuere, quòd ſi ante diem anniverſarium ſuâ culpâ excommunicationis vinculo non abſolveretur, ſine ſpe reſtitutionis regno caderet. Lambert. Scafhnaburgenſ. de reb. geſt. German. *Suevi & Saxones legatos ad Regem miſerunt qui ei dicerent: quod ſi ante diem anniverſarium excommunicationis ſuæ, ſuo præſertim vitio excommunicatione non abſolvatur, abſque retractatione in perpetuum cauſa ceciderit, nec legibus deinceps Regnum repetere poſſit, quod legibus ultra adminiſtrare annuam paſſus excommunicationem non poſſit.* Excommunicato beneficium conferri non poteſt. Cap. poſtulaſtis, de Cleric. excomm. miniſtr. Eo nomine depoſitus eſt Elpidius Satalorum Epiſcopus, quod Nectarium quendam cui ob perjurium communione Eccleſiæ interdictum erat, Eccleſiaſtico miniſterio præfeciſſet; quod legibus nefas fuiſſe ait Sozomen. l. 4. cap. 23. κατὰ τοὺς νόμους τῆς ἐκκλησίας. Excommunicatus à proprio, Epiſcopo, non poteſt reſtitui ab alio. Concil. Antioch. can. 6. can. ſi quis à proprio 11. qu. 1. Hoc jure Marcion Ponticus à Patre Epiſcopo excommunicatus ob ſtuprum virginis, pœnitentiâ à Patre non impetratâ Romam profectus, à ſummo Pontifice hocce tulit reſponſum, οὐ δυνάμεθα ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ τιμίου πατρός σου τοῦτο ποιῆσαι. *Nobis injuſſu reverendi patris tui iſtud facere non licet*; ut refert Epiphan. hæreſ. 42. Et quatuor fratres monachi Ægyptii, quibus nomen μάκροι, id eſt longi, à Theophilo Alexandrino excommunicati, ad communionem ſacrorum myſteriorum non recepti, πρὸ διαγνώσεως, *ante cauſæ cognitionem.* Socrat. libr. 6. cap. 9. Et hoc jus in Claramontenſi Synodo habito ſub Urbano II. inſtauratum, nè excommunicatus à ſuo Epiſcopo ab aliis recipiatur. Ivo Carnot. epiſt. 76. *Sic enim antiquitùs eſt inuſtum, & nuper in Arvernenſi Concilio omnium Epiſcoporum*

*qui aderant consensu confirmatum, ut ab uno Episcopo quemlibet pro injuriis ecclesiasticis excommunicatum vicini quoque Episcopi excommunicent.* Inde si excommunicatus à proprio Episcopo questus sit apud Metropolitanum de injusta excommunicatione, non est absolvendus à Metropolitano, sed absolutionis causâ remittendus ad proprium Episcopum. Quod si Episcopus recuset, eum absolvendi jus devolvitur ad Metropolitanum. cap. ad reprimendam de offic. Ordinar. Quod si excommunicatus ab Episcopo suo appellaverit ad Metropolitanum, tunc Metropolitanus debet eum absolvere ad cautelam, nisi malit deferre ordinario. Cap. per tuas. de sentent. excommunicat.

## CAPUT XI.

### *De Variis Excommunicationum generibus.*

POENAE canonicæ augentur vel minuuntur ab Episcopo, pro modo & qualitate delictorum. Basil. ad Amphiloch. can. 54. ἐν ᾗ σῆς συνέσεως ὄντι καὶ τὸ ἰδιώμα ἐν πεισάσεως, ἐπιτείνειν ἐπίτιμα, ἢ καὶ ὑφεῖναι. *Est autem tuæ prudentiæ pro circumstantiæ proprietate pœnas intendere, vel remitttere.* Variæ sunt pœnæ canonicæ singulis etiam levioribus delictis constitutæ, quibus non parcit Ecclesia, ut majoribus occurrat, & coërcitione leviorum criminum tollatur occasio & necessitas epitimii, seu ultionis majorum. Ob graviora delicta irrogatur excommunicatio minor, quæ est submotio à participatione Sacramentorum; vel excommunicatio major, quæ segregat à communione fidelium. Alia est angustior & levior excommunicatio ob leviora delicta, quæ non privat in totum communione Ecclesiæ, sed Episcopum, vel Presbyterum segregat à communione aliarum Ecclesiarum, salvâ communione suæ plebis, suæ Ecclesiæ. Ut si Episcopus vocatus ad Synodum abfuerit, non redditâ apud Primatem, seu Metropolitanum, per litteras quas tractorias vocant, ratione suæ absentiæ, suæ plebis communione jubetur esse contentus. Concil. Carth. 5. can. 10. can. placuit 2. 18. dist. can. 79. Synod. Carth. apud Balsamon. Et si quis alienum Monachum ordinaverit, vel suo monasterio præfecerit, ad suæ plebis communionem redigitur. Ejusd. Conc. can. 13. can. si quis, 58. dist. Synod. Carth. can. 83. apud Balsam.

ejusd. Synod. can. 86. apud Zonar. Hoc ritu Victorem Episcopum hac conditione restitutum, ut solius Diœcesis suæ communione frueretur, refert August. epist. 262. *Clamet alius ejusdem Provinciæ Victor Episcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua & Priscus fuit, nusquam nisi in diœcesi ejus ab alio communicatur; clamet, inquam, aut ubique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui.* Novum hocce genus excommunicationis, καινότερον ἀφορισμὸν vocat Balsamo. in d. can. 79. Synod. Carthag. quod varia hujuscemodi excommunicationis argumenta extarent in Ecclesia Occidentali, quæ complectitur Africanam; verùm in Orientali vix ulla audirentur. Episcopos qui in Conciliabulo Ephesino lapsi erant, suæ diœcesis communione contentos esse voluit Leo 1. epist. 40. ad Anatolium CP. *De fratribus illud quidem, quod præsentibus & agentibus nostris constitutum est approbamus, ut suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti.* Græcos verò & Orientales hujusmodi censurâ vix usos rectè observavit Joann. Morin lib. 2. Exercit. 18. Resecatur & communio, cùm ob contumaciam Episcopus removetur à communione comprovincialium Episcoporum. Concil. Milevit. Can. 24. can. quisquis 2. qu. 6. Synod. Carthag. can. 123. apud Balsamon.

Aliud ab excommunicatione pœnæ genus est, prohibitio à limine, seu ingressu Ecclesiæ, Can. præsenti. 5. qu. 2. cap. Sacro. de sentent. excommunicat. cap. Is cui. eod. tit. in 6. Excommunicatio enim est remotio à communione Ecclesiæ, & Sacramentorum; prohibitio ab ingressu Ecclesiæ est remotio à communione precum, & prohibitio audiendi officia. Hinc in canonicarum pœnarum gradibus privatio ab ingressu Ecclesiæ præcedit excommunicationem. Arnulfus Lexoviens. epist. 45. *Fuerat fortassis primùm ab Episcopali suspendendus officio, ab altaris ministerio prohibendus, à liminibus sequestrandus Ecclesiæ, ut contumax novissimè gladio feriretur.* Et simili modo Eustathius cùm esset Presbyter, primùm à communione precum segregatus, deinde à communione Ecclesiæ. Sozomen. lib. 4. cap. 13. Πρῶτον μὲν ὡς υνίκα Πρεσβύτερος ἦν, προκατεγνώκει αὐτοῦ Εὐλάλιος ὁ πατὴρ καὶ τῶν εὐχῶν ἀφώρισεν, Ἐπίσκοπος ὢν τῆς ἐν Καππαδοκία Εκκλησίας Καισαρείας, μετὰ δὲ τοῦτον ἐν Νεοκαισαρείᾳ τοῦ Πόντου, ὑπὸ συνόδου ἀκοινώνητος ἐγεγόνει. *Eustathius autem accusabatur, primùm quòd cùm esset Presbyter, à Patre Eulalio Episcopo Cæsareæ Cappadociæ condemnatus fuisset, & à precum communione separatus; deinde quòd Neocæsareæ, quod est oppidum Ponti, à Concilio communione Ecclesiæ interdictus.* Alia pœna canonica est multatio suffragii, seu vocis activæ, ut Canonici nondum

ſacris Ordinibus ſaltem Subdiaconatu initiati, non habent vocem in Capitulo. Clem. ut ij qui, de ætat. & qualit. & ord. præfic. Concil. Trident. ſeſſ. 22. de reform. cap. 4. Et Clerici ſeculares ad Præbendas fortè recepti in monaſterio non habent locum vel vocem cum Monachis in Capitulo. cap. ult. de ſtat. Monach. Presbyteri à Meletio ordinati eâ lege admiſſi, ut ſuffragio carerent in electionibus Antiſtitum, ex epiſtola Patrum Nicænorum ad Alexandrinam, & alias Ægypti Eccleſias, quam tradidit Theodoret. lib. 1. cap. 9. τέτοις μὲν μηδεμίαν ἐξουσίαν εἶη τὰς ἀρεσκομένους αὐτοῖς προχειρίζεσθαι. *Ut nulla illis poteſtas ſit eos deſignandi quos viſum fuerit.* Depoſitionem Clericorum ſequitur privatio communionis eccleſiaſticæ, id eſt ſacerdotalis; ſed eis ſalva eſt communio laica, id eſt qualis eſt inter laicos: depoſiti enim Clerici non arcentur à communione laica, ne vindicetur bis in idipſum. Concil. Agathenſ. can. 50. *Si Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſaverit, aut falſum teſtimonium dixerit, ab officii honore depoſitus in monaſterium detrudatur*, & ibi quamdiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat. Can. ſi Epiſcopus, 50. diſt. Siricius ad Himerium, epiſt. 1. cap. 11. *Quiſquis Clericus aut viduam, aut certè ſecundam conjugem duxerit, omni eccleſiaſticæ dignitatis privilegio mox trudetur, laicâ tantùm communione conceſſâ.* Can. Quiſquis, 84. diſt. Baſil. ad Amphiloch. can. 32. Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem dejiciuntur; à laicorum autem communione non arcentur: non enim vindicabis bis in idipſum. Niſi in depoſitione aliud actum ſit, putà ſi Epiſcopus migret de ſua civitate in aliam, deponitur; nec ſalvâ quidem laicâ communione, can. 1. & 2. Sardicenſ. Conc. vel depoſitis reſervatur tantùm communio laica in vitæ exitu. Concil. Martin. Papæ, can. 26. can. Si quis viduam, 50. diſt. Dejiciatur, & in fine vitæ ſuæ laicam communionem tantummodò recipiat. Hoc pacto Thielgaudus Archiepiſcopus Colonienſis, & Gunterius Trevirenſis ob cauſam divortii Lotharii à Thietberga depoſiti, ſalvâ communione laïcâ in vitæ fine. Regino 2. chronic. *Noviſſimè in Italia infirmitate præventi, peregrini & exules moriuntur communione laicali ſibi tantùm conceſſâ*; quod & Sigebertus ad ann. 863. Ebo Rhemenſis Epiſcopus à Sergio Papa depoſitus & redactus ad communionem laicam. Flodoard. lib. 3. Rhemenſ. Hiſtor. cap. 11. *Tum ventilatum eſt qualiter exauctoratus Epiſcopus reſtitui debeat; & quia idem Ebo reſtitutus canonicè non fuerit, inſuper & ab Apoſtolica Sede, Sergio Papâ confirmante electionem illius, damnatus extiterit,*

*ut in laica tantummodo communione maneret.* Pariter & Carolomannus, Caroli Calvi filius, Meldenſis Eccleſiæ Diaconus, depoſitus, & Corbeienſe in monaſterium retruſus, conceſſâ tantùm communione laicâ. Continuator Aimoin. libr. 5. cap. 29. *Quod ſanè ipſi fecerunt, deponentes illum ſecundùm ſacras regulas ab omni gradu eccleſiaſtico, laicâ ſibi communione ſervatâ.*

## CAPUT XII.

### *DE INTERDICTO.*

*Interdictum cenſura eccleſiaſtica. Forma & cauſæ Interdicti. Excepta in Interdicto. Interdicto modus impoſitus.*

CENSURÆ eccleſiaſticæ appellatione continetur, non modò ſuſpenſio, & excommunicatio, de quibus proximè actum eſt, verùm etiam Interdictum, cap. quærenti de V. S. Interdictum eſt cenſura eccleſiaſtica, per quam ſacris interdicitur civitati vel univerſitati, ob crimen & ſcandalum publicum. Cap. quod in te. de pœnitent. cap. ſi ſententia. cap. ſi civitas. cap. alma mater. de ſentent. excommunicat. in 6. Interdictum nihil aliud eſt quàm generalis excommunicatio, quæ indicitur populo vel univerſitati, ut excommunicatio ſingularibus perſonis; unde dicitur Bannus Chriſtianitatis, cap. 2. de purgat. canonic. Interdictum Chriſtianitatis. Matth. Pariſ. ad annum 1163. Ex edicto Henrici II. *Si quis inventus fuerit ferens litteras Domini Papæ, vel mandatum Thomæ Archiepiſcopi continens interdictum Chriſtianitatis in Anglia, capiatur & retineatur donec, &c.* Publicam excommunicationem vocitat Synodus Lemovicenſis habita anno Chriſti 1034. Interdictum non irrogatur ob delictum privatorum, ſed ob atrocius publicum facinus, ut ob nefariam cædem Epiſcopi. Ob necem Prætextati Rothomagenſis Epiſcopi, Rothomagenſi Eccleſiæ ſacris interdictum, Gregor. Tur. libr. 8. cap. 31. *Poſt hæc Leudovaldus Epiſcopus, Epiſtolas per omnes ſacerdotes direxit, & accepto conſilio Eccleſias Rothomagenſes clauſit, ut in his populus ſolemnia divina non ſpectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus auctor ſceleris.* De quo idem libr. 10. cap. 15. & de glor. Confeſſ. cap. 71. Ob violatam immunitatem Eccleſiæ, & ſacerdotii, ob captum per vim, & cuſtodiâ detentum Joannem VIII. Pontificem. Annales Franc.

ad annum 878. *Landbertus Vvitonis filius, & Albertus Bonifacii filius, Romam cum manu valida ingressi sunt, & Joanne Romano Pontifice sub custodia retento, Optimates Romanorum fidelitatem Karlmanno sacramento firmare coëgerunt; quibus inde discedentibus, idem Pontifex domum S. Petri ingressus, omnes thesauros quos ibi repperit, ad Lateranis transtulit, & altare S. Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia ejusdem Ecclesiæ clausit, nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum est: & quod dictu nefas est, omnibus undique illuc orationis causâ venientibus, negabatur introitus, erantque ibi omnia confusa.* Quâ de re Joannes ipse epist. 84. *Nam ipsis diebus nec vestis fuit super altare sancti Petri, nec aliquod ibi nocturnum, vel diurnum officium ex more celebratum.* Ob malos mores antistitum. Audoen. in vit. S. Eligii libr. 2. cap. 21. apud Sur. 1. Dec. *Cùm autem aliquando visitaret diœcesim suam, ut solent Episcopi, quadam ex causa interdixit, ne cursus id est preces Canonicæ, & sacrificium celebraretur in basilica quadam, donec ipse juberet. Erat illic Presbyter quidam sibi malè conscius, ob cujus culpam id fecerat Beatus Episcopus.* Circa annum 870. regnante Carolo Calvo coorta est gravis contentio inter Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, & nepotem cognominem Laudunensem Episcopum, eò maximè, quòd nepos ob suorum Presbyterorum culpam Parochiæ sacris interdixisset. Testem habemus ipsum Hincmarum in Opuscul. 50. Capit. cap. 28. 30. 31. 32. Ob delictum Principis, d. cap. si sententia. quò subditi interdicti tædio, Principem ad meliorem frugem adducerent, vel ipse vocibus populi, moveretur ad resipiscendum. Ut excommunicato Philippo I. ob Bertam uxorem repudiatam, & superductam Bertradem pellicem universo Regno sacris interdictum. Gregor. 7. lib. 2. epist. 5. Willelm. Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. libr. 4. Et pariter Philippo Augusto Rege ob rejectam Ingeburgem conjugem & Mariam pellicem adscitam interdictum missum. Chronic. Altissiod. ad ann. 1200. *Erat in toto regno lugubris Ecclesiæ facies, quia nulla celebrabantur in ecclesiis sacramenta, vel divina Officia, præter viaticum & baptisma; nec modò in Ecclesiis, sed & monasteriis cessatum est à divinis, negabatur mortuis sepultura: erat igitur ubique per regnum mœstitia circumfusa, cùm hic Ecclesiæ silerent organa, & ora canentium Dominum clauderentur.* De quo in cap. 1. de postulat. Prælat. cap. Novit. de offic. legat. cap. Cùm inter. de consuetud. cap. Tuarum. de privileg. Sub eadem tempora Joanne Rege Anglorum excommunicato ob repulsum electum Cantuariensem, vel potiùs ob afflictationem Ecclesiarum & Prælatorum, Regno Angliæ sacris in-

terdictum, de quo præter Mattheum Pariſ. & alios Anglicos ſcriptores, Willelm. Brito VIII. Philippid.

*Organa ſuſpendet, Clerus tacet omnis, ubique*
*Vox à laude Dei, nec ſacramenta, nec ullum*
*Eccleſia officium celebrat, ſeptemque per annos*
*Se paganiſmi fœdat tota Anglia ritu..*

Et ante cùm Henricus II. Rex Anglorum filiorum uxores apud ſe invitas retineret, Alexander III. diem ei dixit, ut intrà certum diem uxores filiis reſtitueret; niſi pareret interminatus eſt ſacrorum omnium interdictionem, his in provinciis in quibus nurus detinerentur. Cap. Non eſt vobis. de ſponſalib. Eccleſiæ Carnotenſi ſacris interdictum, ob graves moleſtias, quas inferebat Eccleſiæ Gaufridus Vicecomes. Fulbert. epiſt. 3. ad Robertum Regem. *Ac tunc quidem ſcripſimus vobis de malis quæ irrogat Eccleſiæ noſtræ Gaufridus Vicecomes, pro quibus tacti dolore cordis intrinſecus jam in tantum mœrorem noſtrum prodidimus, ut ſigna noſtra jocunditatem, & lætitiam ſignificare ſolita, ab intonando deſinere, & triſtitiam noſtram atteſtari quodammodo juſſerimus, officiumque divinum hactenus in Eccleſia noſtra per Dei gratiam cum magna cordis & oris jubilatione celebrari ſolitum, depreſſis modò miſerabiliter vocibus, & penè ſilentio proximis fieri.* Et in Synodo Lemovicenſi habita anno 1034. Odelricus Abbas Monaſterii S. Martialis qui Concilio interfuit, auctor fuit de mittenda publica excommunicatione, (ſic vocabat interdictum) adverſus Principes & majores pagi Lemovicenſis, ſi pacem infringerent. *Niſi de pace acquieverint ligate omnem terram Lemovicenſem publicâ excommunicatione, eo videlicet modo, ut nemo niſi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans à bimatu, & infra, in toto Lemovicino ſepeliatur, nec in alium Epiſcopatum ad ſepeliendum portetur; divinum officium per omnes Eccleſias latenter agatur, ſed baptiſmus petentibus tribuatur.* Eâ ætate in Gallia ſæpius Eccleſiis ſacris interdictum, ob violatam publicam pacem, & ſecuritatem. Eccleſiis interdici, illorum locis qui pacem violabant, à Richerio Arch. Senonenſi petiit Ivo Carnot. epiſt. 50. *Præcipite itaque Stampenſi Archipresbytero, ut vel eos ad ſatisfactionem adducat, vel ipſis excommunicatis, & locis in quibus morantur divinum officium interdicat, ſecundum conſuetudinem pacis.* Belvaci ſuborto Clericorum tumultu adverſus regios miniſtros, ceſſatio à divinis indicta; de quo idem Ivo epiſt. 263. *Ceſſare quidem à divinis juſtè vel injuſtè, quid*

*ad Regem ? exceſſus enim Clericorum ſi contigerit, non eſt vindicandus poteſtate ſeculari, ſed canonico judicio puniendus eſt, & cenſura Epiſcopali.* Interdicto minimè locum eſſe, niſi ubi ſacrilegii vel violatæ pacis ſcelus aliter coërceri nequit, ſcribit idem epiſt. 264. *De divino autem ſervitio à quo mater Belvacenſis Eccleſia ſuſpenſa eſt, conſilium ſanum mihi minimè videtur ; quia iſte rigor alibi minimè ſervandus eſt, niſi ubi culpa ſacrilegii, vel violatæ pacis aliter vindicari non poteſt.* Ob pervaſionem rerum Eccleſiarum frequens interdictum miſſum. A Clericis Carnotenſibus inſtantiùs peti, ut totam per diœceſim ſacris interdiceretur, donec res ablatæ reſtituantur tradit idem Carnotenſ. epiſt. 121. *Poſtulant itaque Clerici ſummâ inſtantiâ, ut in civitate & per totum Epiſcopatum divinum officium interdicam, donec ſua recipiant, quæ injuſtè & præproperè ſibi eſſe ablata reclamant.* Ejuſdem juris varia argumenta occurrunt apud Gregor. VII. libr. 7. epiſt. 16. 18. & aliis locis. Etiam ob diſcordiam patronorum Eccleſiæ ſacris interdici viſum eſt, ſi aliter patroni in concordiam adduci nequeant, nè Eccleſiæ diutiùs vacent. Synod. Tribur. can. 32. quem Gratianus breviavit in Can. Si plures 16. qu. 7. *Si plures hæredes contenderint de communi Eccleſia auferri jubeat Epiſcopus Reliquias ſacras, & Eccleſiam claudi, donec communi conſenſu, & conſilio Epiſcopi, ſtatuant ibi Presbyterum, & unde vivat.* Et hic eſt Canon quem Raymundus verbis pauliſper immutatis repetiit in cap. 2. de jur. patronat. Eadem fuit ſententia Conc. Cabillon. 2. can. 26. cùm voluit ne Eccleſiæ dividantur inter hæredes conditoris ; & ſi in unum Presbyterum convenire non poſſint, ut nullo modo ibi Miſſarum ſolemnia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant. Quem Canonem perperam Gregorio tribuit Gratianus in Can. Conſiderandum, 16. quæſt. 7. & Raymundus nihilo fœliciùs laudat ex Conc. Mediolanenſi in cap. 1. de jur. patronat. Burchardus ex Conc. Mediomatricis, part. 3. decret. cap. 42. quem ſecutus eſt Ivo part. 3. decret. cap. 36. Aliquando etiam interdictum dicitur ob nequitiam populi ſi incorrigibilis ſit. Hoc pœnæ genere uſus eſt Alduinus Lemovicenſis Epiſcopus in plebem protervam & contumacem, de quo Ademarus in chronico nuper edito ad ann. 994. *Sæpè idem Alduinus pro nequitia populi novam obſervantiam conſtituit, ſcil. Eccleſias & monaſteria ceſſare à divino cultu, & ſanctò ſacrificio, & populum quaſi paganum à divinis laudibus ceſſare, & hanc obſervantiam excommunicationem cenſebat.* Quàm ſupinè deceptus ſit Ademarus, quod Alduinum novæ obſervantiæ auctorem credidit, facilè fuit obſervare ex præmiſſis, quibus patuit

hoc

hoc pœnæ genus jam à multis ante sæculis notum fuisse, licèt interdicti nomen sit recentius. Præter hæc luculentum ejusdem censuræ argumentum est Synodus Toletan. 13. habita anno 683. can. 7. *Quicumque Sacerdotum, vel Ministrorum deinceps causâ cujuslibet doloris vel amaritudinis permotus, aut altare divinum, vel vestibus sacratis exuere præsumpserit, aut qualibet aliâ lugubri veste accingi, seu etiam si consueta luminariorum sacrorum obsequia, de templo Dei subtraxerit, vel extingui præceperit, & loci sui dignitate se noverit & honore privari.* In generali interdicto Ecclesiæ clauduntur, officia divina suspenduntur, altaria sacris vestibus denudantur, & cilicio operiuntur in signum luctûs; reliquiæ tolluntur, ut jam probatum est, cruces & reliquiæ Sanctorum spinis accinguntur. Ægid. Aureæ-vallis, in gest. Leodiens. Pontif. de excommunicatione Ducis Brabantiæ. *Decretumque est in ipso Concilio, ut imago Crucis, & Sanctorum reliquiæ spinis circumdatæ, in omni prosternantur Ecclesiâ, totiusque diœcesis organa suspendantur, festiviisque diebus fiat proclamatio pro prædicto scelere.* Interdicti tempore prohibetur etiam ecclesiastica sepultura, id est in cœmeterio Ecclesiæ, d. cap. quod in te, d. cap. Si civitas. Goffrid. Vindocinens. lib. 1. epist. 17. *Nam quis ex divitibus contra interdictum vestrum vult sepeliri, & non sepelitur; pauperibus autem qui culpam non habent, sepultura negatur.* Matth. Paris. in Joann. ad annum 1208. de generali interdicto Angliæ. *Corpora quoque defunctorum de civitatibus & villis efferebantur, & more canum in biviis & fossatis sine orationibus, & Sacerdotum ministeriis sepelicbantur.* In generali interdicto excipitur baptismus parvulorum, & pœnitentia morientium, d. cap. Non est nobis, cap. Responso, de sentent. excommunicat. cap. quoniam, eod. tit. in 6 Excipitur etiam Viaticum, d. cap. quod in re, id est sacra communio, quæ datur transeuntibus, vice Viatici. Matth. Paris. loco modò laudato. *Cessaverunt itaque in Anglia omnia ecclesiastica sacramenta, præter solummodò Confessionem & Viaticum, in ultima necessitate, & baptisma parvulorum.* Constitutione Bonifacii VIII. valdè remissus est interdicti rigor, ex qua tempore interdicti Missæ & alia divina Officia celebrantur, foribus clausis, voce tamen submissâ, non pulsatis campanis, excommunicatis & interdictis amotis. Cap. alma mater, de sentent. excommunicat. in 6. & Pœnitentia permittitur tempore interdicti etiam sanis, d. cap. alma mater. Item sacramentum Confirmationis & chrismatis confectio, Cap. quoniam in baptismo, eod. tit. in 6. Etiam exempti tenentur servare generale interdictum, ita ut eis liceat januis clausis, voce

ſubmiſſa, non pulſatis ſignis Officia divina celebrare, d. Cap. quod in te, d. Cap. alma mater, & Clem. I. de ſentent. excommunicat. & hoc modo adhibito interpreteris velim quod ſcriptum eſt in Chronic. Altiſſiodorenſ. de generali interdicto Galliæ: *Nec modo in Eccleſiis, ſed & monaſteriis ceſſatum eſt à divinis.*

## CAPUT XIII.

### *An detruſio in monaſterium pœnitentiæ cauſâ, ſit pœna canonica.*

UT Canonicas pœnas ſingulos per gradus perſequamur, familiaris Clericorum fuit pœna, detruſio in monaſterium pœnitentiæ cauſâ. Concil. Agathenſ. Can. 50. *Si Epiſcopus, Preſbyter, aut diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſaverit, aut falſum teſtimonium dixerit, ab officii honore depoſitus in monaſterium detrudatur, & ibi quamdiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.* Can. ſi Epiſcopus 50. diſt. Concil. Epaunenſ. can. 22. *Si Presbyter, aut diaconus crimen capitale commiſerit. ab honore depoſitus in monaſterium retrudatur.* Conc. Cabillon. can. 2. 40. *Dictum eſt nobis Presbyteros propter ſuam negligentiam Canonicè degradatos, & ſeculariter gradu amiſſo vivere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere. Unde ſtatuimus ut gradu amiſſo agendæ pœnitentiæ gratiâ, in monaſterium, aut in Canoniam regularem mittantur.* Quem Canonem perperam Concilio Moguntino tribuit Gratianus in Can. dictum eſt 81. diſt. Concil. Aurelian. 3. can. 7. *Si quis Clericus adulteraſſe, aut confeſſus, aut convictus fuerit, depoſitus ab officio, communione conceſſa, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore detrudatur.* Can. Si quis Clericus, ead. diſt. Canones Gallicanos pari diſciplina ſecuti ſunt Hiſpanici. Concil. Tolet. 4. can. 44. *Clerici qui in quacumque ſeditione arma volentes ſumpſerint, aut ſumpſiſſe reperti fuerint, amiſſo ordinis ſui gradu in monaſterium pœnitentiæ tradantur.* Can. Clerici 23. qu. 8. Eadem fuit diſciplina Romanæ Eccleſiæ. Contumelioſus Regienſis Epiſcopus ob adulterium Epiſcopatu depoſitus à Joanne II. Pontifice, & in monaſterium ablegatus. Joannes II. epiſt. 1. ad Cæſarium Arelatenſem, quæ extat tom. 1. Concil. Galliæ. *Sed te ordinante in monaſterio dirigatur, ubi delictorum memor, in pœnitentia lachry-*

*mas effundere non omittat.* Conſtitutione Siricii hæretici reconciliati, minimè recepti ſuis in Ordinibus, ſed in perpetuum deportati in monaſterium. Anaſtaſ. in Siricio. *Ut ſi quis converſus de Manichæis rediret ad Eccleſiam nullatenus communicetur, niſi tantùm relegatione monaſterii diebus vitæ ſuæ teneretur obnoxius.* Idem placuit Conſtitutione Anaſtaſii. Idem in Anaſtaſ. *Multos Cataphrygas in urbe invenit, quos exilio in monaſteriis relegavit.* Conſtitutione Gelaſii itidem Clerici depoſiti ob graviter percuſſum clericum retruduntur in monaſterium. Gelaſ. in can. ult. 55. diſt. *Hoc tamen ſollicitudinis tuæ ſit, ut locum ei pœnitentiæ conſtituas, & in aliquo eum monaſterio retrudas, laicâ tantummodò ſibi communione conceſſa.* Eandem pœnam Preſbyteris inflixit Stephanus II. ob varios caſus, in reſponſis editis anno 754. cùm verſaretur in Gallia. can. 13. *Sub diſtricta pœnitentia, & in monaſterium mittatur.* & can. ſeq. *Et ſub arcta pœnitentia in monaſterio mittendus, ut omnibus diebus vitæ ſuæ in luctu & fletu ſub monaſtico habitu converſetur.* Ejuſdem diſciplinæ ſequax Alexander III. in cap. Clerici, de exceſſ. Prælat. de Clericis ſodomiticis. *Si Clerici fuerint dejiciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiam in monaſteriis detrudantur;* & idem in cap. ſicut dignum. §. ult. de homicid. Clericos conſcios necis B. Thomæ Cantuarienſis, depoſitos in diſtrictiora monaſteria dejiciendos pronunciavit: *Inſuper in diſtricto clauſtro Monachorum, vel Canonicorum regularium, ſi fieri poteſt, ſunt recludendi.* Idem Innoc. III. veteris diſciplinæ tenaciſſimus, in Cap. tuæ diſcretionis, de pœn. de Clericis in latrocinio vel alio graviori ſcelere deprehenſis: *quod à ſuis ordinibus degradati detrudi debeant in arctis monaſteriis ad pœnitentiam peragendam.* Clerici depoſiti nè ſeculariter viverent deinceps, pœnitentiæ cauſâ relegabantur in monaſteria, velut in inſulas. Platina in Chriſtophoro. *In monaſteria tanquam in inſulas, Clerici malè de Eccleſia Dei meriti, tum relegabantur.* Sed hoc pœnæ genus in uſu eſſe deſiit, tum propter repugnantiam monachorum, qui exemptionibus nixi non parebant Epiſcopis Clericos in monaſteria relegantibus: quo factum eſt ut Alexander III. in d. cap. ſicut dignum, Clericos depoſitos in monaſteria deportandos eſſe judicavit ſub hoc modo, *ſi fieri poteſt;* tum quia non erat tuta cuſtodia Clericorum in monaſterio, Cap. ut famæ, de ſentent. excommunicat. Etiam monachi lapſi pœnitentiæ cauſâ in arctiotiora monaſteria transferendi ex Gregor. I. lib. 1. epiſt. 42. lib. 3. epiſt. 9. Can. de lapſis 16. qu. 6. can. ſi qua monacharum 27. qu. 1. Nec hoc pœnæ genus quaſi minùs canonicum rejicien-

dum videtur, quasi deportationi simile, eo colore quod Ecclesia non habet territorium ; quia Clericis depositis detrusio in monasterium non pœnæ causâ infligitur, sed pœnitentiæ causâ, quæ territorium minimè requirit, & pœnæ canonicæ non sunt propriè pœnæ, sed pœnitendi medelæ, & magis beneficia quàm supplicia. Augustin. epist. 159. *Vocatur quidem & ista damnatio ; sed quis non intelligat magis beneficium, quàm supplicium nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahitur.* Can. Circumcelliones 23. qu. 5. Nec Regibus nostris incivile & incongruum visum est id pœnæ Ecclesiasticæ genus : Carlomannus enim Caroli Calvi filius, Meldensis Ecclesiæ Diaconus in Concilio Episcoporum depositus salvâ communione laicâ, & in Corbeiense monasterium traditus, etiam patre annuente, Aimoin. Continuator, lib. 5. cap. 29. Et ante id pœnæ genus etiam à Regibus nostris pœnitentiæ causâ auctoratum, Gregor. Turonens. libr. 5. cap. *His auditis Rex commotus valde, tam equos quàm pueros vel quæcumque habere potuerant abstulit, ipsosque in monasteriis à se longiori accessu dimotis, in quibus pœnitentiam agerent includi præcepit.* Et hoc fuit perpetuum Gallicanæ disciplnæ institutum. Idem lib. 5. cap. 49. *Cum consilio comprovincialium eum in monasterium removeri præcipio.* Chop. de S. Polit. libr. 2. titr. 3. n. 18.

## CAPUT XIV.

### *Detrusio in custodiam perpetuam, vel ad tempus, & reclusio intra muros ; Pœnæ canonicæ.*

INTER pœnas canonicas Clericorum, quarum judicium pertinet ad Episcopum, connumeratur & detrusio in custodiam in perpetuum, vel ad tempus ; ut Clerici ob falsi crimen depositi, perpetuo carceri ut metallo dantur, pane & aquâ doloris animam sustentaturi. Cap. Novimus in fine, de V. S. Chopin, de S. Polit. lib. 2. tit. 3. num. 12. Jure civili carcer non ad pœnam, sed ad reorum custodiam haberi debet. L. aut damnum §. solent. ff. de pœn. l. de his. C. de custod. reor. nisi extra ordinem aliud judicetur. M. Tull. 4. in Catilin. *Vincula verò & ea sempiterna, certè ad singularem pœnam nefarij sceleris inventa sunt.* Jure Pontificio Clerici pœnitentiæ causâ, in perpetuum vel ad

tempus carceri mancipantur. Cap. quamvis, de pœn. in 6. Nec hoc jus Bonifacium auctorem habet, sed ex prisca disciplina initia repetit. Jo. Mosch. in Limonar. cap. 108. de Presbytero per calumniam stupri cum virgine insimulato apud Episcopum : καὶ ὁ Ἐπίσκοπος ἔδωκεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ, ὅπου εἰώθασιν οἱ πλαίοντες κληρικοὶ ἐγκλείεσθαι, καὶ φυλάττεσθαι. *Et Episcopus misit ipsum in carcerem, in quem solebant peccantes Clerici includi & custodiri.* Et Conc. Tur. 2. Can. 40. *Illi verò Archipresbyteri, qui talem cautelam super juniores suos habere noluerint, & non eos habuerint studio destringendi, ab Episcopo suo in civitate retrudantur in cellam, ibique mense integro panem cum aqua manducent.* Episcopos vel Clericos depositos sequebatur quandoque perpetua custodia. Concil. Toletan. ij. can. 6. Can. his à quibus 23. qu. 8. de Clerico qui judicium sanguinis agitavit. *Concessi ordinis honore privetur, & loco sub perpetuo quoque damnationis teneatur ergastulo religatus.* Greg. Tur. lib. 5. cap. 27. *Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum quòd essent rei majestatis & patriæ proditores, quâ de causâ ab Episcopatu discincti in basilicam beati Marcelli sub custodia detrudantur.* Anastas. in Stephano 4. *Sergius verò in monasterium divi Scauri deportatus, & postmodum in cellarium Lateranense deductus.* Insigniter Ivo Carnotens. epist. 162. ad Joannem Aurelianensem Episcopum. *De Presbytero qui in statua fœminea, sacramenta ecclesiastica profanavit, breviter respondeo, quia ut sacrilegus & idololatra judicandus est; quem si tractare vultis secundùm censuram canonicam, oportet ut adhibitis vobis aliis quinque Episcopis, publicè detractis sacerdotalibus indumentis, per singulos eum gradus deponatis, & depositum perpetuo carcere damnetis, aut in æternum exilium detrudatis.* Hæreticorum etiam pœna canonica fuit perpetua custodia, ne soluti & liberi virus in plebem spargerent. cap. pœn. de hæret. Chronic. Normann. ad ann. 1147. *Mira miranda Eudonis pseudoprophetæ & hæretici patrata sunt, qui in Concilio Rhemis damnatus, & in turre Archiepiscopali retrusus, ut malè cœpit, ita deperiit.* Ob hæresim perpetuâ custodiâ damnatus Hugo Præpositus Parisiens. Juvenal. de Ursin. in vita Caroli VI. ad ann. 1381. *Et le condamna-t-on à estre perpetuellement en la fosse, au pain & à l'eau.* Eadem pœnâ affectus Nicol. Dorgemonte Diaconus, & Canonicus Parisiensis ob seditionis facinus. Idem Juvenal. ad ann. 1416. *Et par Sentence fut privé de tous ses Benefices, & estre mene en un tombereau par la ville de Paris, en aucuns carrefours, mitré & condamné en chartre perpetuelle au pain & à l'eau.* Et quod durius est, hæreticorum pœna fuit recluso intra muros. Chronic. Altissiodor.

ad annum 1212. *Congregato igitur Epiſcoporum concilio, aſſidentibus Magiſtris Pariſienſibus, propalantur eorum ineptiæ, omniumque judicio reprobantur, & judicati hæretici exponuntur publicæ poteſtati, ex quibus decem traduntur incendio, reliqui quatuor murali recluſione damnantur.* Cuſtodiæ perpetuæ addebatur damnatio ad panem & aquam. d. cap. Novimus. d. cap. Quamvis. quia pœnæ canonicæ ſunt magis pœnitentiæ, quàm pœnæ cauſâ conſtitutæ, Joan. Gallus. quæſt. 82.

## CAPUT XV.

*Judex Eccleſiaſticus non poteſt Clericos damnare exilio vel ad triremes. An Præpoſitus regularis pœnitentiæ cauſâ, poſſit Monachum mittere Romam ad Generalem Ordinis. Refellitur Fevretius.*

AN Judex Eccleſiaſticus poſſit Clericos damnare exilio, in jure variatum. Clerici enim ob falſi vel calumniæ crimen, vel cædem Cardinalis à Judice eccleſiaſtico deponuntur, & exilio deportantur. Cap. ad audientiam, de crim. falſ. cap. 1. de Calumniator. cap. Fœlicis, de pœn. in 6. Hanc ſententiam ſecutus Ivo Carnotenſ. ep. 162. *Per ſingulos eum gradus deponatis, & depoſitum perpetuo carcere damnetis, aut in æternum exilium detrudatis.* Tamen ſanior ſententia eſt Judici eccleſiaſtico fas non eſſe Clericos deportare in exilium; quia Eccleſia non habet territorium, non habet locum quo deportet exules. Verùm ſi Clerici depoſiti incorrigibiles ſint, exilio deportantur adhibito officio Judicis ſæcularis. Cap. cùm non ab homine, de Judic. cap. 2. de Cleric. excommunic. miniſtr. Et hoc jure in Gallia utimur. Joann. Gallus. quæſt. 82. Chopin, de S. Polit. lib. 2. tit. 3. num. 16. 17. Moribus tamen noſtris Clerici ob hæreſim, vel aliam cauſam damnati ab Epiſcopo, ludibrii cauſâ, traducebantur per vias publicas & fora, & mitella eis ab Epiſcopo imponebatur in veſtibulo Eccleſiæ, ut factum eſt in Nicolao Dorgemonte. Juvenal. de Urſin. ad ann. 1416. ſuprà relatus. Et in Hugone præpoſito Pariſienſi. Idem Juvenal ad ann. 1381. *Et ſeulement au Parvis Noſtre-Dame, fut publiquement preſché, & mitré par l'Eveſque de Paris veſtu en habit pontifical.*

Judex quoque Eccleſiaſticus non poteſt Clericos damnare ad triremes; quia hujuſmodi pœna eſt mors civilis, & ſervitus pœnæ, quæ excedit modum Jurisdictionis Eccleſiaſticæ. Eccleſia non alias habet, quàm pœnas ſpirituales, & incruentas; poſt depoſitionem & excommunicationem Eccleſia non habet ultra quid faciat. Cap. cùm non ab homine, de judic. can. corripiantur 23. qu. 4.

An Præpoſitus Regularis monachum correctionis cauſâ poſſit Romam mittere ad Generalem Ordinis Fevret. libr. 8. cap. 4. num. 11. refert judicatum miſſionem eſſe abuſivam, ne videatur exilium indici, neve Galli peregrino judicio tradantur. Verùm nimis frigida & parum conſentanea eſt ratio. Non infringuntur leges Regni ſi unus è monachis peregrinetur Romam pœnitentiæ vice. 1. Quia regularis diſciplina non tenetur legibus fori; undè à diſciplina & correctione non appellatur, nè juris remedium, à regula exorbitanti patrocinetur. Cap. ad noſtram, de appellat. 2. Peregrinationem Romam vel Hieroſolymam pœnitentiæ causâ indici vetus eſt inſtitutum totius Eccleſiæ conſenſu, tot Regum & Principum autoritate & exemplo auctoratum, ut hodie id genus pœnitentiæ non poſſit reprobari in Monacho. Peregrinationem & militiam transmarinam in pœnitentiam indixit Urbanus II. in Conc. Claramontano, can. 2. *Quicumque pro ſola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Eccleſiam Dei Hieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputabitur.* Cujus Canonis ſententiam his verbis expreſſit Ordericus Vitalis, libr. 9. ad ann. 1095. *Providus verò Papa omnes qui congruè arma ferre poterant ad bellum contra inimicos Dei excivit, & pœnitentes cunctos ex illa hora, quâ Crucem Domini ſumerent, ex authoritate Dei ab omnibus peccatis ſuis abſolvit, & ab omni gravedine quæ fit in jejuniis, aliiſque macerationibus carnis piè relaxavit.* Peregrinationem pœnitentiæ cauſâ Hieroſolymitanam vel Hiſpanicam, impoſuit Innocent. II. in univerſali Concilio can. 18. Can. peſſimam 23. qu. 8. *Pœnitentia autem ei detur, ut Hieroſolymis aut in Hiſpania in ſervitio Dei per annum integrum permaneat.* Totus orbis Chriſtianus id genus pœnitentiæ coluit, probavit; at hodie quia hujuſmodi pœnitentiæ ritus foro diſplicet, pœnitentia explodenda.

## CAPUT XVI.

*Pœnitentia genus pœnæ Eccleſiaſticæ. Pœnitentia duplex; publica, & privata. Pœnitentiæ gradus. Reconciliatio pœnitentium; reconciliationem ſequitur communio.*

INTER pœnas Eccleſiaſticas ſummum locum tenet pœnitentia, id eſt, injunctio pœnitentiæ. Pœnitentias Græci vocant τὰ ἐπιμία, id eſt pœnas, quæ tamen hoc diſtant à pœnis civilibus, quòd magis ſunt remedia, quàm pœnæ, magiſque eò ſpectant ut homines emendentur quàm ut puniantur. Synodus ſeptima, ſeu Nicæna 2. Can. 16. *Αἱ ἐπιμίαι διορθώσωσιν. Per pœnam corrigantur.* Can. omnis 21. quæſt. 4. Pœnitentia nihil aliud eſt quàm pœna ſpiritualis delicti, quæ eumdem habet auctorem, & vindicem. Auguſt. de vera & falſa pœnitent. cap. 19. *Continuè enim dolendum eſt de peccato, quod declarat ipſa dictionis virtus. Pœnitere enim eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando: pœna enim propriè dicitur læſio, quæ punit & vindicat quod quiſque commiſit.* Et idem ante cap. 6. ejuſdem lib. *Pœnitentia enim eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.*

Pœnitentia duplex eſt: publica, & privata. Publica eſt quæ ob publica, & notoria crimina, eaque graviora imponitur per Epiſcopum. Concil. Tolet. can. 2. *Eum verò pœnitentem dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens, ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.* Can. placuit. 50. diſt. Conc. Carth. 3. can. 32. *Cujuſcumque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quòd univerſam commoverit eccleſiam, ante apſidam manus ei imponatur.* Can Preſbyter, & ibi gloſſ. 26. quæſt. 6. Conc. Arelatenſ. 6. can. 26. *Ut qui publico crimine convicti ſunt, rei publicè judicentur, & publicam pœnitentiam agant ſecundùm Canones.*

Pœnitentiæ publicæ ſolemnis, & valdè erubeſcendus fuit ritus, quò pudore pœnitendi, homines removerentur à peccati lubrico, & pœnitentes ipſi aliis exemplo eſſent, ne gravioribus ſe immergerent. Quatuor verò fuere gradus pœnitentiæ; κλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, σύστασις: *Fletus, auditio, ſubſtractio, conſiſtentia*

*sistentia*; quos apprimè distinxit Gregorius Thaumaturgus, qui claruit sub annum 233. epistol. canonic. can. ultim. Pœnitentes per singulos hosce gradus pœnitentiæ quasi justo stadio decurrebant, antequam reconciliarentur. Concil. Arausic. can. 3. *Stent in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.* Can. qui recedunt, 26. quæst. 6. Apertiùs Basilius ad Amphiloch. can. 22. 56. & 57. perennem observantiam horum quatuor pœnitentiæ graduum imponit. Aliquando tamen non servatis gradibus pœnitentiæ, initium ipsius ducebatur à tertio gradu, ut Conc. Nicæn. can. 11. qui sine vi fide lapsi sunt verè & sine fuco pœnitentes inter Audientes locantur; ac inde cæteris emensis gradibus perveniunt ad sacram communionem. Ut Concil. Ancyran. can. 16. tres tantùm pœnitentiæ gradus ponuntur, ubi coëuntes cum brutis animalibus ponuntur inter Substratos, qui sunt in tertio gradu, inde inter Consistentes; nimirum gradus pœnitentiæ servandi essent necnè, erat in potestate Episcopi, ut & tempora pœnitentiæ decernebantur arbitrio Episcopi pro modo delicti. Concil. Carthagin. 3. can. 31. Pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. Augustin. in Enchirid. cap. 65. *Rectè constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippè non remittuntur.* Can. in actione, de pœnit. dist. 1. Constituti in gradu flentium, qui erat primus gradus pœnitentiæ, stabant ejulantes ad fores Ecclesiæ, cilicio tecti, nudipedes, fidelium adventum operiri soliti, quorum genibus provoluti, suffragia precum deposcebant. Thaumaturgus: ὁ πρόσκλαυσις ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου ἐστίν, εὖθα ἑθῶτα τὸν ἁμαρτάνοντα, χρὴ τῶν εἰσιόντων θῆθαι πιστῶν, ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεθαι; *Fletus seu luctus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur.* Hujus gradus pœnitentium squallorem & situm, lachrymas & prostrationes scitè depingit Tert. de pœnitent. cap. 9. *De ipso quoque habitu atque victu mandat sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus Legationes deprecationis suæ injungere.* Et post eum Joan. Chrysostom. Hom. ad Antiochenos: ἤκουσας πῶς ἐστέναξαν οἱ πάλαι μυσταγωγηθέντες, καὶ τὸ στῆθος ἐπέταξαν, τοῦ συνειδότος εὐταῦθα δεινα-

σήσαντες. *Audisti quomodo gemuerunt dudum sacris introducti, & pectus percusserunt eos stimulante conscientia.* Et Cassian. discipulus Chrysostomi, Collat. 18. cap. 15. *Sed cùm duabus fermè hebdomadibus, ita se omni conditione carnis, ac spiritus subjecisset, ut die Sabbathi, vel Dominico, non ad percipiendam communionem sacram, sed ad prosternendum se in limen Ecclesiæ, atque ad veniam suppliciter postulandam matutinus accurreret.* Et hujusce primi pœnitentiæ gradus vestigium observare est in solemni pœnitentiæ ritu, quem posuit Synod. Agathens. can. 9. *In capite quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam, antè fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo civitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantes.*

Pœnitentes secundæ classis erant Audientes, sic dicti quòd unà cum Cathecumenis in eâ parte templi quam νάρθηκα vocant, Catechezim ex ore docentis audiebant, & post Evangelium unà cum his egrediebantur. Thaumaturgus eodem loco : ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης ἐν τῷ νάρθηκι, ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἡμαρτηκότα ἕως τῶν κατηχουμένων, εἶτα ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι. *Auditio est intra portam in loco quem* Narthecen *vocant, ubi oportet eum qui peccavit stare post Cathecumenos, & illinc egredi.* De quo & auctor Constitut. Apostolicar. libr. 2. cap. 39. audientes vocat. Tertullian. de pœnit. cap. 6. *Nemo ergo sibi aduletur, quia inter auditorum tyrocinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat.* Et paulò post : *An alius est intinctis Christus, alius audientibus.* νάρθηξ erat locus in vestibulo templi, in quo pœnitentes post Cathecumenos magistrum docentem audiebant. Cedren. in Justino Jun. καὶ τὰ δύο ἀσκητήρια τὰ πλησίον τῆς ἁγίας εἰρήνης, ἤγουν τὸ μέρος τῆς νάρθηκος αὐτῆς. *Nam duo asceteria propinqua S. Eirenæ, parsque narthecis ejus.*

Tertia statio pœnitentiæ, ὑποπίπωσις, quæ propriè pœnitentium dicitur ; hi quasi jam defæcati stabant intra limina Ecclesiæ, segregati à fidelibus, juxtà ambonem cum Cathecumenis, vel post Cathecumenos, & cum illis egrediebantur, aut post illos. Concil. Laodicen. can. 19. καὶ μὴ τὸ ἐξελθεῖν τοὺς κατηχουμένους τῆς ἐν μετανοίᾳ τάξεως ποιεῖσθαι. *Et postquam exierint Cathecumeni eorum qui pœnitentiam agunt fieri orationem.* Et Concil. Epaunense, can. 29. *In pœnitentum loco stare & orandi humilitatem noverint observandam, ac etiam ipsi cùm Cathecumeni procedere commonentur abscedant.* Quibus convenit Thaumaturgus : ἡ ὑποπίπωσις ἵνα ἑστῶσιν ἔσω τῆς πύλης τοῦ ναοῦ ἰσάμωμος, μὴ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχεται. *Substratio est ut intra templi portam stans, cum Cathemenis egrediatur.*

Poſt Evangelium pœnitentes cum Cathecumenis & Energumenis è templo mitti ſolitos, teſtis Dionyſ. de Eccleſiaſtic. Hierarch. cap. 3. ἐξῆς ὃ δὴ τῶν λειτουργῶν, ἡ τῶν ἀποῤῥήτων βίβλων ἀνάγνωσις ἀκολούθως γίνεται, καὶ μετὰ ταύτας, ἔξω γίνονται δὴ ἱερᾶς πομπῆς οἱ κατηχούμενοι, καὶ σὺν αὐτοῖς οἱ ἐνεργούμενοι, ⁊ οἱ ἐν μετανοίᾳ ὄντες. *Deinde à Diaconis ſacrorum librorum lectio ordine recitatur, & poſteà foras fiunt templi ambitu Cathecumeni, & unà cum eis Energumeni, & pœnitentes.* Pœnitentes in hoc gradu manuum impoſitionem quotidiè recipiebant ab Epiſcopo, Conc. Carthag. 3. Can. 32. d. Can. Presbyter: *Cujuſcumque autem pœnitentis publicum crimen eſt, ante apſidam manus ei imponatur.* Concil. Carthagin. 4. can. 74. can. Sacerdos 26. qu. 7. *Omni autem tempore jejunij, manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur.* Carthagin. 5. can. ij. de pœnitentia Clericorum: *Non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laïcis imponatur.* Nec nuda pœnitentibus fiebat manuum impoſitio reconciliationis causâ. Immò etiam capite tundebantur pœnitentes fuſte vel virgâ. Optat. lib. 1. *Tunc Purpurius ſolitâ malitiâ fretus, quaſi & Cæcilianus filius ſororis ejus eſſet, ſic ait: Exeat huc quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatum, & quaſſetur illi caput de pœnitentia.*

Quarti gradûs pœnitentes jam abſoluti per variam manuum impoſitionem, ſacris intererant in Eccleſia unà cum fidelibus, communionis precum participes. Thaumaturgus: ἡ σύνοδος ἵνα σύνισταται τοῖς πιστοῖς, ⁊ μὴ ἐξέρχηται μετὰ τῶν κατηχουμένων. Conſiſtentia eſt ut cum fidelibus conſiſtat, & cum Cathecumenis non egrediatur. Tandem emenſâ pœnitentiâ reconciliatio pœnitentium per manuum impoſitionem fiebat ab Epiſcopo, feriâ quintâ in Cœna Domini, d. can. in capite. Can. in cœna, de Conſecrat. diſt. 2. Capitul. lib. 7. cap. 143. Hos omnes pœnitentiæ gradus complectitur Tertull. de pudicit. cap. 13. *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens conciliatum & concineratum, cum dedecore, & horrore compoſitum, proſternens in medium, ante viduas, ante Presbyteros, omnium lachrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem, inque eum hominis exitum quantis potes miſericordiæ inlecebris bonus Paſtor, & benedictus Papa concionaris.* Reconciliationem mox ſequebatur ſacra communio. d. can. in Cœna, & hoc eſt quod inſinuat Thaumaturgus, cùm poſt expoſitos gradus pœnitentiæ ſubjungit. τελευταῖον ἡ μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων. *Poſtremò eſt participatio Sacramentorum.* Malè quidam quintum pœnitentiæ gradum ponunt, μέθεξιν, ſeu communionem Euchariſtiæ; pœnitentibus

enim communio non dabatur, niſi peractâ pœnitentiâ, & ſecutâ perfectâ reconciliatione; & ſacra communio non eſt gradus, ſed potiùs ſequela & præmium pœnitentiæ. Auguſtinus vel alius quiſquis eſt auctor, quæſt. utriuſque Teſtam. cap. 102. *Hoc enim volebat ut veniens ad eos pacem haberet, cum communione eorum; nec probatum eſt fornicariis poſt actam pœnitentiam communicandum eſſe; non enim poteſt illis communicari quamdiu agunt; tunc autem communicandum eſt, cùm deſinunt agere judicio Eccleſiæ.*



# ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS VINDICIÆ ADVERSUS CAROLI FEVRETI ET ALIORUM TRACTATUS DE ABUSU.

## LIBER DECIMUS.

*De Majoribus Cauſis.*

## CAPUT PRIMUM.

*Majores Cauſæ reſervatæ Sedi Apoſtolicæ. Congregatio Conciliorum generalium.*

EXPOSITIS his quæ ſunt juriſdictionis Epiſcoporum, Metropolitanorum & Primatum, conſentaneum videtur à nobis quæri de iis quæ ſunt præcipua juriſdictionis Pontificiæ, quæ eſt fons & matrix juriſdictionis Eccleſiaſticæ, id eſt, de majoribus Cauſis, quæ ſunt reſervatæ Sedi Apoſtolicæ. Quædam ſunt cauſæ quæ

dicuntur majores, quæ excedunt modum juriſdictionis Epiſcopalis, & reſervantur Sedi Apoſtolicæ; quales ſunt congregatio Conciliorum generalium, definitio quæſtionum fidei, depoſitio & reſtitutio Epiſcoporum, & aliæ. Julius epiſt. ad Epiſcopos Orientales in cauſa Athanaſii, cap. 30. *Ideo huic ſanctæ Sedi præfata privilegia ſpecialiter ſunt conceſſa, tam de congregandis Conciliis, & judiciis, ac reſtitutionibus Epiſcoporum, quàm & de ſummis Eccleſiarum negotiis, ut ab ea omnes oppreſſi auxilium, & injuſtè damnati reſtitutionem ſumant.* Can. ideo huic, 2. quæſt. 6. Et idem epiſt. ad eoſdem cap. 1. *Dudum à ſanctis Apoſtolis, ſucceſſoribuſque eorum, in antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta, & univerſalis apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari, quoniam ſanctam Romanam Eccleſiam, Primatem omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt. Et ſicut Beatus Petrus Apoſtolus primus fuit omnium Apoſtolorum, ita & Eccleſia ſuo nomine conſecrata Domino inſtituente prima & caput ſit cæterarum; & ad eam quaſi ad matrem atque apicem, omnes majores Eccleſiæ cauſæ, & judicia Epiſcoporum recurrant, &c.* Can. dudum. 3. qu. 6. Et Vigilius in epiſt. ad Eleuther. cap. ult. *Unde omnium appellantium apoſtolicam ſedem Epiſcoporum judicia, & cunctarum majorum negotia cauſarum, eidem ſanctæ Sedi reſervata eſſe liquet; præſertim cum in his omnibus ejus ſemper ſit expectandum conſultum.* Can. qui ſe, ſect. 2. qu. 6. Et Pelagius 2. epiſt. 1. cap. 1. *Majores verò & difficiliores quæſtiones, ut ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, ad Sedem Apoſtolicam ſemper referantur.* Can. Multis. 17. diſt. Præter hos Innocent. III. in Conc. 3. Lateranenſi cap. 35. *Salvis conſtitutionibus de majoribus cauſis ad Sedem Apoſtolicam referendis.* Cap. ut debitus, de appellat. Et idem. in epiſt. ad Arelatenſ. Archiepiſc. *Majores Eccleſiæ cauſas præſertim articulos fidei contingentes ad Petri ſedem referendas.* Cap. Majores, de Baptiſm. Majores cauſas meritò ſibi reſervavit Eccleſia Romana in argumentum dignitatis & poteſtatis; quoniam ipſa eſt mater & caput omnium Eccleſiarum, d. can. dudum. Can. quamvis, 21. diſt. can. aliorum 9. quæſt. 3. Optat. Milevit. libr. 2. *Igitur negare non potes ſcire te in urbe Roma, Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus.* Hieronym. epiſt. ad Damaſum: *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior.* Auguſtin. epiſt. 162. *Romanæ Eccleſiæ in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.* Nec invidioſum quædam eſſe reſervata Sedi Apoſtolicæ, quæ non conceduntur Epiſcopis; quia

Episcopi non molestè ferre debent Pontificem sibi præferri, cùm sint vocati in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Can. qui se scit. 2. qu. 6. Can. Multum. 3. qu. 6.

Una è majoribus causis quæ sunt reservatæ Sedi apostolicæ est congregatio Conciliorum generalium. Canone apostolico, sancitum nè Concilia congregentur, præter Sedis apostolicæ auctoritatem, refert Marcellus P. in epist. ad Episcopos Antiochenæ provinciæ. Hunc canonem instauravit Conc. Nicæn. Can. 20. edit. Alphonsi Pisani, quem laudat Julius d. epist. 1. ad Orientales Episcopos, apud Athanasium apolog. 2. de fuga, ubi integra Julii epistola describitur, & in Can. ideo. 2. qu. 6. can. dudum, 3. qu. 6. & Damas. epist. 4. Hanc ob causam Concilium Antiochenum & Ariminense damnata; quòd sine autoritate Julii & Damasi per ea tempora Romanorum Pontificum collecta essent. Socrat. libr. 2. cap. 5. & 13. Sozom. libr. 3. cap. 9. Theodoret. libr. 2. cap. 22. & Iconomachorum Synodus à Constantino Copronymo collecta, statim explosa, quod sine autoritate Zachariæ tum Rom. Pontificis coacta esset. Quod Stephanum Juniorem impio Imperatori in os affirmasse refert Joan. Damascen. in ejus vit. Ob id etiam Dioscoro Alexandrino Patriarchæ inter alias criminationes in Concilio Chalcedonensi objectum, quòd sine autoritate Sedis apostolicæ Synodum congregare non dubitasset. Synod. Chalced. act. 1. καὶ σύνοδον ἐτόλμησε ποιῆσαι ὄπιξοπῆς, δίχα τῆ ἀποστολικῆ θεόνυ, ὅπερ οὐδέποτε γέγονεν, οὐδὲ ἔξον γενέσθαι. *Et Synodum ausus est facere, sine auctoritate sedis apostolicæ; quod numquam licuit, numquam factum est.* Et ubi Synodus Romana collecta est auctoritate Theodorici Regis in causa Symmachi, non tulere id Episcopi, etsi lævis temporibus, & audacter responderunt fas non esse congregari Concilium ab alio quàm à Romano Pontifice, de quo Ennodius in Libello hac de re scripto. *Novam deinde culpam, & quam investigatio nostra transierat recludistis; quare Papa sine exempli instituto præcedentis Synodum convocavit, ut de criminum ejus objectione cognosceret.* Et paulò post: *Hoccine ergo nullo constabat exemplo, ut sacerdotum Papa Concilium convocaret, cujus arbitrium est collectio Synodalis.* Etiam testimonio ipsorum Imperatorum agnita est potestas Rom. Pontificis in celebrandis Conciliis. Auctoritatem Leonis Papæ invocarunt Valentianus & Martianus ad convocandam Synodum Chalcedonensem, per epist. quæ præfixa est Conc. Chalcedonensi. Concilium igitur non potest celebrari sine auctoritate Romani Pontificis: Et si quod aliter celebretur, non est Concilium sed Conventiculum, & con-

ciliabulum, & quicquid in eo actum est, vacuum & inane habetur, d. can. multis, 17. dist. Imò & Concilia Provincilia non habent vim & robur Conciliorum, donec Pontificiâ auctoritate sancita sint. Can. Concilia ead. dist. Ennod. in Libello proximè laudato. *Post hæc versis in fugam ordinibus, Lymphatici more sermonis addidistis. Ergo Concilia sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia præsentiam Papæ non habent valetudinem perdiderunt. Legite insanissimi, aliquando in illis præter apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & de majoribus negotiis ad collationem præfatæ sedis arbitrio fuisse servatum:* quod confirmat idem auctor subjecto can. 3. Synodi Sardicens. quem describere hic satis otiosum esset.

## CAPUT II.

### *Una è Majoribus Causis est definitio quæstionum Fidei, & judicium de Hæresibus; in dubiis relatio ad sanctum Pontificem.*

INTER Majores Causas, quæ ad Sedem Apostolicam referendæ sunt, proximum locum obtinet definitio quæstionum fidei, & damnatio hæresum. Innocent. I. epist. 26. ad Episcopos Milevitani Concilii. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coëpiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est sui nominis & auctoris referre, veluti nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Can. Quoties, 24. qu. 1. In eamdem Sententiam Gregor. 1. lib. 4. epist. 52. ad Episcopos Galliæ. *Si quam verò contentionem, quod longè faciat divina providentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat examinatâ diligentiùs veritate, relatione suâ ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congruâ sine dubio sententiâ terminari.* Idem Gregorius IV. in epist. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ: *Non novum aliquid præsenti jussione præcipimus, sed illa quæ olim videntur indulta firmamus, cùm nulli dubium sit, quod non solùm pontificalis causatio, sed omnis sanctæ Religionis relatio ad Sedem Apostolicam, quasi ad caput Ecclesiarum debeat referri, & inde normam sumere unde sumpsit exordium*

*dium, ne caput inſtitutionis videatur.* Can. præceptis, 12. diſt. & Innocent. III. in epiſt. ad Archiepiſc. Arelatenſem, unde deſumptum eſt, cap. Majores, de Baptiſm. *Majores*, inquit, *Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas.* Eadem eſt Sententia Patrum Græcorum & Latinorum. In cauſa Arianorum, ſcribendum Epiſcopo urbis Romæ ſenſit Baſil. epiſt. 52. Ἐφάνη ὃ ἡμῖν ἀκόλουθον ἐπιστεῖλαι τῷ Ἐπισκόπῳ Ῥώμης ἐπισκέψασθαι τὰ ἐνταῦθα, καὶ δῦναι γνώμην, &c. *Viſum eſt autem nobis conſentaneum ut ſcribatur Epiſcopo urbis Romæ, ut quæ hic geruntur conſideret, & ſententiam ſuam expromat.* Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus à Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino, in Synodo Epheſina depoſitus quaſi ob hæreſim, provocavit ad Leonem Roman. Pontificem, tamquam proprium & ſummum Judicem cauſarum fidei. Teſtem ipſum habemus, epiſt. 113. & 116. in qua poſtrema maximè commendatur fides Eccleſiæ Romanæ. Ἔχει γὰρ ὁ πανάγιος θεῶνος ἐκεῖνος τῆς καθ' ὅλην Ἐκκλησιῶν τὴν ἡγεμονίαν διὰ πολλὰ, καὶ πρὸ τῆς ἄλλων ἁπάντων, ὅτι αἱρετικῆς μεμένηκε δυσωδίας ἀμύητος, καὶ οὐδεὶς ταναντία φρονῶν εἰς ἐκεῖνον ἐκάθισεν, ἀλλὰ τὴν Ἀποστολικὴν ἀκήρατον διεφύλαξε. *Habet enim ſanctiſſima illa Sedes Eccleſiarum, quæ in toto ſunt orbe, principatum, multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab hæretica tabe immunis manſit, nec ullus contraria ſentiens in illa ſedit; ſed Apoſtolicam gratiam integram conſervavit.* In expoſitione ſymboli fidei, ſi quid emendatione indigeat à Romano Pontifice Petri fidem, & Sedem tenente emendandum agnoſcit Hieronym. ad Damaſum. *Hæc eſt fides, Papa Beatiſſime, quam in Eccleſia catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus, & tenemus, in quâ ſi minus peritè, aut parum cautè forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & ſedem tenes.* Can. hæc eſt fides, 24. quæſt. 1. In dubiis fidei Damaſum conſulendum idem duxit in alia epiſt. ad eumdem. *Ideò mihi cathedram Petri, & fidem apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam; inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, undè olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi.* A Romano Pontifice damnati quotquot inſurrexere hæretici; ab eo damnatum Praxeam refert Tertullian. lib. adverſus eumdem, cap. 1. *Nam idem tunc Epiſcopum Romanum agnoſcentem, jam Prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Eccleſiis eorum adſeverando, & præceſſorum ejus auctoritates defendendo coëgit, & litteras pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare.* Romæ damnati Joviniani errores quos reſtituit. Pelagianos utcumque Concilio Carthaginenſi, &

altero Numidiæ damnatos, nondum apertè ab Eccleſia ſegregatos, donec ſecuta eſſet ſententia Sedis Apoſtolicæ non diffitetur Auguſtin. epiſt 94. *Nova quædam hæreſis*, inquit, *inimica gratiæ Chriſti, contra Eccleſiam Chriſti conatur exurgere; ſed nondum evidenter ab Eccleſia ſeparata eſt.* Eoſdem mox damnatos judicio Sedis Apoſtolicæ obticuiſſe ſcribit idem epiſt. 104. *Nonnulli, quippe eorum, antequam iſta peſtilentia manifeſtiſſimo etiam Sedis Apoſtolicæ judicio damnaretur, nobis innoteſcere potuerunt, quos nunc repentè reticuiſſe perſpicitis.* Inde ſeſe ſecurum de fidei meritis, in Eccleſiæ Romanæ gremio verſari obteſtatur idem Aug. de utilit. credend. cap. 17. *Dubitamus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ uſque ad confeſſionem generis humani, ab apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majeſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit.* Et idem contra epiſt. Manichæi, cap. 3. *Multa ſunt alia, quæ in Eccleſiæ Catholicæ gremio me juſtiſſimè tenent; tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* Neſtorio C P. Epiſcopo, Mariam Virginem Deiparam negante, hac de re tamquam de cauſa fidei ad Celeſtinum Pontificem ſcripſit Cyrillus Alexandrin. epiſt. 9. ὅτι ὁ κὴ Θεὸς ἀπαιτεῖ παρ' ὑμῶν τὸ νηφάλιον ἐν τούτοις, κὴ τὰ μάλιστα τῆς Ἐκκλησιῶν ἔθη πείθεσιν ἀνακοινοῦσθαι τῇ σῇ ὁσιότητι, γεάφω πάλιν ἀναγκαίως, ἐκεῖνο δηλῶν. *Quoniam verò Deus hiſce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut ejuſmodi res ſanctitati tuæ communicentur, non poſſum quod apertum eſt ad pietatem tuam non perſcribere.* Quod igitur ait Ambroſ. epiſt 32. ad Valentinianum Juniorem: *Cauſam fidei agendam in Eccleſia quis abnuat?* unde depromptus eſt can. Convenior. 23. qu. 8. intelligendum eſt de Eccleſia Romana, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, magiſtra fidei & diſciplinæ, & de Apoſtolicæ Sedis Antiſtite, cujus eſt proprium de fide cognoſcere, & lepram à lepra diſtinguere. Nec ſolo judicio Romanorum Pontificum, & aliorum clariorum Præſulum conſtat Romanæ Sedis auctoritas in judicandis his quæ ſunt fidei. Etiam ipſos Imperatores ejuſdem ſententiæ compotes & defenſores habemus. Cunctos populos orbis Romani eam religionem colere, quæ à Petro tradita eſſet, & quam Damaſum ſequi conſtaret, voluit Gratian. in lib. 1. C. de ſumm. Trinit. Hanc fidem tuetur etiam Maximus Tyran-

nus, quam Roma profiteretur in ep. ad Valentin. junior. *Hâc fide gloriatur Roma ipſa venerabilis, cujus etiam in hac parte principatus eſt.* Hac de re in dubiis fidei, vel diſciplinæ, conſulendus eſt ſummus Pontifex tanquam caput Eccleſiæ. Fab. ep. 2. ad Orientales Epiſcopos. *Exigit dilectio veſtra Sedis apoſtolicæ conſulta quæ vobis denegare non poſſumus. Hoc autem & prædeceſſores noſtros multarum regionum Epiſcopis egiſſe liquet, & nos qui in eadem ſede domino largiente collocati ſumus, agere debere fraterna charitas, & obedientiæ debitum compellit.* In dubiis Epiſcopi ſolebant conſulere ſummum Pontificem per relationem, quæ appellatio petita eſt à jure civili. Siricius epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem. *Directa ad deceſſorem noſtrum ſanctæ recordationis Damaſum fraternitatis tuæ relatio, me jam in ſede ipſius conſtitutum invenit; & mox ad ſingula prout Dominus aſpirare dignatus eſt, conſultationi reſponſum competens non negamus.* Et Innocent. I. epiſt. 4. ad Felicem Nucerinum Epiſcopum. *Mirari non poſſumus dilectionem tuam ſequi inſtituta majorum, omniaque quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quaſi ad caput atque ad apicem Epiſcopatus referre, ut conſulta videlicet ſedes apoſtolica ex ipſis rebus dubiis, certum aliquid faciendum pronunciet.* Et hoc eſt quod ait Greg. IV. in d. can. præceptis. *Cùm nulli dubium, ſit quod non ſolum pontificalis cauſatio, ſed omnis ſanctæ religionis relatio ad ſedem apoſtolicam quaſi ad caput eccleſiarum debeat referri.* Inde Hieronymus ep. ad Gerentian. ſcribit ſe Damaſo operam dediſſe, ut Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderet. *Ante annos plurimos cùm in chartis eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ urbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem.* In dubiis Damaſum Pontificem conſuluit Hieronym. teſtis ipſe ep. ad Damaſum. *Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam, inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, unde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi.* Inde tot reſponſa Pontificum ad conſultationes Epiſcoporum; ut Gregorii I. ad conſultationes Auguſtini Anglorum Epiſcopi, Nicolaï I. ad conſultationes Bulgarorum & alia. Et hæ ſunt decretales epiſtolæ, quæ diverſis temporibus à Pontificibus ad conſultationes patrum emiſſæ à Gelaſio ſuſceptæ ſunt. Can. Sancta. §. electo. 15. d. Sic & in dubiis juris civilis magiſtratus conſulebant Principem per relationem. L. inter. §. deportandi. ff. de interdict. & relegat. l. 1. 2. & 3. C. de relat. L. eos §. ſuper his. L. quoniam. L. à Proconſulibus. C. de appellat. Plin. libr. 10. epiſt. 101. ad Trajanum. *Solemne eſt mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre; quis enim poteſt melius vel cunctationem*

*meam regere, vel ignorantiam instruere?* & Augustin. epist. 137. Si illius judicium meo vellem judicio prævenire, quod nec in negotiis secularibus judices faciunt, quando causæ dubitatio ad majorem potestatem refertur, ut pendente relatione aliquid inde audeant commutare. In his etiam quæ pertinent ad damnum vel injuriam sedis apostolicæ consulitur Pontifex; veluti si quis falsum rescriptum sedis apostolicæ proferat, Episcopus super ea re debet consulere summum Pontificem, quidnam ea de re statui velit. Concil. Triburiens. can. 30. *Si verò quilibet sive sit Presbyter sive Diaconus, redarguatur falsam ab Apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid quod inde non convenerit, salvâ fide, & integrâ circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos, apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine, lex Romana statuat definire.* Postea quæ de Pelagio dicta sunt; de quo & Hieronym. libr. 3. adverf. Pelag. init. *Non erubescis explosam, atque damnatam Joviniani sententiam sequi, imò tu illius inventa sectaris, in Oriente docere desiderans, quæ olim Romæ & dudum in Aphrica condemnata sunt.* Origenistas à Theophilo Alexandrino Episcopo damnatos, mox damnavit Anastasius Pontifex, de quo idem Hieronym. ad Pammach. & Marcellam. *Quamquam celebri sermone vulgatum sit, Beatum quoque Papam Anastasium, eodem fervore quia eodem spiritu est, latitantes in foveis suis hæreticos persecutum, ejusque literæ doceant, damnatum in Occidente quod in Oriente damnatum est.*

## CAPUT III.

### *Inter Majores Causas est depositio Episcoporum.*

DEPOSITIO Episcoporum etiam una est è majoribus causis, quæ omnino reservatæ sunt Sedi apostolicæ, ex quodam canone Apostolorum, quem laudat Marcellus epist. 1. ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ, ubi scripsit omnes Ecclesias subjectas esse Ecclesiæ Romanæ ditioni, juxta Apostolorum eorumque successorum sanctiones, mox subjungens: *Simulque iidem inspirante Domino constituerunt, ut nulla Synodus fieret, præter ejusdem*

*ſedis authoritatem, nec ullus Epiſcopus niſi in legitima Synodo, ſuo tempore apoſtolica authoritate convocata. Super quibuſlibet criminibus pulſatus audiatur vel judicetur, quia Epiſcoporum judicia, & ſummarum cauſarum negotia, ſive cuncta dubia apoſtolicæ ſedis authoritate ſunt agenda & finienda.* Ejuſdem meminit Julius I. in epiſt. 1. ad Orientales Epiſcopos. *Dudum à ſanctis Apoſtolis ſucceſſoribuſque eorum, in antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta & univerſalis apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis, Concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari; quoniam ſanctam Romanam Eccleſiam, primam omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt.* Can. Dudum. 3. qu. 6. cujus epiſtolæ pars eſt in can. nullus Epiſcopus. 5. qu. 4. & eadem epiſtola legitur apud Athanaſ. Apolog. 2. de fuga, eundem canonem apoſtolicum inſtauravit Synodus Nicæna, ut teſtantur patres Synodi Alexandrinæ in epiſt. ad Felicem Papam. *Nam ſcimus in Nicæna magna Synodo trecentorum* 18. *Epiſcoporum, ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententiâ Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari, licèt hæc & alia quamplura neceſſaria ab hæreticis, qui nos quotidie infeſtant, & perdere nituntur, ut facilius nos capere poſſint, ſint Synodica capitula incenſa, nobiſque ſublata.* His regulis paſſim Romani Pontifices vetuêre, nè Epiſcopi deponantur abſque ſententiâ ſummi Pontificis. Julius ipſe aliis locis, ut in d. epiſt. 1. *Nullus Epiſcopus niſi in legitima Synodo, & ſuo tempore apoſtolicâ authoritate convocatâ, ſuper quibuſdam criminationibus pulſatus audiatur vel judicetur, vel damnetur.* Can. nullus Epiſcopus. 5. qu. 4. & idem in reſcripto ad Orientales cap. 30. *Ideo huic ſanctæ ſedi præfata privilegia ſpecialiter ſunt conceſſa, tam de congregandis Conciliis, & judiciis, ac reſtitutionibus Epiſcoporum, quam & de ſummis eccleſiarum negotiis, ut ab ea omnes oppreſſi auxilium, & injuſtè damnati reſtitutionem ſumant.* Can. ideo. 2. qu. 6. idem Eleutherius, Sixtus II. Damaſus, Leo I. Vigilius, Gregor. IV. in can. accuſatus. Can. diſcutere. can. quamvis. can. multum. 3. qu. 6. can. decreto. can. qui ſe ſcit. 2. qu. 6. & poſt tot Gregor. VII. lib. 2. epiſt. in dictatu Papæ. *Quod abſque Synodali Conventu poſſit Epiſcopos deponere, & reconciliare.* Quâ religione ſpectata fuerit authoritas Epiſcopi Romani in depoſitione Epiſcoporum multis argumentis & exemplis rerum geſtarum liquidò conſtat. Primum occurrit in depoſitione Pauli Samoſateni Antiocheni Epiſcopi, qui cùm depoſitus ſententiæ parere nollet, ac Epiſcopio recedere, ab Aureliano Imperatore, utcumque ethnico hac de cauſa adito reſcriptum, ut domus Epiſcopalis traderetur, cui

Epiſcopus Romanus juſſiſſet. Euſeb. lib. 7. cap. 24. Ἀλλὰ γὰρ μηδαμῶς ἐκστῆναι τοῦ Παύλου τοῦ τῆς Ἐκκλησίας οἴκου θέλοντος Βασιλεὺς ἐντευχθεὶς Αὐρηλλιανὸς αἰσιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφε, τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν Ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοτεν. *Verùm cùm Paulus ex Epiſcopi domo ejus Eccleſiæ propria exire nollet, Imperator Aurelianus de ea re rogatus ſententiam, ſanctiſſimè quid eſſet agendum decrevit; præcepit enim ut domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Italiæ, & urbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præciperent.* Secundum idque celeberrimum eſt in cauſa Athanaſii Epiſcopi Alexandrini, qui cùm in Pſeudoſynodo Antiochena depoſitus eſſet, ejus depoſitio nulla & irrita dicta eſt à Julio Pontifice, quod ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ tentata eſſet, Socrat. lib. 2. cap. 5. καί τοι κανόνος Ἐκκλισιαστικοῦ κελένοντος μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ Ἐπισκοπου Ῥώμης, τὰς Ἐκκλησίας κανονίζειν: *idque cùm canon Eccleſiaſticus jubeat non oportere abſque ſententia Epiſcopi Romani decreta Eccleſiis ſancire.* Idem Sozomen. lib. 3. cap. 9. qui hunc Canonem diſertè tribuit Concilio Nicæno. Immo Euſebius Nicomedienſis qui fuerat nequiſſimus auctor depoſitionis Athanaſii, ſentiens inane & irritum eſſe omne quod geſtum erat, callidè prævenit Julium Pontificem, & ab eo petiit ut cauſam ad ſe evocaret, non alium quàm Epiſcopum Romanum idoneum rei judicem agnoſcens. Idem Socrat. lib. 2. cap. 9. Εὐσέβιος δὲ ὅσα ἐβούλετο κατεργασάμενος διεπρεσβένετο πρὸς Ἰούλιον τῆς Ῥώμης Ἐπίσκοπον, αὐτὸν κρίτην τῶν κατὰ Ἀθανάσιον γενέσθαι προσκαλῶν, καὶ πρὸς αὐτὸν καλεῖν τὴν δίκην. *Euſebius ſimul atque ea quæ volebat confecerat, legatum ad Julium Epiſcopum Romanum oratum miſit, ut ipſe in cauſa Athanaſii judex eſſe vellet.* Epiſcopi Orientales per id tempus graves ad Julium litteras ſcriptitarunt, quod vacuefacto Concilio Antiocheno ab eo reſtituti eſſent Athanaſius, & Paulus Conſtantinopolitanus; ſed utraque reſtitutio facta à Pontifice valuit, ac damnata Synodus Antiochena, quod contra canonem Eccleſiaſticum coacta eſſet, ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Socr. lib. 2. cap. 11. 13. Tertium ſubit argumentum quod Flavianus Antiochenus Epiſcopus depoſitus à Damaſo Papa, licèt apud Theodoſium gratiâ valeret, ab eo accitus eſt Conſtantinopolim, & Romam proficiſci juſſus ad cauſam dicendam, nec priùs Epiſcopatum tenere potuit, quàm ſummo Pontifici ſe conciliaſſet. Socr. l. 5. c. 15. Theod. l. 5. c. 23. Sozom. lib. 8. cap. 3. Quantum eſt quod à Sixto III. depoſiti ſunt Polychronius Epiſcopus Hieroſolymitanus, & Euſebius Epiſcopus, miſſo ad hoc Leone Archidiacono, qui proximus ejus ſucceſſor

fuit, de quo Nicolaus I. epist. 8. *Hinc Sixtus Apostolicæ sedis antistes Euphemium Episcopum damnasse describitur, nihil aliud in depositione illius objiciens, nisi quod Polychronium Hierosolymitanum Episcopum Pontificem suum accusaverit, & quidem Polychronius à legatis sedis Apostolicæ, eò quòd sedem Hierosolymitanam primam esse mendaciter affirmabat, & per simoniacam hæresim, ordinationes fecisse probatus est, Ecclesiæ privatus est gubernaculis, & urbe rejectus; sed & Euphemius nihilominus, quia hunc præsumptuose, licèt veraciter, accusaverat, damnationi à Synodo subjectus est; & quoniam linguam suam contra sibi prælatum evexerat, anathema suscepit, adeo ut Leo Ecclesiæ Romanæ Diaconus ei diceret: Ex te enim damnaberis, quoniam Pontificem qui te consecravit Coëpiscopum condemnabas & accusabas, &c.* Quintum addere est quod à Nicolao & Hadriano II. rescissa est depositio Ignatii PC. qui injussu Sedis Apostolicæ per legatos mandatum minimè habentes depositus erat, Photio in ejus locum substituto, de quo Nicolaus epist. 5. & aliis, Synod. 8. sub Adriano II. act. 1. Cedren. in Michaelem Imp. & ante Theodoretus Cyrensis Episcopus in Synodo Ephesina depositus, & à Leone I. restitutus, in Concilio Calcedonensi admissus est. Synod. Calced. act. 1. & apud Leonem ipsum epist. 63. Nec non Eusthatius Sebastenus Episcopus ab Arrianis depositus à Liberio restitutus est sedi suæ. Basil. epist. 74. Item à Nicolao restitutus est Rothaldus Suessionensis Episcopus, qui ab Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo & aliis Episcopis depositus erat, post appellationem ab eo interpositam ad Sedem Apostolicam; de quo Nicolaus valde succensuit Hincmaro epist. 41. quæ refertur in can. arguta. 2. qu. 6. Sextum est quod Sanctio Aurelianensis Episcopus ob invasionem Ecclesiæ & simoniam, ab Hugone Lugdunensi Archiepiscopo & Legato Sedis Apostolicæ depositus est, de quo Ivo Carnotens. epist. 54. Pro eo ut depositus maneret, salvo Presbyteratu, intercessit Bernard. Clarevallens. epist. 54. ad Eugenium II. *Sufficit si vestra indulgentia possit retinere Sacerdotem qui Episcopus fuit tantum à nota infamiæ, & perpetuæ inustionis cauterio scuto bonæ voluntatis vestræ obumbretur sibi.* De Eboracensi intruso deponendo ad eundem scripsit Bernard. epist. 238. *Qui locum Petri tenet potest uno ictu extinguere Ananiam, uno Simonem Magum, & ut planius quod loquimur fiat, peremptoriam dare sententiam ad depositionem Episcoporum, solius Romani Pontificis noscitur esse; pro eo nimirum, quod etsi alii multi vocati sunt in partem solicitudinis, solus ipse plenitudinem habeat potestatis.* Tempore Friderici I. Henricus Moguntinus Archiepiscopus per legatos Sedis Apostolicæ depositus

est ob dilapidationem rerum Ecclesiæ. Ab iisdem Episcopatu submotus Burchardus Eistelensis Episcopus ob senium. Otto Frisingens. de gest. Frideric. libr. 2. cap. 9. *At Rex in proximo Pascha Babengerg coronam gestans, duos Cardinales, videlicet Bernardum Presbyterum, & Gregorium Diaconum, ad depositionem quorumdam Episcoporum ab Apostolica sede destinatos secum habuit: proximam dehinc Pentecosten Vormatiæ ferians Henricum Moguntinæ Sedis Archiepiscopum, virum pro distractione Ecclesiæ suæ frequenter correptum, nec correctum per eosdem Cardinales deposuit, &c.* Et mox, *Iidem etiam Cardinales permissu Principis Burckardum Eistelensem senio gravem de inutilitate causantes itidem submovêre.* Septimum mihi addere præstat; quo depositionem Episcoporum propriam esse Sedis Apostolicæ probatur, non modo fide canonum, autoritate rerum gestarum, testimonio Patrum & sacrorum scriptorum, sed etiam miraculis, id est judicio Dei. Anno Christi 1078. in Synodo Londinensi depositus est Wlstanus Wigornienſis Episcopus à Lanfranco Cantuarienſi Archiepiscopo, & Comprovincialibus, jussusque Pontificalia deponere, ad sepulchrum B. Eduardi accedens, tam altè baculum Pastoralem in lapide monumenti defixit, ut nullus præter eum extrahere potuerit: quo miraculo territi Willelmus Senior Rex Anglorum, qui tum rerum potiebatur, & Lanfrancus, enixè eum orarunt ut Episcopatum resumeret. de quo Matth. Westmonaster. ad ann. 1074. Polydor. Vergil. rer. Anglicar. libr. 9. Meritò Depositio Episcoporum reservata est Sedi apostolicæ, tamquam una è majoribus causis, propter apicem dignitatis Episcoporum, quia Episcopi sunt universalis Ecclesiæ, Episcopi sunt præcipua membra Ecclesiæ, quæ non possunt à capite divelli, & nisi depositio Episcoporum sit de majoribus causis, nulla potest referri inter majores causas. Nicolaus epist. 42. ad Episcopos Galliarum de depositione Rothaldi. *Nam quomodo non omnes vobis omnia vindicatis, qui judicia Episcoporum, quæ merito inter majora numerantur negotia, vestræ deliberationi tribuistis, an modicum vobis esse videtur, fratres & Coëpiscopos vestros, præter Apostolicæ Sedis consensum depositioni subjicere: quod si damnationes Episcoporum non inter majora negotia dinumeratis, quorum jam causas inter majora computatis negotia?* & paulò post: *An Episcopi de universali Ecclesia non sunt, ut de illis damnandis per vos aliquid ad unam Petri Sedem deferri non curetur, vel quomodo nil unquam à suo capite dissidet, cùm de adjudicandis præcipuis membris Ecclesiæ*, id est *Episcopis, à capite, id est Sede Apostolicâ dissentitis?* Et mox: *Adhuc tamen percontari propter contentiosos libet, quænam judicia, vel quorum esse majora negotia*

*negotia prædicatis, ſi Epiſcoporum cauſas non inter præcipua computatis negotia: an laïcorum & vulgarium populorum judicia inter majora negotia ponitis, quos penè quotidie cum veſtris, & ſine veſtris Epiſtolis ad diſcutiendos & judicandos ſuſcipimus, & diſcuſſos vel judicatos, vel abſolutos dimittimus?* Adeóque Sedis Apoſtolicæ propria eſt depoſitio & reſtitutio Epiſcoporum, ut etiam reſtitutionem Presbyterorum ſi ſolemniter degradati eſſent, ſui juris fecerint Pontifices, gloſſ. in can. Omnis, 2. qu. 6. Auguſtin. de vera & falſa Pœnitent. cap. 20. *Itaque Pontifex juſtus atque diſcretus non cogitur Sacerdotes ſuos ſemper abjicere, vel mox reſtituere, niſi ſtatutum fuerit à Romano Pontifice.* A Suffraganeis accuſatum Primatem Bizacenum Africæ per Gregorium Pontificem judicari voluit etiam ipſe Imperator Mauritius, non ignorans judicium Epiſcoporum pertinere ad ſummum Pontificem. Teſtis Gregor. lib. 7. ep. 64. indict. 2. *In quodam enim crimine Bizacenus primas fuerat accuſatus, & piiſſimus Imperator, eum juxta ſtatuta canonica per nos voluit judicari.*

## CAPUT IV.

### *Inter Majores Cauſas eſt depoſitio, & reſtitutio Epiſcoporum.*

DEPOSITIO & reſtitutio Epiſcoporum una eſt è majoribus cauſis, quæ reſervantur Sedi Apoſtolicæ, ita ut ſi Epiſcopus deponatur ſententiâ Metropolitani, & Comprovincialium, ab ea liceat appellare ad Sedem Apoſtolicam, nec hujuſmodi cauſa poſſit terminari, abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Can. accuſatus. can. diſcutere. can. quamvis. 3. quæſt. 6. Hoc jure in Gallia jam à melioribus ſeculis Epiſcopi ſede depoſiti ad Sedem Apoſtolicam appellaſſe, & ab ea reſtituti fuiſſe memorantur. Briccius Turonenſis Epiſcopus, & proximus B. Martini ſucceſſor, adverſariorum calumniis, in ſtupri ſuſpicionem adductus, & à plebe ſede ſuâ pulſus, appellavit ad Romanum Pontificem, à quo reſtitutus, Juſtiniano, & poſt eum Armentio interim in ejus locum ordinatis, infœlici fato ſublatis. Gregor. Turonenſ. lib. 2. cap. 1. *Hoc enim ejecto, Juſtinianum in Epiſcopatu conſtituunt, denique Briccius Romanæ urbis Papam expetiit, flens*

*& ejulans, atque dicens, &c.* & mox. *At Briccius Episcopus Romam veniens, cuncta quæ pertulerat Papæ refert, qui ad Sedem Apostolicam residens, plerumque Missarum solemnia celebrans, inibi quicquid in Sanctum Dei deliquerat, deflendo diluit: septimo igitur regressus anno à Roma cum auctoritate Papæ illius Turones redire disponit, &c.* Quod repetit idem lib. 10. cap. 4. Temporibus Guntrani Regis Salonius Ebredunensis, & Sagittarius Vapincensis Episcopi, ob varia crimina depositi in Synodo Lugdunensi, Præside B. Nicetio Lugdunensi Episcopo, & Primate, appellarunt ad Joannem III. Pontificem, & Guntrani gratiâ elicito rescripto à Pontifice indictâ causâ restituti. Idem Turonens. lib. 5. cap. 21. *Quod cùm Rex Guntchramnus comperisset, congregari Synodum apud urbem Lugdunensem jussit, conjunctique Episcopi, cum Patriarcha Nicetio Beato, discussis causis invenerunt eos de his sceleribus quibus accusabantur, valdè convictos, præceperuntque ut qui talia commiserant Episcopatûs honore privarentur. At illi cùm adhuc propitium sibi Regem esse nossent, ad eum accedunt implorantes se injustè remotos, sibique tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis epistolis eos abire permisit: qui accedentes coram Papa Joanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos: ille verò epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui jubet, &c.* Idem Aimoin. lib. 3. cap. 28. Nec non Theugualdus Trevirensis, & Guntherius Colonienſis Archiepiscopi, à Nicolao I. depositi, salvâ communione laicâ, quòd Engeltrudem uxorem Bosonis comitis ob adulterium excommunicatam, suas intra diœceses recepissent, & divortio Lotharii & Thetbergæ calculum præbuissent, & Valtradæ pellicatui occasionem dedissent; de quo Nicolaus epist. 58. cujus particula extat in can. Scelus 2. quæst. 1. Regino 2. Chronic. Annal. Fuldens. ad ann. 863. 870. Sigebert. ad ann. 863. Per eadem tempora Rothaldus Suessionensis Episcopus in Concilio apud Convicinum secus Sylvanectis ab Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi, & quibusdam Episcopis depositus, post appellationem interpositam ad Sedem Apostolicam, aliusque in locum ejus ordinatus, eo colore quòd post appellationem per epistolam Synodi judicio sese subjecisset: verumtamen quia etiam si non appellasset, non fuit deponendus absque auctoritate Sedis Apostolicæ, quòd depositio Episcoporum sit de majoribus causis, quæ omnino pertinent ad Roman. Pontificem, à Nicolao I. restitutus est; de quo Nicolaus ipse, auctoritatis pontificiæ vindex acerrimus multa scripsit, epist. 28. & seqq. præsertim 41. cujus pars extat in can. arguta, 2. qu. 6.

& epiſt. 42. Inter hæc aliquando etiam inconſulto Romano Pontifice Epiſcopi depoſiti leguntur. In Concilio Pariſienſi damnatus & depoſitus eſt Prætextatus Epiſcopus Rothomagenſis, inſtante Chilperico Rege, quem valdè infenſum habebat, ſtimulante Fredegunde Reginâ. Gregor. Turon. lib. 5. cap. 18. & lib. 10. cap. 19. Aimoin. lib. 3. cap. 21. In Synodo Matiſconenſi in triennium ſuſpenſus eſt Epiſcopali ab officio Urſicinus Cadurcenſis Epiſcopus, quòd Gundobaldum dolis ejus deceptus excepiſſet; idem Turon. lib. 8. cap. 20. Sub Childeberto II. Ægidius Rhemenſis Epiſcopus in Concilio Metenſi depoſitus, ob conſilia nefaria inita in necem Regis. Idem Turon. lib. 10. cap. 19. Flodoard. Rhemenſ. Hiſt. lib. 2. cap. 2. imò & Ebbo Epiſcopus Rhemenſ. in Concilio apud Theodonis-villam pariter depoſitus, quòd unus fuiſſet è ſigniferis conſpirationis initæ in Ludovicum P. cum ejus liberis, Aimoin. lib. 5. cap. 16. Flodoard. lib. 2. cap. 19. & lib. 3. cap. 21. & ſeqq. Chronic. Camerac. lib. 1. cap. 41. Sub Hugone Capetio vertente rerum ſtatu, Arnulfus Epiſcopus Rhemenſis in Synodo Rhemenſi, inſtante Capetio Sede ſuâ ſubmotus, ob labem natalium, & in ejus locum ſuffectus Gerbertus, tandem futurus Pontifex nomine Sylveſtri II. ſed hæc omnia manu regiâ geſta ſunt, & in Synodo ad hoc convocatâ per Leonem Abbatem, Sedis Apoſtolicæ Legatum. Arnulfus poſt triennium reſtitutus, & Gerbertus ipſe ſentiens ſe non ritè ordinatum, ultro cathedrâ ceſſit; rem geſtam ſatis diligenter narrat Aimoin. lib. 5. cap. 46. *In illis diebus in Remenſium civitate erat Archiepiſcopus vir bonus, & modeſtus, frater Lotharij Regis ex concubina, nomine Arnulfus. Hugo autem Rex invidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharij Regis, congreganſque in urbe Remenſi Synodum, in eum locum idem Hugo Rex invitavit Archiepiſcopum Senonicæ urbis, nomine Seguinum, cum Suffraganeis ſuis, in quo Concilio fecit degradare dominum Arnulfum Archiepiſcopum Rhemorum, dolo nepotis ſui quem tenebat in carcere, dicens non debere eſſe Epiſcopum natum ex concubina: in loco verò ejus conſecrari fecit domnum Gerbertum Monachum Philoſophum. Venerabilis autem Seguinus Archiepiſcopus non conſenſit in degradationem Arnulfi, neque in ordinationem Gerberti; juſſio autem Regis urgebat, alij verò Epiſcopi licèt inviti, tamen propter timorem Regis degradaverunt Arnulfum, & ordinaverunt Gerbertum. Seguinus autem plus timens Deum quàm terrenum Regem, non modo non conſenſit nequitiæ Regis, ſed magis quantùm potuit eum redarguit, propter quam cauſam ira Regis contra eum efferbuit.* Et paulò poſt: *Nuntiantur hæc omnia Præſuli Romano, qui valdè indignatus ſuper hoc facto, interdixit ſa-*

*cris omnibus Episcopis, qui Arnulfum dejecerant, & Gerbertum ordinaverant; misit quoque Leonem Abbatem à Sede Apostolica, ad dominum Seguinum Archiepiscopum urbis Senoniæ, qui vice suâ in urbem Remensem Synodum congregaret, mandans illi ut sine dilatione revocaret de carcere Arnulfum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterùm in urbe Remensi, ex jussione Apostolici revocatus est Arnulfus de Custodia, & cum honore magno receptus in propria Sede. Gerbertus autem intelligens, quòd injustè pontificalem suscepisset dignitatem, pœnitentiâ ductus est.* Idem Sigebert. ad ann. 996. & Ordéric. Vital. lib. 1. Et si quando depositio Episcoporum sine auctoritate Sedis Apostolicæ facta, dissimulatione ejusdem tolerata legitur : hoc demum pro bono pacis factum velim accipias, vitandi scandali, & sciſſuræ gratiâ, ac ut consuleretur nequitiæ temporum, quæ juris & disciplinæ vigorem non ferebat, juxta consilium Apostoli : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Eph. 5. & Coloss. 4. Imò & hodie depositio Episcoporum velut una è majoribus causis reservata est Sedi Apostolicæ, ita ut dentur judices in partibus, id est in finibus regni, & è Gallicanis Episcopis juxta Concordata, tit. de Causis. Nec servatur Concil. Tridentin. sess. 24. de Reform. cap. 5. quo depositio Episcoporum omnino reservata est summo Pontifici, ita ut dentur judices, litis instruendæ causâ, reservatâ ipsi Pontifici sententiâ diffinitivâ. Nec res caret recentioribus exemplis. Anno Domini 1632. à Legatis Sedis Apostolicæ in partibus damnati sunt nonnulli Episcopi Occitaniæ, ob causas omnibus notas. Anno 1646. æquè à summo Pontifice dati sunt septem judices in partibus, ad retractandam causam depositionis Leonensis Episcopi. Gregor. Tolos. Sintag. lib. 35. cap. 2. num. 67.

## CAPUT V.

### *Inter Majores Causas est Postulatio Prælatorum. Notatio vocis, Postulatio. Quid distet Postulatio ab Electione.*

INTER majores Causas accensenda est etiam postulatio Prælatorum, id est admissio seu approbatio postulationis Episcoporum, quæ reservata est summo Pontifici, cap. Bonæ memoriæ, 1. & 2. cap. Postulationem, de postulat. Prælat. cap. 3. de auctoritate & usu pallii, quia postulatio est de gratia, non de jure d. cap. Postulationem. cap. Gratum, eod. tit. cap. Scriptum, de

elect. cap. Cupientes. §. denique, eod. tit. in 6. & Postulatio requirit plenitudinem Pontificiæ potestatis, putà ubi fit de Episcopo, ut solvatur nexu Ecclesiæ, cui est alligatus. cap. ult. eod. tit. Per electionem & consecrationem contrahitur spirituale conjugium inter Episcopum & Ecclesiam, quod non potest dissolvi sine auctoritate Pontificis, cap. inter corporalia. de translat. Episcop. cap. requisisti, de testament. Idem est ubi postulatur illegitimus ut tollatur vitium natalium, quod sine principali vel Pontificali auctoritate fieri non potest. cap. Per venerabilem. qui filii sint legitim. Ideò cùm Galfredus filius illegitimus Henrici II. Regis Anglorum electus esset in Lincolniensem Episcopum, confirmationem à summo Pontifice petitam scribit Matth. Westmonaster. ad ann. 1182.

Veteribus Grammaticis Postulatio hoc distat à petitione, quod postulatio est juris, petitio gratiæ, Terent. in Andria, *Quod postulo impetro*; & ibi Donatus: *Postulo, justè volo; petimus enim precario, poscimus imperiosè, postulamus jure.* Sed ut sermonis ac nummi usus variat per tempora, sacris Scriptoribus, postulatio est ea pars orationis, quâ precamur pro aliis; Paulus Apostolus 1. Timoth. 2. *Deprecor itaque primò omnium fieri observationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Quem locum interpretans Cassianus, collat. 9. cap. 13. *Tertio loco*, inquit, *ponuntur postulationes, quas pro aliis quoque, dum sumus in fervore spiritus constituti, solemus emittere, vel pro caris scilicet nostris, vel pro totius mundi pace poscentes.* Et ante Ambr. de Sacrament. lib. 6. cap. 5. *Prima ergo oratio laudem debet habere Dei, secunda supplicationem, tertia postulationem.* Et è recentioribus, Bernard. Serm. de quatuor modis orandi: *Accede jam ad postulationes, ut securus tanquam receptus in gratiam Domini, tibi & conservis tuis audeas petere quod oportet.* Hoc sensu Augustin. contr. Maximin. lib. 1. *Tantus est iste Spiritus sanctus, ut sufficiat ubique omnium postulationes suscipere, & advocatione fungi.* Unde factum ut postulationis appellatione veniret nominatio seu petitio in Prælatum, quæ fit apud summum Pontificem, ejus qui eligi non posset, propter nexum aut vinculum alterius Ecclesiæ, quo tenebatur, aut vitium personæ, putà defectum natalium, aut aliud impedimentum: nec incongruè, licèt enim postulatio fiat de gratia respectu summi Pontificis, cujus in mero arbitrio est approbare, vel respuere postulationem; respectu tamen postulantium est de jure, quia est species electionis, cùm vacantibus Ecclesiis liceat providere per viam electionis, vel postulationis. Postulatio hoc distat ab electione,

quòd electio fit de jure, postulatio de gratia & precario aliquo respectu. Electio fit jure ordinario; postulatio extra ordinem, non nisi urgente necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. Concil. Carth. 4. can. 27. Can. Episcopus 7. qu. 1. Innocent. III. Regist. 13. epist. 13. Electio est ejus cui nullum obstat impedimentum; postulatio ejus qui eligi non potest, ut Neophytus, id est Clericus recèns ordinatus, è laico eligi non potest, postulari potest, cap. Neophytus, ex Ambrosio, & can. Osius ex Concilio Sardicens. 61. dist. Idem de eo, qui est in minoribus Ordinibus, vel non legitimæ ætatis, cap. Dudum, de elect. cap. Præterea, de ætat. & qualitat. & ordin. præfic. Idem de Episcopo, propter nexum Ecclesiæ suæ, cap. ultim. de postulat. Prælat. & de Cardinali, quia habet jura Episcopalia in titulo suo, d. cap. Bonæ memoriæ. 2. Idem de illegitimis, cap. innotuit. de elect. Can. Cœnomanensem 56. dist. Hoc etiam interest quod si cum electione concurrat postulatio, duplo major esse debet postulantium numerus, d. cap. bonæ memoriæ. 1. & 2. & d. cap. scriptum. Electio facta à majori & saniori parte Capituli valet, postulatio à duplo majori parte Capituli, id est à duabus partibus Capituli, d. cap. scriptum, Electione publicatâ & subscripta, electores non possunt variare, cap. cùm inter Canonicos, de elect. quia per electionem jus acquiritur. Can. dilectissimi. 8. qu. 2. Postulantes à postulatione recedere possunt, antequam præsentetur Pontifici, d. cap. bonæ memoriæ 2. quia postulatio nullum jus acquirit, cap. pen. de postulat. prælat. Secùs postulantes à postulatione recedere non possunt, postquam præsentata fuerit Pontifici, nè illusio fiat summo Pontifici, d. cap. bonæ memoriæ; illusio enim vitanda, can. quod interrogasti. 27. dist. Clem. unic. de renunc. L. in causæ. ff. de procurat. Hoc commune est quod compromissarii dati ad eligendum, possunt postulare, cap. in causis. de elect. cap. post translationem, de renunciat. quia postulatio est species electionis, Electio & postulatio utraque debet esse pura & certa, non incerta & conditionalis, cap. 2. de Elect. in 6. quia sunt actus legitimi & solennes qui non recipiunt conditionem. L. actus legitimi, de R. J. Item irregularis ut qui non servat interdictum, non potest eligi nec postulari, cap. 1. de postulat. Prælat. cap. postulastis. §. quæsivistis, de Cleric. excommunic. ministr. ideoque electio non potest cumulari cum postulatione, nisi ubi dubitatur an quis sit eligendus vel postulandus, cap. unic. de postulat. in 6. Adeò verò (ut ad institutum redeamus) confirmatio postulationis pendet à summo Pontifice, ut etiam Episcopus invitus

poſſit poſtulari à Pontifice, quemadmodum & invitus Clericus ordinari, quia poſtulatio fit propter utilitatem Eccleſiæ, non favore perſonæ. Quare Henricum III. Regem Anglorum quòd moleſtè ferret Wintonienſem Epiſcopum conſenſiſſe poſtulationi de ſe factæ ad Wintonienſem Epiſcopatum valde notat Matthæus Pariſ. ad ann. 1240. hoc argumento quod etiam invitum poſtulare Pontifici fas fuiſſet. *Quod omnino*, inquit, *diſſonum fuit rationi & Epiſcopali contrarium poſſeſſioni, quia ſi Dominus Papa in virtute obedientiæ id ei præciperet, nullo modo ſi filius eſſet obedientiæ aliquatenus poſſet contradicere.*

## CAPUT VI.

### *Inter majores quoque cauſas eſt Tranſlatio Epiſcoporum.*

TRANSLATIO Epiſcoporum de propria ſede ad aliam, velut una è majoribus cauſis, non poteſt fieri abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Can. mutationes. can. ſicut alterius. can. paſtoralis. 7. qu. 1. duplici ratione: prima eſt quia, ut dixi proximo capite, per conſecrationem contrahitur ſpirituale conjugium inter Epiſcopum & Eccleſiam, quod diſſolvi nequit ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & Epiſcopus qui abjecta Eccleſia ſua, aliam affectat, adulter judicatur, d. Can. ſicut alterius. Ivo Carnotenſ. epiſt. 154. *Quæ enim ratio, quæ lex permittit, ut Rannulfus Dunelmenſis Epiſcopus de Eccleſia alterius Regni, ad aliam Eccleſiam tranſcat, & velut quadam mœchatione præſentiæ ſuæ, vel filiorum ſuorum occupatione Luxovienſem Eccleſiam per violentiam Anglici Regis invadat?* Altera eſt quia tranſlatio Epiſcoporum vetita eſt ex Concil. Nicen. can. 15. 16. Sardicenſ. can. 1. Chalced. can. 5. can. Non oportet. can. Si qui verò. can. Epiſcopum. can. propter eos. 7. qu. 1. cap. 1. de Cleric. non reſident, atque ita non poteſt fieri, ſine diſpenſatione ſummi Pontificis, qui ſolus diſpenſat contra Canones Conciliorum. Cap. Significaſti. de elect. Apud Orientales certè varia occurrunt tranſlationum exempla, ſolâ auctoritate Metropolitani vel Primatis, ac Epiſcoporum Provincialium, non quæſito ſuffragio Sedis Apoſtolicæ. Cùm Gregorius Nazianzenus Epiſcopus auctoritate Concilii Antiocheni, tranſlatus eſſet ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, ad

instaurandam Ecclesiam ab Arianis valde labefactatam, ejus translatio à Constantinopolitano Oecumenico Concilio confirmata : verumtamen post ipsam Synodum cùm advenientes Episcopi Ægyptii de non legitima sedis occupatione turbas cierent, ipse pacis Ecclesiasticæ fovendæ gratia, ultro se abdicavit, editâ priùs eleganti oratione ad 150. Episcopos, quæ inter ejus opera extat, de non affectata Cathedra Constantinopolitana; hac de re Socrat. libr. 5. cap. 8. Niceph. Calliſt. libr. 12. cap. 11. 12. 13. Absque Apostolicæ Sedis auctoritate Eusebius Berytensis Episcopus, inde ad Nicomediensem Episcopatum præter Canonem se transtulit, indeque vitâ functo Alexandro ad Sedem Constantinopolitanam. Theodoret. libr. 1. cap. 19. Clericos Colonienses molestè ferentes Euphronium suum Episcopum, se invitis translatum ad Nicopolitanam Ecclesiam, quæ erat Metropolis, & insusurrantes se provocaturos ad Tribunalia judicum, ut adquiescerent monuit Basil. epist. 292. Et cùm Proclus è Cyzicenâ Sede ad Constantinopolitanam transiisset, nequaquam id visum est novum & insolens, nec res caruit exemplis quæ in medium adducta sunt, de quibus Socrat. libr. 7. cap. 35. 36. Nicephor. Calliſt. lib. 14. cap. 37. 39. Et inter hæc non semel agnita memoratur auctoritas Sedis Apostolicæ : Perigenes Patrensis Episcopus Corinthum translatus ex mandato Romani Episcopi, Socrat. & Calliſt. d. loc. Translationem Procli è Sede Cyzicena ad Constantinopolitanam probavit Cœlestin. 1. epist. Eusebii à quadam parva civitate Apostolicâ auctoritate translati Alexandriam, meminit Antemius in d. can. mutationes, & hujusmodi translationes auctoritate Apostolica faciendas esse scribit Calliſt. 1. in d. Can. sicut alterius. Apud Latinos seriùs receptus usus translationum. Formosum Papam post mortem sepulchro erutum solenniter degradavit Sergius proximus ejus successor; quod dimisso Portuensi Episcopatu, novo exemplo ad Romanam Cathedram se transtulisset, de quo Luitprand. Ticinens. libr. 1. cap. 8. Sigebert ad ann. 912. Abbas Urspergens. in vit. Arnulphi. anno 876. In Synodo Pontigonensi habita auctore Joanne 8. Pontifice, Frotharius Burdegalensis Episcopus, propter infestationem Barbarorum petiit è Burdegalens. Sede se transferri ad Bituricensem. Sed unanimem ab Episcopis repulsam passus est. Continuat. Aimoin libr. 5. cap. 33. *Pridie idus Julii lecta est proclamatio Frotharii Burdegalensis Archiepiscopi, quia non poterat consistere propter infestationem paganorum in civitate sua, ut liceret ei Bituricensem Metropolim occupare; cujus petitionibus unanimitas Episcoporum*

*coporum nullatenus adquievit.* Idem tamen poſtea Caroli Calvi gratiâ tranſlationis munus impetravit à Pontifice ; teſtem habemus ipſum Joannem 8. epiſt. 8. 13. & 37. Tranſlationem Guitmanni Sicenſis ad Magdeburgenſem Metropolim nutu Friderici I. factam damnavit Eugenius III. per Epiſtolam ad Epiſcopos Germaniæ, quam retulit Ottho Friſingenſ. de Geſt. Frideric. libr. 2. cap. 8. *Cùm enim tranſlationes Epiſcoporum ſine manifeſtæ utilitatis, & neceſſitatis indicio, divinæ legis oraculum non permittat ; cùm etiam multò amplior quàm in aliis electionibus, Cleri & populi eas debeat prævenire concordia, in facienda tranſlatione de venerabili fratre veſtro Guitmanno Cicenſi Epiſcopo, nihil horum eſt, ſed ſolus favor Principis expectatur, & nec inſpecta neceſſitate illius Eccleſiæ, nec conſiderata utilitate perſonæ, Clero nolente, imò ut dicitur ex parte maxima reclamante, in Magdeburgenſi eum dicitis Eccleſia ſupplantandum &c.* Non diu poſt tamen ſublato è vivis Eugenio, Anaſtaſius IV. proximus ejus ſucceſſor Friderici inſtantiâ fractus, non modò in Guitmanni tranſlationem conſenſit, verùm etiam abſenti Pallium miſit, non ſine ſcandalo, ut ſubdit idem Friſingenſ. cap. 10. ejuſd. libr. *Verùm Princeps miſſis ad Anaſtaſium cum Guitmanno nunciis, non ſolùm facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit, non ſine quorumdam ſcandalo, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere à proprio ipſorum ore audierant.* Per eadem tempora Roboaldus ex Albenſi Epiſcopatu tranſlatus ad Mediolanenſem, non ſine Apoſtolicæ ſedis auctoritate, quod Mediolanenſium gratiâ conceſſum innuit Bernard. epiſt. 131. ad eos ſcripta. *Si voluiſtis licuiſſe vobis, quod illicitum, niſi pro magna quidem neceſſitate ſacri Canones judicant, tranſlationem Epiſcopi ſcilicet in Archiepiſcopum conceſſum eſt, & ad complementum, pallium præſto eſt plenitudo honoris.* Sic Paſchalem II. velut ſupremum rei arbitrum de transferendo Galone ad Pariſienſem Cathedram è Belvacenſi rogavit Ivo Carnotenſ. epiſt. 144. *De cætero ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicando ſuggerimus, ut Domnum Galonem Coëpiſcopum noſtrum, de Belvacenſi Epiſcopatu, quem propter ſacramentum Domini Ludovici habere non poteſt, per manum Senonenſis Archiepiſcopi transferre jubeatis, in Pariſienſem Epiſcopatum, quem ei gratanter & devotè concedunt pro veſtro amore Rex, & Regis filius.* Eadem de re ſcripſit idem epiſt. 146. ad Daimbertum Senonenſem Archiepiſcopum. *Sed quia tranſlationes Epiſcoporum neceſſitate urgente Metropolitani auctoritate, & ſummi Pontificis diſpenſatione fieri oportet, nos quantùm in nobis eſt eidem electioni aſſenſum præbentes, paternitati veſtræ ſuggerimus, quatenus eidem electioni adſtipu-*

*lando à Domno Papa poſtuletis, ut prædictum Epiſcopum per manum veſtram transferri præcipiat, cùm propriam ſedem obtinere non valeat.* Tandem Romanus Pontifex jus tranſlationis ita ſuum fecit, ut non modò tranſlationes ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ factas irritas habuerit; verùm etiam Patriarchas vel Legatos ipſius Sedis Apoſtolicæ, jus iſtud tentantes gravibus pœnis multaverit. Antiochenum Patriarcham à confirmatione Epiſcoporum ſuſpendit Innocentius III. quod cuidam tranſlationi conſenſiſſet, inconſultâ Sede Apoſtolica, ad quam, ut ait, de jure pertinebat. Cap. 1. de Tranſlat. Epiſc. Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, quia motu proprio præſumpſerat Trojanum Epiſcopum transferre de Trojana Eccleſia ad Panormitanam, graviter reprehendit idem Pontifex, Cap. niſi. de auctor. & uſu Pallii. Cap. niſi. de offic. Legat. Meritò notatur Manaſſes Arelatenſis Archiepiſcopus, quod deſtitutâ ſuâ Eccleſiâ ab Hugone Rege Italiæ, Veronenſem, Tridentinum, & Mantuanum Epiſcopatus unà ſuſcepit, ac inde deſultorio impetu invaſit Eccleſiam Mediolanenſem. Luitprand. libr. 4. cap. 3. Nec invidioſum tranſlationes Epiſcoporum de una Eccleſia ad aliam non fieri ſine auctoritate ſummi Pontificis; nam & milites de numeris ad numeros à Ducibus vel Comitibus transferri non poſſunt ſine juſſu Principis. L. Contra. C. de re militar. libr. 12. Verùm in Gallia Summus Pontifex inconſulto Rege non poteſt Epiſcopum transferre de una ſede ad aliam. Rebuff. in Concord. tit. de Regia ad prælatur. nominat. §. 1.

## CAPUT VII.

*Inter majores cauſas eſt erectio, unio, diviſio, tranſlatio, & ſuppreſſio Sedium Epiſcopalium, non ſine conſenſu Principis. Ejuſdem juris eſt fundatio Eccleſiarum Collegiatarum & Monaſteriorum; Creatio novarum dignitatum, & Canonicatuum ad effectum.*

LAtiùs per univerſum orbem ſuos palmites producente fide Chriſtianâ, vicinioribus Metropolitis impenſius ſtudium fuit Epiſcopatus propagare, & Epiſcopos inſtituere; qui novellas

fidei propagines excolerent, vix expectato ſummi Pontificis nutu, ob moræ diſcrimen, & ferventis zeli impatientiam. Sic Phædimus Amaſeæ Metropolitanus, Neocæſareæ Urbi, in quâ non amplior erat numerus, quàm decem & ſeptem fidelium, Gregorium Thaumaturgum primarium dedit Epiſcopum, & verbo abſentem conſecravit citra manuum impoſitionem, auctore Gregorio Nyſſeno in ejus vit. Ad Sarracenorum converſionem Moſes ex Aſceta deſignatus Epiſcopus, & ab Epiſcopis Alexandrinæ Diœceſeos ordinatus, repulſo Lucio Pſeudopatriarcha Alexandrino, ut tradunt Socrat. libr. 4. cap. 29. Theodoret. libr. 4. cap. 21. Nicephor. Calliſt. libr. 11. cap. 47. Diviſâ duas in Provincias Cappadociâ à Valente, Baſilius Cæſarienſis Metropolitanus, ut Metropoli illatum vulnus aliquo pacto curaret, Saſimorum Eccleſiam erexit in Epiſcopalem, & Gregorium Nazianzenum impoſuit, ut refert ipſe Nazianz. orat. 20. & in Carmin. de vita ſua, & Gregor. Presbyter in ipſius vita. In Africâ laborante Eccleſia hæreticorum colluvie, quia ſæpius contingebat, ut plebes quæ ante proprium Epiſcopum non habuerant, ſibi Epiſcopum dari poſtularent, vel proprio ſtudio, vel Presbyterorum ambitione, unde oriebatur fœda Eccleſiarum perturbatio, novarum ſedium Epiſcopalium inſtitutionem ad plenarium Concilium, id eſt Provinciale cum Metropolitano deferri placuit. Conc. African. can. 65. in Codic. Canon. Eccleſ. Africanæ. *Placuit & illud ut plebes quæ numquam habuerunt proprios Epiſcopos, niſi ex Concilio plenario uniuſcujuſque Provinciæ, & Primatis, atque conſenſu ejus ad cujus Diœceſim eadem Eccleſia pertinebat, decretum fuerit, minimè accipiant.* Conſenſum proprii Epiſcopi è cujus diœceſi delibatio fieret, requirit idem Concil. can. 20. *Multis Conciliis hoc ſtatutum eſt à cœtu ſacerdotali, ut plebes quæ in Diœceſibus ab Epiſcopis retinentur, quæ Epiſcopos numquam habuerunt, nonniſi cum voluntate ejus Epiſcopi, à quo tenentur, proprios accipiant rectores.* Can. multis 16. qu. 1. idem Concil. Carth. can. 46. *Audivimus conſtitutum ut Diœceſes non mereantur Epiſcopum accipere, niſi cum conſenſu ejus ſub quo fuerint conſtitutæ.* Idem Synod. Carthag. can. 57. apud Balſamon. Labente ævo, rebus meliùs compoſitis, ſummi Pontifices ſedium Epiſcopalium inſtitutionem veluti unam è majoribus cauſis ad ſe revocarunt. Laudunenſem quidem Epiſcopatum, à ſuo ſinu, id eſt propria ſede avulſum, inſtituit Remigius Rhemenſis Epiſcopus, & Genebaldum primum dedit Epiſcopum, auctore Hincmaro in vita Remigii apud Sur. 13. Jan. & opuſcul. 50. capit. c. 6. & 16. Sed auctoritate apoſtolica id factum nemo eſt qui du-

bitet, cùm ex mandato Hormisdæ P. esset Vicarius sedis Apostolicæ in finibus regni Clodovei ut patet ex Epist. Hormisdæ. Trajectensem Episcopatum instituit Wilebrodus primus Frisiorum Episcopus, sed auctore Pontifice, tanquam Legatus sc. Sergii I. Pontificis, ex Sigeberto ad ann. Chr. 697. Beda libr. 5. Hist. Anglor. cap. 12. Bonifac. epist. 97. Episcopatus quamplures in Germania instituit & Bonifacius Episcopus Moguntinus, at non sine auctoritate Gregorii III. ut Legatus sedis Apostolicæ in Germaniâ, ut liquet ex ejus epist. 1. ad Bonifacium. *Præcipimus*, inquit, *ut juxta sacrorum Canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis debeatis ordinare Episcopos.* Can. præcipimus. 16. qu. 1. quâ de re Bonifacius ipse epist. 132. & 142. Imò & Episcopatus in Germania constitutos à Bonifacio, instante ipso confirmavit Zacharias P. epist. 2. ad Vittam. *Flagitavit autem à nobis pro suis syllabis jam dictus sanctissimus vir, per Apostolicam auctoritatem vestras confirmari sedes; pro quo & nos ardenti animo & divino juvamine, ac auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis confirmamus, atque solidas permanere vestras Episcopales sedes sancimus, &c.* Etiam unio Ecclesiarum propter varias clades civitatum à Metropolitanis quandoque facta est sine auctoritate summi Pontificis. Noviomensis & Tornacensis Ecclesiæ unitæ consensu Remigii Rhemensis Metropolitani & Provincialium, Clodovei Regis & utriusque plebis, & utrique præpositus est Medardus, auctore Fortunato in ejus vit. apud Surium 8. Junii, quæ unio duravit ad tempora usque Eugenii III. à quo dissolutâ unione, Tornacensis Ecclesia proprium recepit Episcopum. Sigebert. ad ann. 535. *Porrò, Sanctus Medardus sedem Episcopalem, quæ prius erat Liermandus* (l. Veromanduis) *propter ejusdem subversionem transtulit Noviomum; ipse etiam post decessum sancti Eleutherii Tornacensis Episcopi, regendam suscepit Tornacensem Ecclesiam, & post eum successores ejus annis multis, usque ad tempus Eugenii Papæ tertii, & demum Simonis Episcopi, qui obiit anno Domini* 1148. & Robert. Montens. in supplem. Sigebert. ad ann. 1146. *Ecclesia Tornacensis quæ per annos circiter* 600. *à tempore Beati Medardi sub Episcopo Noviomensi sine proprio fuerat sacerdote, hoc anno proprium Episcopum cœpit habere, Anshelmo Abbate sancti Vincentii Laudunensis à Papa Eugenio Romæ consecrato, & eidem civitati in Episcopum destinato.* Cameracensem & Atrebatensem Ecclesias propter hostilem vastitatem utriusque univit B. Vedastus, Baldric. Noviom. Chronic. Camerac. libr. 1. cap. 5. *Has duas sedes Beatus Vedastus, quia post tot infestationes plurimùm vastatas reperit, sub uno regimine cohibuit:*

Poſtea vindicata auctoritate Pontificia, non abſque ea factæ uniones Eccleſiarum Epiſcopalium. A Nicolao I. unita eſt Bremenſis Eccleſia Hamburgenſi, ita ut extincto titulo Bremenſis Eccleſiæ, ſolus titulus Hamburgenſis permaneret; de quo Adamus Bremenſ. Hiſt. Eccleſiaſticæ. libr. 1. cap. 17. Albert. Strantz. Metropol. libr. 1. cap. 26. 27. & 28. Et pariter tranſlatio Sedium Epiſcopalium ſola auctoritate Sedis Apoſtolicæ facta eſt, Can. Temporis. 7. qu. 1. Can. & temporis 16. qu. 1. can. poſtquam. Tandem, Epiſcopatuum inſtitutionem, diviſionem, unionem & tranſlationem, velut majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam penitus ſpectare ſtatuit Gregor. VII. ſacro edicto ſeu dictatu libr. 2. poſt epiſt. 55. *Quod ſolus Romanus Pontifex jure dicatur univerſalis, &c.* & mox: *Quod illi ſoli licet pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & è contra divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire.* De unione Epiſcopatuum idem Cœleſtin. III. in cap. ſicut unire, de exceſſ. Prælat. *Sicut unire Epiſcopatus atque poteſtati ſubjicere alienæ, ad ſummum Pontificem pertinere dignoſcitur, ita Epiſcopi eſt Eccleſiarum ſuæ Diœceſis unio, & ſubjectio earumdem.* In hanc ſententiam conſenſere Ivo Carnot. ep. 238. ad Paſchalem 2. de tuenda unione Noviomenſis & Tornacenſis Epiſcopatus. *Nec in hoc reſiſtimus*, inquit, *quin poſſit Sedes Apoſtolica Parochiarum amplitudinem minorare, aut brevitatem dilatare, ſi utilitas populi Dei ita exigat, & nullum inde ſchiſma contingat:* Et Bernard. Claræ-vallenſ. epiſt. 131. ad Mediolanenſes: *Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas orbis Eccleſias, ſingulari prærogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt: qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; poteſt ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopatus ubi hactenus non fuerunt; poteſt eos qui ſunt alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit, ita ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è converſo ſi neceſſe viſum fuerit.* Eccleſiarum quidem ſtatum ſæpius conturbatum à Principibus rerum novarum ſtudioſis ſcimus. Duas in Provincias ſecta Cappadocia, iniquiore Valentis odio in Baſilium, Cæſareæ adjecta Tyana Metropoli, ut conſtat ex Baſilio epiſt. 248. 259. 379. Nazianzeno orat. 20. & Gregorio Presbytero in vita ipſius Nazianz. Inde cùm paſſim variaret ſtatus Provinciarum, Innoc. I. epiſt. ad Alexandrum Antiochenum edixit, mutatione Provinciarum à Principe facta, non tentari quoad Eccleſiam ſtatum Provinciarum, Can. lege 10. diſt. Acceſſit Can. 12. Concil. Chalcedonenſ. quo perpetua lex dicta nè provincia ſcinderetur in duas, neve alter Metropolitanus in eadem Provincia per Pragmati-

cam, id est rescriptum Principis assurgeret. Can. Pervenit. 101. dist.

Ad Sedem Apostolicam pertinet etiam suppressio seu extinctio Ecclesiarum Episcopalium, Can. ita nos. 25. qu. 2. Hæc omnia tanquam de majoribus causis pertinent ad Romanum Pontificem, sed non sine consensu Principis cujus in ditione sitæ sunt Ecclesiæ. Noviomensem, & Tornacensem Episcopatum à Medardo unitos expetito consensu Regis modò observatum. De jure Dolensis Metropolis, de quo lis erat inter Turonensem & Dolensem Episcopos, non ante quæsitum iri scripsit Nicolaus I. in Can. hæc quippe 3. qu. 6. quàm reformata pace inter Carolum Calvum, & Salomonem Ducem Britonum; hoc argumento aperte innuens his in rebus desiderari consensum Principis. Quare multis post seculis nondum finita lite, audita est Philippi querela apud Lucium III. ex Stephano Tornacens. epist. 125. & 129. *Contra Turonensem Ecclesiam quæ nostra est, erigere conatur Apostolica Sedes in Britannia minore Dolensem Archiepiscopum & integritatem regni nostri, quæ temporibus Patrum nostrorum illæsa perstitit, lædere, minuere, detruncare; hæc sunt beneficia meritorum regni nostri, &c.* Ubi quæsitum est de dissolvenda unione Glasconiensis Ecclesiæ, quæ Bathonienſi unita erat à Celestino III. consensum regium interceſſiſſe indicat Innocent. III. cap. novit. ne sed. vacant. his verbis: *Cùm & Bathonienſis Ecclesia id ipsum pariter postularet, Rex quoque cum regni magnatibus, & quidem Episcopi cum multis Abbatibus deposcerent illud idem, ut unione penitus dissoluta, monasterium vestrum reduceremus in statum antiquum, sub Abbatis regimine gubernandum.* Nec invidiosum Regis consensum expeti his in rebus; cùm enim universæ Ecclesiæ sint in Mundeburde & patrocinio Regis, non debet iniquiori jure censeri quàm Patronus privatus, sine cujus consensu non mutatur status Ecclesiæ cap. suggestum de jur. Patronat. cap. dilecta, de excessib. Prælat. Joan. Sarisber. epist. 126. ad Alexandr. III. *Præsertim cùm non assentiente, ne dum reluctante fundatore, status Ecclesiæ mutari non possit, aut subjici servituti.* De cætero Ecclesiarum Episcopalium erectio, unio, divisio, translatio, ita propria est Summi Pontificis, velut una è majoribus causis, ut à Legato Sedis Apostolicæ fieri non possit sine mandato speciali. Cap. Quod translatione, de Offic. Legat. & ibi gloss. Ad solum Summum Pontificem pertinet etiam erectio Ecclesiæ in Collegiatam, & fundatio Monasterii, Cap. unic. §. fin. de Religios. Domib. in 6. Cap. unic. de excess. Prælat. eodem. Ecclesiam Collegiatam de Wlrehanisen. Cestrensis Diœcesis, ob disciplinæ & morum corru-

ptelam, in Cœnobium Cistercienſis Ordinis, de aſſenſu Regis & Archiepiſcopi Cantuarienſis, & auctoritate Innocentii III. commutari curavit Petrus Bleſenſ. ipſius Eccleſiæ Decanus, epiſt. 152. ad ipſum Innocentium. *Proinde acceſſi ad Dominum Cantuarienſem, rogans humiliter & obnoxiè, quatenùs auxilio ejus, & aſſenſu Domini Regis, ſpurcitiæ illius abominatione ſublatâ, Ciſtercienſis Ordinis ibidem religio plantaretur.* Et paulò poſt: *Propterea vos, ſanctiſſime Pater, quem conſtituit Deus inter meſſores Angelos, ut per vos de regno ipſius ſcandala colligantur, noſtrum quæſo confirmate propoſitum, & Monaſterio quod Archiepiſcopus in exultatione univerſæ terræ de aſſenſu Regis ædificare intendit, favorem & gratiam benignitatis Apoſtolicæ miſericorditer indulgere velitis, &c.* Ad ſummum Pontificem etiam pertinet creare novam dignitatem in Eccleſia, can. omnes 22. diſt. cap. Cùm olim. de conſuetud. Abbas in cap. Cùm acceſſiſſent, de Conſtitut. Ad ſolum ſummum Pontificem pertinet & creatio Canonicatuum ad effectum obtinendi dignitatem, perſonatum vel officium in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, vel Collegiatis, in quibus nemo dignitatem, perſonatum vel officium adipiſci poteſt, niſi ante Canonicus exiſtat, ex Concordat. tit. de Reſervat. §. in Cathedralibus. ubi Rebuff. gloſſ. in Pragmat. tit. de Collat. §. quod ſi quis, verb. ſimiliter, & in §. item cenſuit, verb. numerus, verb. requireret, verb. Collatoris. Marc. part. 2. quæſt. 134. Buſeus Regal. quæſt. 31. & hoc jure utimur.

## CAPUT VIII.

### *Una è majoribus Cauſis eſt datio Coadjutorum.*

PRIMIS ſæculis Epiſcopi emergentibus cauſis, puta ob ætatem, valetudinem, vel aliam juſtam cauſam, Coadjutores ſibi eligere non dubitarunt, non alio quæſito, quàm Metropolitani, aut finitimorum Epiſcoporum, aut propriæ plebis aſſenſu. Sub Severo Narciſſo Hieroſolymitano Epiſcopo, Coadjutor petitus Alexander cujuſdam in Cappadocia Eccleſiæ Epiſcopus, qui religionis cauſâ Hieroſolymam venerat, ex ſuffragio finitimorum Epiſcoporum; Euſeb. lib. 6. cap. 39. Τοῦτο δὲ πράξαντες μετὰ κοινῆς τῶν Επισκόπων, οἳ τὰς πέριξ διεῖπον Ἐκπλησίας γνώμης, ἐπάναγκες αὐ-

τὸν παραμένειν βιάζον]. *Quo ad hunc modum gesto communi Episcoporum consensu, qui finitimas Ecclesias procurabant necessariò illum apud se manere coëgerunt :* quod ex Eusebio scripsit & Nicephor. Callist. lib. 5. cap. 10. & lib. 14. cap. 39. & Zonar. in Severo. Sub Diocletiano Theotecnus Cæsariensis Episcopus Anatolium, διάδοχον, id est successorem sibi designavit, & unà cum eo Ecclesiam administravit, donec vitâ functo Eusebio Laodicensi Episcopo, electioni de se factæ, is invitus assentiri coactus est. Euseb. lib. 7. cap. 26. Sub tempora Constantini, Macario Hierosolymitano Episcopo, Coadjutor datus Maximus, non alio titulo quàm suffragio plebis, τῇ δοκιμασίᾳ τοῦ λαοῦ, Sozomen. lib. 2. cap. 19. Nicephor. lib. 8. cap. 46. Stephanum in Apamiensi Episcopatu regendo, σύνεδρον, id est Coadjutorem habuit Meletius, Theoderot. lib. 5. cap. 4. Gregorium Nazianzenum Coëpiscopum, & adjutorem sibi ascivit Gregorius Pater, de quo ipse Nazianzen. orat. 8. & epist. 42. & in carmine de vita sua. Augustinum Coëpiscopum & Successorem sibi delegit Valerius Hipponensis Episcopus, expetito priùs consensu Primatis Carthaginensis, Possidius in vita Augustini, cap. 8. *Unde amplius formidans idem venerabilis senex, & sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis litteris apud Primatem Episcopum Sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque gravitatem, & obsecrans ut Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ cathedræ non tam succederet, sed Consacerdos accederet Augustinus.* Imò & ipse Augustinus, jam ætate & laboribus confectus, Evadium sibi successorem designavit, acclamante plebe; de quo testem habemus eumdem, epist. 110. quâ continentur acta ejus promotionis. Labente sequiori ævo cohibendæ licentiæ causâ, quâ utebantur quamplures Episcopi, passim sibi ascisendi Coadjutores, futuros successores, magis affectu carnis & sanguinis, quàm studio rerum Ecclesiæ, tum quia Coadjutorum datio erat contra Canonem Antiochenum, ex quo non licebat, vivente Episcopo, successorem eligere, & dispensatione Sedis Apostolicæ egebat, ad quam solam pertinet, contra Canones dispensare; summi Pontifices Coadjutorum dationem, veluti unam è majoribus causis ad se revocarunt. Hoc jure Pelagius Joanni Narniensi Episcopo, quòd rerum agendarum expers esset, Constitutum poscenti dedit Coadjutorem, & Gregorius I. permisit, ut Joanni Justinianeæ primæ Episcopo, ob sonticum morbum daretur Coadjutor: & Bonifacius Moguntinus Episcopus, missionem quam poscebat à Zacharia Pontifice non impetravit, sed jus assumendi Coadjutorem eumdemque futurum

turum ſucceſſorem, quæ omnia collecta ſunt in can. ſcripſit. Can. Petiiſti. can. quia frater. 7. qu. 1. Hoc jure etiam Adalgario Bremenſi Metropolitæ ob ſenium, viciniores quinque Epiſcopos adjutores datos à Romano Pontifice ſcribit Adamus Bremenſ. l. 1. cap. 2. *Ad hoc quia ſenectutis pondere gravatus Pontifex Adalgarius, paſtorale officium obire non poterat, circumeundo, prædicando & conſecrando Epiſcopos, dati ſunt ei adjutores à Papa, circumvicini quinque Epiſcopi, quorum ore ſenex fulciretur.* Inde Pontificis in dando Coadjutore poteſtatem paſſim agnovere Metropolitani; inſigne ejus rei argumentum extat in cap. Ex parte, de Cleric. ægrot. vel debilit. ubi Arelatenſis Archiepiſcopus aditus ab Arauſicenſi Principe, ut laboranti Epiſcopo ſubveniret, rem retulit ad Innocentium III. Romanum Pontificem, à quo mandatum eſt, ut idoneum ei Coadjutorem daret: quo jure uſus eſt & Honorius III. in cap. Venerabili, de offic. delegat. dum ait ſe Archiepiſcopo Cuſentino demandaſſe, ut Cephaladunenſi Epiſcopo, ſi de diſapidatione ſuſpectus eſſet, Coadjutorem daret. Necdum tamen Coadjutorum datio ſpecialiter erepta Metropolitanis, donec à Bonifacio VIII. pronunciatum in cap. Paſtoralis, de Cleric. ægrot. in 6. & cap. ſi Epiſcopus. de ſuppl. neglig. Prælat. eod. Coadjutoris dationem unam eſſe è majoribus Cauſis, quæ pertinerent ad Sedem Apoſtolicam, non obſtante, inquit, contrariâ conſuetudine: Quod juris inſtauratum eſt Synodi Tridentinæ, ſeſſ. 25. de reformat. cap. 7. Hinc Coadjutores Apoſtolicos vocat Joannes Monachus in d. cap. Paſtoralis: nec diſpari jure conſtitutum invenio, Eccleſiæ Cathedrali vacanti Procuratorem, ſeu adminiſtratorem, quem Græci vocant μισίτλω, noſtri Viſitatorem dari non poſſe ab alio, quàm à Romano Pontifice, can. Paſtoralis 7. qu. 1. cap. cùm nobis. de Elect. cap. ult. de ſuppl. neglig. Prælat. in 6.

## CAPUT IX.

*E majoribus quoque Cauſis Exemptio Monaſteriorum. Monaſterium exemptum eſt de Diœceſi, non in Diœceſi. Conſervatores Apoſtolici, Judices Exemptorum.*

JURE communi omnes Eccleſiæ ſunt in poteſtate Epiſcopi, in cujus diœceſi poſitæ ſunt, can. Omnes Baſilicæ. can. nullus. 16. qu. 7. Ac ſolus Pontifex poteſt eximere Eccleſias à juriſdictione Ordinarii, quia ſummus Pontifex eſt caput omnium Eccleſiarum; & omnes Eccleſiæ quæ per univerſum orbem ſparſæ ſunt, pertinent ad Romanam Eccleſiam, cap. ſi Papa. de privileg. in 6. Summus Pontifex in ſpiritualibus habet plenitudinem poteſtatis. Vigilius, in epiſt. ad Eleuther. cap. ult. *Eccleſia Romana quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non plenitudinem poteſtatis.* can. qui ſe ſcit. 2. qu. 6. Hoc jure ad ſolum ſummum Pontificem ſpectat, eximere Eccleſiam Epiſcopalem à jure Metropolitani, can. Frater noſter, 16. qu. 1. Hoc jure uſus Gregorius I. ferè ſine exemplo, exemit cuncta Monaſteria in Concilio Lateranenſi à juriſdictione Epiſcoporum; teſtem ipſum habemus, lib. 7. epiſt. 18. quæ refertur in can. Quam ſit, 18. quæſt. 2. & idem monaſteria ſancti Andreæ, & S. Thomæ abſolvit à juriſdictione Epiſcopi Ariminenſis, lib. 4. epiſt. 87. can. Luminoſo. ead. cauſ. & quæſt. Leguntur, & variæ exemptiones monaſteriorum paſſim ab eodem Gregorio factæ, ex ipſius regiſtro lib. 5. epiſt. 46. & lib. 6. epiſt. 12. Poſt Gregorium, monaſterium ſancti Martini Turonenſis exemit, vel potiùs conceſſam à Crosberto Turonenſi Epiſcopo exemptionem confirmavit Adeodatus Pontifex, ſpeciali præcepto quod à Jacobo Sirmondo editum eſt, tom. 1. Conciliorum Galliæ. Fuldenſe monaſterium in Germania à Bonifacio Epiſcopo Moguntino conſtructum, poſtulante ipſo à juriſdictione Ordinarii abſolvit, & Sedi apoſtolicæ immediatè ſubjecit Zacharias Papa, ut decernit ipſe epiſt. 14. ad Bonifacium. Monaſterii Corbeienſis exemptionem à Sede apoſtolica conceſſam confirmavit Nicolaus I. epiſt. 24. Exemptionem monaſterii ſancti Carileti in diœceſi Cenomanenſi confirmavit idem

Pontifex, epist 62. Rursus exemptionem monasterii Corbeiensis confirmavit Alexander II. epist. 8. Abbas Eveshamiensis in Anglia, monasterii sui exemptionem adversus Wigornienſem Episcopum tuebatur variis privilegiis Constantini, Alexandri, Clementis, Celestini Pontificum, cap. ex ore, de Privileg. cap. auditis de præscript. cap. auditis, de in integr. restit. Exemptiones monasterii Vezeliacensis, S. Dionysii & S. Germani de Pratis Parisiensis confirmavit Innocent. III. lib. 1. epist. 150. epist. 181. & 182. Effectus exemptionis sunt: primus est, quòd Ecclesia absolvitur à jurisdictione Ordinarii, & immediatè subjicitur ditioni Sedis Apostolicæ; & per exemptionem summus Pontifex fit proximus Superior, & Ordinarius exemptorum, ne acephali maneant, can. nulla ratione, 93. dist. can. Abbatibus, 18. qu. 2. can. Quidam, 24. quæst. 3. in cap. auctoritate, de Privilegiis in 6. Hinc Monasterium exemptum dicitur Allodium seu patrimonium francum & liberum S. Petri, & Abbas Vindocinensis, qui est exemptus dicitur, Allodiarius Beati Petri. Goffrid. Abbas Vindocinens. de se ipso libr. 2. epist. 7. ad Ivonem Episcopum Carnotensem. *Pro consecratione professionem, & pro professione ab Allodiario B. Petri, subjectionem vobis vindicatis.* Qua significatione & Allodiarii Ecclesiæ dicuntur qui tenent certa prædia in Allodium ab Ecclesia. Innocent. III. libr. 2. epist. *Cum terris & nemore Allodiariorum Reg. Eccl.* Hinc & Ecclesia exempta est de Diœcesi, non in Diœcesi. Geminian. in cap. cum Episcopus, de offic. ordinar. in 6. Frideric. Senens. Consil. 16. quia quoad jurisdictionem Ordinarii perinde habetur, ac si esset extra Diœcesim. Secundus est quòd exemptus non potest compromittere vel transigere de privilegiis Ecclesiæ suæ, nec renunciare exemptioni, nec beneficio sine licentia summi Pontificis, cap. cum tempore de arbitr. cap. pen. de religios. domib. cap. cum venerabili, de consuetud. cap. dilecti, de renunciat. & Abbas exemptus electus in Episcopum non potest consentire electioni de se factæ, sine licentiâ summi Pontificis, vel Legati à latere, cap. Abbatem, de Elect. in 6. Tertius est quòd Abbates exempti, non debent professionem subjectionis Episcopo, cap. ne Dei Ecclesiam, de Simon. cap. sanè, de excess. prælat. cap. cum olim de privileg. Inde cùm Ivo Carnotensis Episcopus à Goffrido Abbate Vindocinensi exempto, cui benedictionis munus impertiit, professionem obedientiæ extorsisset, Urbanus II. professionem irritam dixit, quasi subreptam in fraudem sedis Apostolicæ, & exemptionis; de quo ipse Goffrid. libr. 2. epist. 2. & 7. Quartus est quòd exempti ha-

bent ſuos judices, à ſede Apoſtolica delegatos, cap. cum & plantare, in fin. cap. cum Capella, de privileg. gloſſ. in cap. tuarum, eodem tit. quos recentiores Conſervatores vocant. cap. 1. & ult. de offic. delegat. in 6. Ac nè exempti Jura peregrè petant, his judices dari ſolent in partibus. Abbati S. Carileti exempto ſi delinqueret ſex Galliæ Epiſcopos ex regia providentia cogendos, & inter eos Cenomanenſem Epiſcopum, tamquam ſedis Apoſtolicæ delegatos judices dedit Nicolaus I. dict. epiſt. 62. *Decernimus ut Abbas ordinatus deponi non poſſit, niſi criminalis eum cauſa monſtraverit reum: quòd ſi fuerit infamiæ calumniis denotatus, ex regali providentia Epiſcoporum habeatur non minus quàm ſex conventus, quorum de numero Cenomannicus conſtituatur Epiſcopus, & eorum in judicio ſecundùm canones illius cauſa diſcuſſa, non aliter deponi poſſit, niſi reus manifeſtis certiſque patuerit indiciis.* Ut hoc enim breviter obſervem, Mandata Apoſtolica in Gallia non ad alios quàm Regni Epiſcopos exequenda dirigi antiquiſſimi moris eſt. Pileum purpureum Ægidio Rigaldo de Rociaco ex Abbate S. Dionyſii Cardinali deſignato per Laudunenſem & Pariſienſem Epiſcopos ex mandato Apoſtolico coram Joanne rege traditum fuiſſe narrat Joan. Froſſardus vol. 1. cap. 153. *Le jour de Paſques Fleuries, qui furent le dixieſme jour d'Avril* 1351. *fut preſenté à Gilles Rigaud de Rouſſi, qui avoit eſté Abbé de ſaint Denys, & de nouvel avoit eſté Cardinal, le Chapel rouge au Palais à Paris en la preſence du Roy Jean par les Eveſques de Laon & de Paris, & par mandement du Pape fait à eux par Bule, qui n'avoit point accoûtumé eſtre autrefois fait, mais ce fut en la preſence du Roy Jean.* Jam olim in Gallia Epiſcopi varias exemptiones proprio nutu conceſſere Monaſteriis. Monaſterium S. Dionyſii à ſua juriſdictione exemit Landericus Epiſcopus Pariſienſis, poſcente Clodoveo II. Aimoin. libr. 4. cap. 41. Monaſterium S. Baſilii Nivardus Archiepiſcopus Ahemenſis. poſtulante Childeberto, Flodoard. II. Rhem. hiſt. cap. 7. Sed poſtea hujuſmodi exemptiones auctoritate Pontificia egere palam omnibus fuit. Non nego Epiſcopum poſſe remittere quædam jura Epiſcopalia, ſed non poteſt Eccleſiam eximere in totum, ſine auctoritate ſummi Pontificis, cap. Conſtitutus, de religioſ. domib. cap. cum venerabilis, de Cenſib. quia Epiſcopus non poteſt abdicare à ſe propriam juriſdictionem, & abdicando eam non amittit, exemplo Præſidis vel cujuſlibet magiſtratus, L. Legatus de offic. Præſid. L. ult. C. de defenſor. civitat.

## CAPUT X.

*Canonizatio Sanctorum, olim communis Episcopis, facta est propria S. Pontificis, Decreto Alexandri III.*

TEMPORE persecutionis Canonizatio Martyrum, vix enim aliam per id temporis novit Ecclesia, singulis Episcopis permissa fuit suas intra diœceses, nec aliis solemnibus fieri consuevit quàm hisce: nimirum Martyre in carcere, vel agone demortuo, dies martyrii cujusque adnotabatur, & ejus nomen in diptycha Ecclesiæ referebatur, ejusque memoriæ celebrandæ causa dies solemnis quoque anno per Episcopum adscribebatur. Cyprian. epist. 37. *Denique & dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Et idem priùs epist. 34. *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.* Aliquando Episcopus condito martyre vel Confessore, in Canonizationis argumentum, ejus tumulo altare vel sacram ædem imponebat. Vix è vivis sublatus Nilammon electus Episcopus Corensis, quod est oppidum Ægypti, juxta Pelusium, Theophilus Alexandrinus Episcopus accessit ad ejus funeris officium, & ejus tumulo altare superposuit, pro ritu vetere Ecclesiæ, Confessores vel Martyres in Sanctorum numerum recensendi, de quo Sozomen. lib. 8. cap. 19. Niceph. Callist. lib. 13. cap. 17. Non. dispari ratione Cyrillus etiam Episcopus Alexandrinus, Ammonii, Ascetæ Nitriensis, famâ sanctitatis & miraculis clarissimi, corpus in Ecclesia condidit, mutato ei nomine Thaumasii pro Ammonio, eundemque Martyris honore dignatus est. Idem Callist. libr. 14. cap. 15. Canonizatio Martyrum fiebat per Episcopos prævio diligenti examine de fide & gestis martyrii, quo dicebantur Martyres vindicari. Inde à Cæciliano tum Archidiacono, postea Episcopo Carthaginensi, correpta fertur Lucilla potentior & factiosa fœmina, quòd ante sacræ Communionis perceptionem osculo libaret Lipsana cujusdam martyris, sed nondum vindicati seu approbati, de quâ Optatus lib. 1. *Cùm correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritalem cibum & potum, os nescio cujus Martyris, si tamen martyris, li-*

*bare dicebatur, etsi Martyris, sed nondum vindicati, correpta cum confusione irata discessit.* Tandem verò propter varios abusus & casus inde emergentes Alexander III. Canonizationem Sanctorum, velut unam è majoribus causis ad sedem apostolicam revocavit, cap. 1. de reliq. & vener. Sanctor. cujus speciem illustravit Baron. tom. 12. annal. 1181. Ab eo tempore Canonizatio Sanctorum est reservata summo Pontifici, eaque fit solemniter, causâ cognitâ, examinatis testibus de vita & miraculis ejus de quo agitur, per judices à sede apostolica datos. Cap. Venerabili, de testibus. De forma & ritu Canonizationis Sanctorum plenius Joan. Andreas in d. cap. 1. de reliq. & alii.

## CAPUT XI.

### *Inter majores Causas est approbatio Ordinum Religiosorum.*

PRIMUS in Oriente Basilius Episcopus Cæsariensis Monachos ex eremo accivit, & eos varia per cœnobia collegit intra diœcesim suam, & his regulam dedit. Testis de se ipso Basil. epist. 63. ad Neocæsarienses, & Gregor. Nazianz. Orat. 20. quam habuit in ejus laudem, & Socrat. libr. 4. cap. 21. quæ Regula non alia est quàm ea quæ continetur asceticis seu regulis fusioribus, & brevioribus, quæ leguntur inter opera Basilii, quæ à nonnullis tribuuntur Eusthatio Sebastiensi Episcopo ex Nicephor. Callist. libr. 13. cap. 29. Ut ut sit, Basilius vel alius quisquis auctor est Episcopus, propria auctoritate hanc regulam dedit Monachis propriæ diœcesis, nec legitur uspiam hac de re aditum fuisse Summum Pontificem, quasi impari potestate Episcoporum. Primus in Occidente Eusebius Vercellensis Episcopus, Basilii exemplo, Monachos in Ecclesia sua collocavit, pulcherrimo fœdere Monachis in Clerum allectis. Ambros. epist. 82. *Quòd si in aliis Ecclesiis tanta suppetet ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, ubi duo pariter exigi videntur ab Episcopo, Monasterii continentia, & disciplina Ecclesiæ? Hæc enim prima in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit, ut & in civitate positus instituta Monachorum teneret & Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.* Augustinus Clericos regulares in commune viventes sub propria

regula instituit in Africa. Possid. in ejus vit. cap. 5. *Factus ergo Presbyter secundùm regulam & Apostolicam traditionem, monasterium intra Ecclesiam mox instituit & cum Dei servis vivere cœpit, secundùm regulam sub sanctis Apostolis constitutam, & maximè ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet; quod jam ipse prior fecerat, cùm de transmarinis ad sua remeasset.* Et hæc omnia facta sunt sine invidia Romani Pontificis. Post hæc B. Benedictus Ordinem Monachorum instituit, & propriam regulam eis dedit, quæ est prima quam cum laude approbavit Gregorius I. Dialogor. lib. 2. cap. 36. *Vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit; nam scripsit Monachorum regulam discretione præcipuam, sermone luculentam, cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ, omnes magisterii illius actus invenire specialius.* Idem Pontifex Ordinem & Regulam Benedicti confirmavit in Synodo Romana; testis ipse in tabulis privilegii concessi Sublacensi Monasterio, quæ fuit prima Sedes Benedicti, è quâ migravit Cassinum; apud Baron. tom. 8. Annal. ad ann. 595. *Ego Gregorius S. R. E. Præsul scripsi vitam Beati Benedicti, & legi regulam quam ipse Sanctus manu propria scripsit, laudavi eam & confirmavi in sancta Synodo, & per diversas partes Italiæ, & ubicumque Latinæ litteræ legerentur, præcepi ut diligentissimè observarent, quicumque ad conversionis gratiam accessuri essent, usque ad finem mundi.* Idem auctor Chronic. Altissiodorens. ad ann. 538. *Hujus* ( loquitur de Benedicto ) *vitam sanctus Papa Gregorius scripsit, virtutibus plenam, & miraculis coruscantem, quam ab iis didicit, & audivit, qui faciem illius viderunt, & ei in præsenti peregrinatione comites fuerunt; quam etiam vitam & regulam idem Domnus Apostolicus auctoritate roboravit, & stylo: unde & ab illo tempore mos inolevit, ut penè omnes qui Monachico habita induuntur, secundùm hujus sancti Patris regulam se vivere profiteantur.* Ordinem & regulam Benedicti facto comprobavit idem Pontifex, cùm Augustinum Benedictini Ordinis alumnum, tamquam virum apostolicum misit in Angliam, ad restituendam fidem in hac gente ferè extinctam; ex quo factum est ut omnes Ecclesiæ Cathedrales Angliæ institutæ sint in ordine Monachorum, cap. 1. nè sede vacant. cap. 1. de nov. oper. nuntiat. & Angli Monachos summopere coluere, etiam ultra Clericos, memores beneficii à monachis accepti, id est conversionis ad fidem. Ordericus Vital. libr. 11. *Angli Monachos, quia per eos ad Deum conversi sunt, indesinenter diligentes honoraverunt, ipsique Clerici reverenter & benignè sibi monachos præferri gavisi sunt.* Post Grego-

rium Ordinem & Regulam Benedicti comprobavit pari calculo laudis Bonifacius IV. in Can. ſunt nonnulli. 16. qu. 1. *Neque enim Beatus Benedictus Monachorum præceptor almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor, ſed eos ſecularium negotiorum edixit expertos fore tantummodo.* Inde Zacharias Pontifex Benedictum patrem monachorum agnovit, & ejus Regulam comprobavit. Eandem regulam probavit Synodus habita apud Altheum ſeu Altheim in Rhetia, Imperatore Conrado I. præſide Petro Epiſcopo Oſtienſi, & Legato Joannis Papæ. in can. ſtatutum 18. qu. 1. *Statutum eſt & rationabiliter ſecundùm ſanctos Patres à Synodo confirmatum, ut Monachus quem canonica electio, à jugo regulæ monaſticæ profeſſionis abſolvit, & ſacra Ordinatio de monacho Epiſcopum fecit, velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem vindicandi poteſtatem habeat; ſed quidquid acquiſierat, vel habere viſus fuerat, monaſterio relinquat, & Abbatis ſui qui fuerat ſecundùm regulam ſancti Benedicti arbitrio.* Tandem has omnes regulas Baſilii, Auguſtini, & Benedicti unâ Sententiâ collaudavit Innoc. II. in Synodo Romana, Can. pernicioſam, 18. qu. 2. *Pernicioſam & deteſtabilem conſuetudinem quarumdam mulierum, quæ licèt neque ſecundùm regulam Beati Benedicti, neque Baſilii aut Auguſtini vivant, Sanctimoniales tamen vulgò cenſeri deſiderant, aboleri decernimus.* Sub annum Dom. 1170. exortæ ſunt in Italia duæ ſectæ Humiliatorum & Pauperum de Lugduno, qui à Sede apoſtolica confirmationem petiere; ſed à Lucio III. repulſi ob varios errores, & ſuperſtitionem, quod omne jusjurandum nefas ducerent, cap. ult. de hæretic. in 1. Collect. de quo Abbas Uſpergenſ. ad ann. 1212. *Olim duæ ſectæ in Italia exortæ adhuc perdurant, quorum alii Humiliatos, alii Pauperes de Lugduno ſe nominabant; quos Lucius Papa quondam inter hæreticos ſcribebat, eò quòd ſuperſtitioſa dogmata, & obſervationes in eis reperirentur, &c.* Et paulò poſt: *Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum, qui dicebantur Pauperes de Lugduno, apud Sedem Apoſtolicam, cum magiſtro ſuo quodam, ut puto Bernhardo, & hi petebant ſectam ſuam à Sede apoſtolica confirmari, & privilegiari.* Et mox: *Aſt dominus Papa quædam ſuperſtitioſa in converſatione ipſorum eis objecit, &c.* Haud diù poſt propter varietatem Religionum jam exſurgentium, nè novæ Religiones ambitione hominum, vel ignaviâ potiùs, quàm ſtudio Religionis, ſine delectu inducerentur, néve turbâ Monachorum laboraret Eccleſia, & varietas Religionum confuſionem Eccleſiæ pareret, Innocent. III. in Concilio generali Lateranenſi vetuit, nè novæ Religiones deinceps inſtituerentur, abſque approbatione Sedis apoſtolicæ, cap. ult. de Religioſ.

ligioſ. domib. quod à Gregorio X. inſtauratum in Concilio Lugdunenſi, cap. unic. eod. tit. in 6. Juxta hæc decreta Humiliatos, cùm errores emendaſſent, reſtituit Innocent. III. & poſt eum Clemens IV. ut patet ex cap. Olim cauſam, & ibi gloſſ. de reſtitut. ſpoliat. Eodem jure Ordines Prædicatorum, & Fratrum Minorum, quorum prior B. Dominicum, alter B. Franciſcum divinos Principes nacti ſunt, confirmati ſunt à Sede apoſtolica. Abbas Urſpergenſis loco modò laudato. *Eo tempore mundo jam ſeneſcente exortæ ſunt duæ Religiones in Eccleſia, cujus ut Aquilæ renovatur juventus, quæ etiam à Sede Apoſtolica ſunt confirmatæ, &c.* Nec non tertium Ordinem Fratrum & Sororum B. Franciſci confirmavit Nicolaus V. gloſſ. in cap. cùm ex eo, verb. de Ordine tertio. de Sentent. excommunicat. & gloſſ. in Clement. I. verb. obedientiam, de religioſ. domib.

Ex his juris elementis indubitatum eſt ſolum Pontificem poſſe approbare novos Ordines Religionum, & hæc eſt receptiſſima ſententia Doctorum Panormit. in cap. nullus de foro compet. & idem conſil. 55. Sylveſter in ſumma verb. religio 1. qu. 1. Navarr. Comment. 1. de regular. num. 18. & 23. Suarez, de Religione, tom. 3. lib. 2. cap. 16. 17. Barboſa, de jure Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 2. num. 168. Bellarmin. de Monachis, lib. 1. cap. 4.

## CAPUT XII.

### *E majoribus Cauſis eſt conceſſio Indulgentiarum, quas Plenarias vocant.*

SOLUS ſummus Pontifex poteſt concedere majores remiſſiones, quas vocant Indulgentias plenarias; Epiſcopi verò temporales, non ultra quadraginta dies, idque certis in caſibus, ut in dedicatione Eccleſiæ, anniverſario dedicationis, & aliis, cap. cùm ex eo, de pœnitent. & remiſſ. Anno Chriſti 1115. in Dedicatione Eccleſiæ S. Albani ab Epiſcopis Angliæ conceſſa eſt ſolemnis indulgentia, pro cunctis ſolemni die dedicationis eò confluentibus religionis gratiâ, Matth. Pariſ. in Hiſt. Abbatiæ S. Albani, in Richardo Abbat. *Quibus & cunctis in poſterum adventantibus eâ die ad tantam ſolemnitatem, conceſſa eſt indulgentia multorum dierum.* In dedicatione Capellæ S. Cuthberti, & alia-

rum Ecclesiarum indulgentiam solemnem pariter concessit Joannes Episcopus Archfortensis. Idem in eadem Hist. in Guillelmo Abbate. *Concessit quoque idem Episcopus Joannes, ut quicumque in anniversario dedicationis illius Capellæ, vel in singulis festis Sanctorum prædictorum, pœnitentes & devoti advenerunt, viginti dies relaxationis consequantur. Sciendumque est, quod ubicumque in nostra diœcesi, memoratus Episcopus Joannes suum exercuit officium, præcipuè in dedicationibus, fidelibus Christi concessit relaxationem, secundùm quod ipsi competebat officio, & solemnitati. Inter alia quoque pietatis opera, Ecclesiam beati Amphibali Martyris, sociorumque ejus solemniter ab Episcopo Joanne, sicut & alias plures Ecclesias vel Capellas in nostra diœcesi fecit, ipso præsente Abbate Pontificalibus redimito, relaxatione quadraginta dierum concessâ, dedicari.* Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus indulgentiam quadraginta dierum testamento concessit adjutoribus exercutoriis testamenti sui, ex tabulis ipsius testamenti, quæ extant apud Joan. Sarisber. epist. 57. *Omnibus autem dispositionis nostræ adjutoribus benedictionem Domini & nostram damus; ipsos Beneficiorum Cantuariensis Ecclesiæ participes constituimus, eisque de injuncta sibi pœnitentiâ quadraginta dierum indulgentiam facimus.*

Episcopus electus & confirmatus, nondum consecratus, potest concedere indulgentias, gloss. in cap. Transmissa de Elect. quia concessio Indulgentiarum est jurisdictionis non ordinis, cap. quod autem, de pœnit. & remiss. Inferior Episcopo, veluti Abbas, non potest concedere Indulgentias, nisi speciali ex privilegio Sedis Apostolicæ, cap. accedentibus. de excess. Prælat. De quibus multa Albericus in Dictionar. Juris. Sylvester in Summa, uterque in verb. Indulgentia. Marcus tom. 1. quæst. 1394. Barbos. de potest. Episcopi, part. 3. allegat. 87. num. 17. & seq. Et idem Juris Ecclesiastic. libr. 1. cap. 2. num. 162. Indulgentias in dedicatione quarumdam Ecclesiarum Germaniæ concessit Leo III. Marcellin. in vit. S. Switberti apud Surium, Mart. 1. *Idem sanctus Leo Papa, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo tertio, cum magna solemnitate suorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum ac Primatum, ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperatore imperialiter cum suis susceptus, inter multa pietatis suæ opera, instantiâ ejusdem Serenissimi Imperatoris & Regis, Aquisgrani in Palatio dedicavit Ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans eandem Ecclesiam multis Indulgentiis. Deinde humili petitione & instantiâ venerabilis Patris Gerbaldi Episcopi Leodiensis, consecravit Ecclesias gloriosæ Virginis Mariæ, tam in Tungris, quàm in Viseto, & Coloniæ Agripinæ, tam ad sanctum Martinum quàm in*

*Capitolio altaria consecravit, & multa alia monasteria & altaria, ac Capellas per Alemaniam & Galliam consecravit, ubique multas Indulgentias conferendo.* Anno Dom. 1116. Paschalis II. in Synodo Lateranensi Indulgentias concessit singulis, Concilii vel Religionis causâ Apostolorum Limina visitantibus. Abbas Urspergensis. *His autem qui propter Concilium, & animarum suarum remedium Apostolorum limina visitaverant, qui de capitalibus pœnitentiam agerent, quadraginta dierum pœnitentiam indulsit, &c.*

Præter Indulgentias quæ concedi solebant in canonicæ pœnitentiæ remissione, ab Urbano II. in Concilio Claromontensi habito anno Domini 1095. concessæ indulgentiæ Cruce signatis in expeditionem Hierosolymitanam. Ordericus Vitalis, lib. 9. *Providus verò Papa omnes qui congruè arma ferre poterant, ad bellum contra inimicos Dei excivit, & pœnitentes cunctos ex illa hora quâ Crucem Domini sumerent, ex auctoritate Dei ab omnibus peccatis suis absolvit, & ab omni gravedine quæ fit in jejuniis, aliisque macerationibus carnis piè relaxavit. Consideravit enim perspicaciter vir prudens, & benignus Archiater, quòd si qui peregrè proficiscerentur, in via multis diutinisque discriminibus vexarentur, & multimodis casibus lætis seu tristibus quotidiè angerentur, pro quibus benevoli vernulæ Christi, cunctis culparum sordibus expiarentur.* A Callixto II. in Concilio Lateranensi habito anno 1122. can. 11. repetitæ eædem indulgentiæ eandem ob causam. *Eis qui Hierosolymam proficiscentur, & ad Christianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium repellendam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos & familias atque omnia bona eorum in beati Petri, & Romanæ Ecclesiæ protectione, sicut à Domino nostro Papa Urbano statutum fuit suscipimus.* Easdem indulgentias sacræ militiæ causâ concessit Eugenius III. epistola quam intexuit Otto Frisingens. de gest. Frideric. lib. 1. cap. 35. *Nos autem vestrorum quieti, & ejusdem Ecclesiæ destitutioni paternâ sollicitudine providentes, illis qui tam sanctum, tamque perneccessarium opus, & laborem, devotionis intuitu suscipere & perficere decreverint, illam peccatorum remissionem, quam præfatus noster Papa Urbanus instituit, auctoritate nobis à Deo concessa concedimus & confirmamus, atque uxores & filios eorum, bona quoque & possessiones sub sanctæ Ecclesiæ, nostra etiam & Archiepiscoporum, Episcoporum & aliorum prælatorum Ecclesiæ Dei protectione manere decernimus, &c.* Eadem gratia usus est Innocent. III. propter expeditionem Hierosolomitanam, & Hispanicam in Sarracenos; testis ipse in epistola 360. 393. 403. libr. 1. & apud Abbatem Urspergens. ad ann. 1212. *Nos enim de Dei omnipotentis misericor-*

*dia, & auctoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli confisi, ex illa quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi atque solvendi potestatem tradidit, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccatorum, si cordis & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, Eis autem qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis tantùm expensis, juxta facultatem & qualitatem suam, viros idoneos destinarint; illis similiter, qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impenderint, plenam concedimus suorum veniam peccatorum &c.*

Antiqui moris etiam fuit Pontifices in die inaugurationis in honorem Cathedræ concedere indulgentias: hujusmodi indulgentias concessit Urbanus VI. sub initia Pontificatus. J. Froissard. vol. 2. cap. 35. *Celluy receut la Papalité, & fut nommé Urbain VI. & ouvrit graces, ainsi comme l'usage est.* Pontificiæ indulgentiæ quàm antiqui instituti sint, locuples testis Tertull. de pudicit. *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex scilicet Maximus Episcopus Episcoporum dicit: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto: ô edictum, cui adscribi non poterit, bonum factum.*

Solus etiam Romanus Pontifex potest demandare potestatem prædicandi sacri delectus, & remittendi votum expeditionis. Ad eundem etiam pertinet redemptio & commutatio ejusdem voti, cap. ex multâ, & ibi gloss. de voto & vot. redempt. Innocent. III. lib. 1. epist. 436. ad Hierosolymitanos. *Quia igitur votum cùm requirit necessitas, potest & debet in pietatis opus aliud commutari, universitati vestræ auctoritate præsentium, duximus indulgendum, ut si qui vestrûm voverint Sanctorum Limina visitare, de auctoritate Sedis apostolicæ à voti executione taliter se noverint absolutos, ut expensas quas facturi erant in via, de religiosorum virorum cònsilio pro reædificatione murorum, & stipendiis militum, sine diminutione qualibet largiantur, & pro labore itineris dignum aliquod Domino recompensent.* Et idem epist. 504. ejusd. libr. ad Episc. Syracusanum: *Eos autem qui se visitaturos limina Beati Jacobi devotè voverunt, si salva oblatione altaris; reliquas expensas in Signatorum voluerint subsidium erogare, dummodo laborem etiam redimant, quem sustinerent in via, auctoritate nostrâ suffulti, ab eo quod voverant absolvatis.*

## CAPUT XIII.

*Solus Summus Pontifex potest invitos Clericos, vel Episcopos ordinare; Clericos cujuscumque Diœcesis promovere. Varii casus quibus solus Summus Pontifex potest dispensare.*

SOLI summo Pontifici juris est Clericos vel Episcopos etiam invitos ordinare, & Clericos cujuscumque Diœcesis ad se evocare, pro necessitatibus Ecclesiæ. Can. nunc verò. Can. per principalem. 9. qu. 3. can. per principalem. 1. qu. 1. Wlgrinum Cancellarium Carnotensis Ecclesiæ electum in Dolensem Episcopum, qui nolebat assentiri electioni de se factæ, non ab alio quàm à summo Pontifice compelli posse ad suscipiendum Episcopatum ait Ivo Carnotens. epist. 178. ad Clerum Dolensem. *Si ergo studia vestra mutare non vultis, si in aliam personam deliberatione vestrâ declinare non vultis, non à nobis, sed à summo Pontifice est quærendus, cui concessum est invitos ad hæc officia cogere, & de volentibus & de nolentibus Ecclesiæ Dei Pontifices ordinare. Quantùm ergo Domnus Papa super hoc me coëgerit, tantùm ego prædictum fratrem cogam.* Nec injuriâ summus Pontifex suum esse ducit invitos ordinare; quia fideles sunt quasi servi Ecclesiæ Romanæ, cui fidem acceptam debent. Et hoc sensu mancipia Ecclesiæ vocitantur Parochiani propter baptismum in ea sibi ministratum. Conc. Tolet. 16. can. 4. *Ut Ecclesia quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem.* Can. unio, 10. qu. 3. alias inviti non ordinantur ab Episcopo. Conc. Aurelianens. 3. can. 7. Episcopus qui invitum aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus, Missas facere non præsumat. Can. Episcopus 74. dist. Idem vetuit Simplicius Joanni Ravennati Episcopo, nè Presbyterum aut Diaconum invitum ordinaret. Can. denunciamus 25. qu. 2. Aliquando tamen invitos ordinatos legimus, studiis & votis Cleri & plebis, ut Augustinum, Paulinum, Pinianum, Germanum præfectum Altissiodorensem; de quo Possid. in vit. Augustin. cap. 4. Augustin. ipse epist. 215. Paulin. epist. ad Augustin. Constantius Presbyter libr. 1. vit. S. Germani apud Surium. Aliquando etiam ob penuriam Clericorum Presbyteros in-

vitos ordinatos ab Episcopis refert Augustin. ipse, de adulter. conjug. libr. 2. cap. 20. *Solemus eis præponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem domino adjuvante perducunt.* Jure veteri Pontificio, Pontifici maximo quoque licebat Flaminem Dialem etiam invitum inaugurare. Livius libr. 27. *Flaminem Dialem invitum augurari coëgit, P. Licinius Pontifex Maximus.*

Solus etiam summus Pontifex potest concedere facultatem de promovendo à quocumque Episcopo : hujusmodi tamen facultas concessa à sede apostolica vires non habet, nisi expressâ in litteris legitimâ causâ, ob quam qui eas impetravit à suo Episcopo ordinari non potest, nec is potest ordinari ab alieno Episcopo, nisi sua in Diœcesi residente, ac prævio diligentiori examine Concil. Trident. sess. 7. de reformat. cap. 11. Nemini etiam præterquam summo Pontifici licet quemquam promovere ad sacros Ordines extra tempora, cap. 1. & 3. de temporib. ordinat. Solus quoque summus Pontifex potest dispensare ut extra tempora quis possit à suo Episcopo ordinari. Rebuff. in prax. part. 2. tit. de Cleric. ad sacros Ord. malè promot. Barbos. Jur. Ecclesiastic. libr. 1. cap. 2. num. 163. Solus etiam summus Pontifex potest dispensare cum illegitimis ut promoveantur ad sacros Ordines, & beneficia Ecclesiastica. Can. apostolica. can. Cenomanensem. can. ult. 56. dist. cap. pen. & ult. de fil. Presbyter. Cap. 1. eod. tit. in 6. Cap. per venerabilem. qui fil. sint legitimi. Cum illegitimis quidem dispensatur ab Episcopo quoad minores Ordines, vel beneficia curæ animarum expertia ; in aliis Pontificia dispensatio requiritur, d. cap. 1. de filiis Presbyter in 6. Quod genus dispensationis stylo perstringit Matth. Paris. ad ann. 1235. *His quoque temporibus Gregorius Papa IX. videns decretalium tædiosam prolixitatem, sub quodam compendio eas eleganter abbreviatas & collectas, solemniter & authenticè per totius mundi latitudinem legi præcepit, & divulgari : illas autem ab auctore ipsarum Gregorianas appellamus, sic incipientes : Rex Pacificus* ; & mox : *In quibus quædam innovavit, ne se illegitimi in prælatias, vel Ecclesiastica beneficia, nisi adeptâ à Sede Romana legitimationis dispensatione obrepant, sciens inde Curiæ Romanæ pro impetratione tali, multa emolumenta provenire, sicut ex statuto Innocentii pro dispensatione plurium beneficiorum obtinendorum.* Item solus Summus Pontifex valet dispensare, ut filius immediatè occupet Ecclesiam cui parens præfuit ; cap. ex tuâ, cap. dilectus, de fil. Presbyter. Item solius Summi Pontificis est dispen-

sare in defectu ætatis, quoad Ordines & beneficia, cap. cum dilectus, de Elect. gloss. in cap. dilectus 1. de Præbend. & in cap. popoſuit, de conceſſ. Præbend. & in Clem. generalis, de ætat. & qualit. præſic. Ivo Carnot. epiſt. 43. ad Urban. II. de Willelmo electo Pariſienſi. *Addidimus quoque conſilio ejus, quia aliquantulum infra annos legitimos nobis eſſe videbatur, ut promotiones ad gradus Eccleſiaſticos per congrua intervalla differret, & interim aut per ſe, aut per nuncios Eccleſiæ, pro his quæ ad integritatem ordinationis minùs ſunt, à paternitate veſtra indulgentiam poſtularet.* Ratio eſt, quia ſolus Summus Pontifex poteſt diſpenſare contra Concilia. gloss. in cap. ſignificaſti, de Elect. Solus quoque Princeps poteſt veniam ætatis concedere ad Magiſtratus gerendos: L. quidam, in fin. ff. de re judic. l. 1. & dd. ſeq. C. de his qui ven. ætat. impetr. Hinc Scipio Africanus cùm Ædilitatem peteret, intercedentibus tribunis quod ætate minor eſſet: *Si me*, inquit, *omnes Quirites Ædilem facere volunt, ſatis annorum habeo*, Livius libr. 25. Item ſolus ſummus Pontifex poteſt diſpenſare cum Parocho ne promoveatur intra annum. Concil. Trident. ſeſſ. 7. de reformat. cap. 12. nec ſervatur cap. cum eo. de Elect. in 6. quo hujuſmodi diſpenſatio erat in poteſtate Epiſcopi. Item ſolus Pontifex poteſt diſpenſare cum bigamis ut promoveantur ad Ordines, cap. 2. & ibi gloss. de digam. non ordinandis. Necnon ſolus Pontifex poteſt diſpenſare cum promoto per ſaltum, cap. unic. de Cleric. per ſaltum promot. Unicus caſus eſt quo Epiſcopus poteſt diſpenſare cum promoto per ſaltum; nimirum ſi in ſuſcepto Ordine non miniſtraverit. Concil. Trid. ſeſſ. 23. de reform. cap. 14.

## CAPUT XIV.

### *Alii caſus quibus ſolus Papa diſpenſat.*

MULTI ſunt alii caſus in quibus ſolus Papa diſpenſat, quos percenſere operæ pretium eſt. Nimirum ſolus Pontifex diſpenſat cum Apoſtata à Religione, qui in apoſtaſia ordinatus eſt, ut in ſuſceptis Ordinibus valeat miniſtrare. Cap. ult. de Apoſtat. Solus Pontifex diſpenſat cum ordinatis à ſchiſmatico, Cap. quia diligentia, de Elect. cap. fraternitati. de ſchiſmatic. nec non cum ordinatis ab hæreticis, Can. convenientibus. 1. qu. 7. & cum re-

ſipiſcente ab hæreſi, can. ſaluberrimum. in fin. 1. qu. 7. Cum eo etiam qui furtivè Ordinem ſuſcepit, ſolus Papa diſpenſat, ut in ſuſcepto ordine maneat, vel ad majores promoveatur, cap. 1. de eo qui furtive Ordines ſuſcepit. Cum ordinato excommunicato etiam ignorante ſolus Papa diſpenſat, cap. cum illorum, de ſentent. excommunicat. Solus Pontifex poteſt diſpenſare, cum promoto ad Ordines vel ad beneficium per ſimoniam, Can. præſentium. 1. qu. 5. can. pen. de ſimon. Solus Pontifex diſpenſat ſuper ſimonia & confidentia, quæ committitur in beneficialibus. Decius Conſil. 141. Flamin. Pariſ. de confident. qu. 3. num. 26. Verùm jure quo utimur abſolutio Pontificia etiam cum facultate de retinendo, non prodeſt in foro exteriori : Simonia ſemel contracta, non purgatur niſi amiſſione beneficii, licèt quis à Pontifice abſolutus fuerit ; pœnitentia enim non relevat in delictis in foro exteriori. L. qui eâ mente. ff. de furtis. L. pen. vi bonor. rapt. Hoſtienſ. in cap. quia propter. de Elect. Item ſolus Papa poteſt diſpenſare circa irregularitatem, quam quis contraxit, excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus celebrans. Cap. Apoſtolicæ. de Cleric. excommunicat. miniſtr. cap. 1. de re judicat. in 6. Item ſolus Pontifex poteſt diſpenſare in irregularitate contracta ex homicidio etiam caſuali. cap. continebatur, & ſeq. de homicid. Concil. Trident. ſeſſ. 14. de reform. cap. 7. aliàs Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate commiſſa ex delicto occulto, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis deductis in judicium. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 6. Item ſolus Pontifex diſpenſat cum irregulari ob vitium corporis, putà defectum membri, vel deformitatem notabilem. Cap. 1. & paſſ. de Corpor. vitiat. cap. accedens. de purgat. canonic. Item ſolus Pontifex poteſt diſpenſare in pluralitate dignitatum, aut beneficiorum Curam animarum habentium. Can. fraternitatem 71. diſt. can. relatio. & ſeq. 21. qu. 1. cap. dudum 2. de Elect. cap. de multâ. in fin. de præbend. Extravag. Execrabilis, eod. tit. cap. 1. de conſuetud. in 6. cap. ordinarii, de offic. ordinar. eod. Quod genus diſpenſationis notat & Matth. Pariſ. loco modò laudato. Et Gregorius 9. ipſe cùm ab eo quæreretur, an poſſet ſuper pluralitate beneficiorum diſpenſare, *Non poſſum*, inquit, *niſi tantùm ſuper vexatione detinentium diſpenſare*, ut refert Thomas Cantipratenſ. ex fide Bernardi Pontificis Pœnitentiarii, libr. 1. Apum, cap. 19.

Solus Pontifex poteſt imponere penſionem beneficiis Eccleſiaſticis, cap. niſi eſſent. de præbend. eod. inde ſolus Pontifex poteſt

potest admittere resignationem beneficii, retentâ pensione. Solus etiam Pontifex potest admittere resignationem beneficii in favorem. cap. deliberatione. §. prohibemus. de offic. Legat. in 6. Solus Rom. Pontifex potest conferre beneficia vacatura, Cap. dilectus, de præbend. cap. 2. eod. tit. in 6. cap. proposuit, de concess. præbend. per mandata sc. de providendo, quæ gratias expectativas vocant, quæ explosæ sunt per Pragmaticam & Concordata, tit. de collat. & maximè in Concordatis tit. de mandatis Apostolicis. Solus etiam Pontifex confert beneficia vacantia in Curia d. cap. 2. de præbend. in 6. Extravag. ad Regimen, de præbend. Regularis non potest obtinere duo vel plura beneficia regularia sine dispensatione sedis Apostolicæ, cap. cum singula, de præbend. in 6. Regularia beneficia non possunt conferri aliis quàm expresse professis, nisi ex dispensatione sedis Apostolicæ. Clem. nè in agro. §. cæterum. §. sanè, de stat. Monachor. Oldrad. cons. 222. Rebuff. in prax. part. 2. de dispensat. cum regularib. num. 24. Beneficia unius Monasterii vel Ordinis non possunt conferri Monachis alterius Monasterii vel Ordinis absque dispensatione Sedis Apostolicæ, d. cap. cùm singula. §. prohibemus. Solus summus Pontifex ex dispensatione potest conferre beneficia regularia Religiosis alterius Ordinis, vel secularibus; ita ut habitum suscipere, & professionem intra annum emittere teneantur. Concil. Trident. sess. 14. de reform. cap. 10. Flamin. Paris. de resignat. benef. libr. 4. qu. 5. num. 3. Gonzal. in reg. 8. Cancellar. gloss. 8. num. 7. & seqq. Solus summus Pontifex potest commendare beneficium in perpetuum, cap. nemo, de elect. in 6. idem juris est de procuratione seu administratione perpetua Ecclesiæ vacantis, cap. Is cui, eod. tit. in 6. cap. ult. de suppl. neglig. prælat. eod. Sanè ad tempus, putà sex mensium commendare beneficium etiam Episcopus potest d. cap. nemo. can. qui plures 21. qu. 1. cap. dudum 2. de Elect. Rebuff. in prax. part. 1. de Commend. num. 54. Interim verò Commenda cujuscumque temporis non mutat statum regularem, sicut commutatio temporaria jus provinciæ noninnovat. L. nemo, de R. J. Et divisio Provinciarum non mutat statum Ecclesiarum, ex Constit. Innocentii I. ad Alexandrum can. 10. lege 10. dist. ex Conc. Chalced. can. 12. can. pervenit 101. dist. Solus summus Pontifex potest dispensare de non residendo in perpetuum in curatis beneficiis ex justâ causâ. cap. licet canon, de Elect. in 6. Quamvis enim videatur non licere Pontifici dispensare de residentia quæ sit juris divini, cùm dispensare non possit in his quæ sunt

juris divini, can. ſunt quidam & ſeq. 25. qu. 1. tamen hæc ratiocinatio non eſt indiſtinctè vera, quia Pontifex diſpenſando ex juſta cauſa cum Parocho de non reſidendo, non ſolvit vinculum quo is obſtrictus eſt ad reſidentiam, ſed quodammodo relaxat ex juſta & legitima cauſa. Rebuff. in prax. part. 1. tit. de diſpenſat. de non reſidend. num. 19. & 76. De jure ſummus Pontifex poteſt derogare juri Patronatus ſive laïci, ſive eccleſiaſtici, non Legatus ſedis Apoſtolicæ, cap. cum dilectus, de jur. patronat. cap. dilectus, de offic. Legat. Sed in Galliâ & Hiſpaniâ non admittitur hujuſmodi derogatio juri patronatus laïci, & ſi qua obrepat, ab exoratione ipſius licet provocare tamquam ab abuſu. Rebuff. in prax. de forma ſignaturæ in 3. part. verb. nec non juris patronatus num. 12. 36. Molin. in regul. de infirm. num. 31. 33. & ſeqq. Ferrer. in Guid. Pap. qu. 324.

## CAPUT XV.

### *Alii & caſus in quibus Solus Papa diſpenſat.*

SOLUS ſummus Pontifex poteſt diſpenſare ſuper matrimonio contracto in gradu cognationis vetito, can. quædam lex. 35. qu. 2. ita ut nec Legato à latere, nec Epiſcopo id juris ſit, cap. ex parte, de Tranſact. gloſſ. in cap. quia circà, de Conſanguinit. & affinit. Sanchez de matrimon. libr 8. diſputat. 6. num. 13. Summus Pontifex verò non poteſt diſpenſare circa matrimonium in gradu conſanguinitatis lege divinâ prohibito, ut inter patrem & filiam, inter fratrem & ſororem, inter patruum vel avunculum & neptem, can. Pitacium. 30. qu. 3. cap. litteras, de reſtitut. ſpoliat. Summus Pontifex non poteſt diſpenſare, in ſolennibus votis caſtitatis & Religionis ex Conſtitutione Sixti IV. Extravag. Etſi dominici gregis. 2. de pœnitent. & remiſſ. Ex qua in generali indulgentia, vel plenaria remiſſione peccatorum ſemper excipiuntur vota caſtitatis & Religionis, & alii caſus ibi expreſſi, reſervati Sedi Apoſtolicæ. Nec obſtat quod ſummus Pontifex non poteſt diſpenſare contra eſſentialia vota Religionis, cap. cùm ad Monaſterium, de ſtat. Monach. Hoc enim verum eſt Pontificem non poſſe diſpenſare cum Monacho, conſtante profeſſione, ut proprium habeat, vel caſtitatem non ſervet; ſed non

negatur quin de Monacho possit facere non Monachum, id est absolvere eum à vinculo Religionis, & statui seculari reddere, ex justâ & publicâ causa, ut docet gloss. hic, quam sequuntur Innocent. Hostiensis, Joan. Andreas, Panormitan. & alii interpretes. Et sic Ranimirus Petro & Aldefonso fratribus sine liberis defunctis, ex Presbytero & Monacho S. Pontii de Tomeriis in Provincia Narbonensi, in Regem Aragonum provectus, dispensante Pontifice, uxorem duxit, è quâ susceptâ filia nomine Petrona, eaque nuptiis collocata, felici postliminio rediit ad Monasterium. Roderic. Tolet. libr. 6. cap. 2. Turit. in indicib. rer. Arrag. ad ann. 1134. Hier. Blanca in Commentar. Rer. Arrag. sic Cazimirum Monachum Professum Cluniaci & Diaconum Poloni sibi in Regem petierunt ab Abbate, à quo rejecti ad Pontificem, ab eo non modò voti solutionem, sed etiam ducendæ uxoris licentiam impetrarunt, certis conditionibus depactis. Martin. Cromer. libr. 4. de rebus Polonor. & Constantia filia Rogeri IV. Regis Siciliæ Virgo professa & Abbatissa cœnobii S. Mariæ apud Panormum, votis soluta ut nuberet Henrico VI. Imperatori, ex quo suscepit Fridericum II. Pandulf. Collenut. Hist. Neapolit. lib. 3.

Non ad alium quàm ad summum Pontificem spectat etiam absolutio, vel redemptio & commutatio voti transmarinæ expeditionis, cap. ex multa, de voto & vot. redempt. & hujusmodi dispensatio quòd modico sumptu nimiùm facilè obtineretur, multis fidelium stuporis & admirationis causam fuisse scribit Thomas Cantipratens. Apum libr. 2. cap. 3. *Sed de his multi fidelium non sufficiunt admirari, qui Crucem pecunia redimunt, & hanc in tam modica pecuniæ quantitate, ut vix decimam, vix vicesimam, vel vix certè bonorum suorum saltem mobilium, salvis hæreditatibus integris centesimam partem dare velint. Cùm enim laboris iter displicuerit, vel certè lucrorum suorum viderint tempora deperire, quærunt dispensationes, Legatos Roma multiplicat, qui eos mediante pecunia sanctificent, liberosque à peccatis per litteras recommendent.* Dispensandi potestatem in votis Religionis & sacræ militiæ sibi reservarunt Pontifices, quia votum habet vim jurisjurandi, cujus remissio propria est Principis, propter religionem jurisjurandi. L. ult. ff. ad municipal. vel summi Pontificis, can. auctoritatem & seqq. 15. qu. 6. Cap. constitutus, de rescript.

# CAPUT XVI.

## *Alii casus in quibus solus Papa dispensat. Dispensationum modus.*

DE plenitudine potestatis Summus Pontifex potest contra jus dispensare, cap. proposuit, de concess. Præbend. ut rigor Canonum circa interstitia Ordinum, relaxatus à Gelasio I. propter penuriam Clericorum, ortam ex variis cladibus belli & famis. Gelas. ipse epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ. *Necessariâ rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic Canonum paternorum decreta librare, & retrò Præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibitâ consideratione diligenti, quantùm potest fieri temperemus; quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, & reparandis militiæ Clericalis officiis, quæ per diversas Italiæ partes, ita belli famisque consumpsit incursio, ut in multis Ecclesiis usquequaque deficiente servitio ministrorum, nisi remittendo pauliſper Ecclesiasticis promotionibus, antiquitùs intervalla præfixa remaneant, sine quibus administrari nequeant, sacris ordinibus Ecclesiæ funditus destitutæ, atque in plurimis locis per inopiam competentis auxilii salutare subsidium redimendarum desit animarum, &c.* Sic ex dispensatione Monachos Nigros, id est Benedictinos, & Albos, ideſt Cistercienses, Templarios & Hospitalarios, ab onere præstandi decimas de laboribus suis, id est de propriis prædiis quæ propriâ manu, vel sumptu excolerent, exemere Pontifices, Cap. ex parte & seq. de decim. Cap. cùm Ordinem, de rescript. Ac Monachi primum hujusmodi exemptionis auctorem habuere Gregorium VII. ut refertur ab Alexandro III. in Concil. Lateranens. part. 13. cap. 9. inde Paschalem II. Can. Decimas 16. qu. 1. Summus Pontifex non potest dispensare contra jus divinum, Can. sunt quidam, & seq. 25. qu. 1. gloss. in d. cap. proposuit.

Dispensationes autem faciendæ sunt ex necessitate, ut tempestate navi periclitante, ejus levandæ gratiâ merces jactantur in marę, quò navis salva fiat; sic in dispensationibus Ecclesia-

ſticis juris rigor remittitur, nè Eccleſia majus diſpendium patiatur, ex Cyrillo Alexandrino ad Gennadium, in Can. diſpenſationes. 1. qu. 7. Diſpenſationes, inquam, faciendæ ſunt, pro neceſſitate temporum, ut conſulatur defectui ſeu malignitati temporum quæ vix ferunt diſciplinam, Can. fraternitatis 34. diſt. Joannes VIII. epiſt. 34. *Moderatio quippè Sedis Apoſtolicæ, & univerſalis Eccleſiæ diſpoſitio, in hoc periculoſo tempore penè cuncta diſpenſatoriè moderanda compellit.* Sciſſuræ & ſchiſmatis inter Regnum & Sacerdotium vitandi cauſâ diſpenſationem veluti malagma circa Inveſtituras laicas adhibendam cenſuit Ivo Carnotenſ. epiſt. 214. *Videmus enim ſciſſum Regnum & Sacerdotium, quibus tanquam principalibus & fortioribus paxillis tabernaculi Dei ſtatus firmiter figebatur, ne ullo impetu procellarum & turbinum everteretur. Ad hanc unitatem reſarciendam laborare debent membra Chriſti, quæ medicinaliter ferro putredines iſtas reſecarent, aut competenti diſpenſationis malagmate tantam ſciſſuram procurarent ſolidare; non enim in tanto ſalutis periculo, ſolus medicinæ rigor ſervandus eſt, ſed & diſpenſationis modus, qui nulli ſapienti diſplicuit, ad ſedandas tantas perturbationes in aliquibus admittendus eſt.*

Quibus de cauſis diſpenſationes faciendæ ſint rectè docuit & Goffrid. Vindocinenſ. Opuſc. 5. ad Callixtum II. *Diſpenſationes aliquando in Eccleſia faciendæ ſunt, non quidem amore pecuniæ, vel quolibet humano favore, ſed piâ & miſericordi intentione: tunc enim a Paſtore Eccleſiæ diſpenſatio piè & miſericorditer fieri creditur, cùm aliquid minùs perfectè ad tempus fit ab illo, vel fieri permittitur, non voluntate ſuâ, ſed aliorum neceſſitate, ne in ipſis videlicet fides Chriſtiana periclitetur:* Et paulò poſt: *Poſſunt etiam & debent fieri diſpenſationes, quibus Eccleſiarum & monaſteriorum conſuetudines immutentur; ſed ubi poſtponitur minus bonum, ut quod eſt melius inſtituatur.* Diſpenſatio non debet fieri, niſi ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ; aliàs non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio. Bernard. de Conſiderat. ad Eugen. lib. 3. *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt; utilitas dico communis, non propria: nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio.* Quæ eſt etiam ſententia Hoſtienſis in cap. niſi cum pridem, de renunciat. Necnon diſpenſationes quæ à jure exorbitant, veluti odioſæ ſunt reſtringendæ, nec producendæ ad alios caſus. Can. Cenomanenſem. 56. diſt. cap. 1. de filiis Presbyter. in 6. Inde quòd in Synodo Epheſinâ Euſthatius reſtitutus eſt Ordini Epiſcopali, non Cathedræ, Balſamo in epiſt. d. Synodi id actum ait ex diſpenſatione, κατ' οἰκο-

νομίας ; & quod ex dispensatione actum esset, non esse trahendum εἰς ὑπόδειγμα. Unde & in dispensationibus & privilegiis Ecclesiasticis non valet argumentum à majori ad minus, vel à simili. Cap. sanè. de privileg. Hostiens. in cap. postulastis, de rescriptis. Dispensationum Pontificiarum modum coërcendum esse unus è prioribus scripsit Tertullian. de pudicit. ubi ad Rom. Pontificem verba convertit. *Quòd si disciplinæ solius officia sortitus es, nec imperio præsidere, sed ministerio, quis aut quantus es indulgere?*

## CAPUT XVII.

*Appellationes ad Sedem Apostolicam. Solus Pontifex potest retractare sententiam suam. Absolutio excommunicationis contractæ ex can. Si quis suadente, reservata summo Pontifici.*

DE jure ab omnibus omisso medio ad Sedem Apostolicam appellatur, veluti ad caput omnium Ecclesiarum, can. ad Romanam. can. qui se scit. 2. qu. 6. can. Metropolitanum 2. qu. 7. can. Ipsi sunt canones. can. cuncta per mundum, 9. qu. 3. Inde suborta est nimia & insana licentia appellandi ad Sedem Apostolicam, magis suffugii quàm remedii causâ. Ivo Carnot. epist. 219. ad Paschalem II. *Flexis genibus cordis paternæ pietati supplicamus, ut de cætero senectutem meam, propter superfluam & impunitam appellatorum licentiam, vexari non permittas; dum enim premit nos à prælata potestate illata adversitas, regendi in nobis debilitatur auctoritas, cùm Ecclesiasticam in eos non audemus exercere disciplinam, qui eam adversùs nos appellant, non confidentiâ justitiæ, sed pro dilatione sententiæ.* Et idem epist. 274. ad eundem: *Quarum litterarum veritatem cùm Monachi* ( hi sunt Majoris Monasterii Turonensis ) *nullo judiciario ordine infirmare valuissent, nondum aliquo judicio prægravati, vel aliquâ in eos datâ sententiâ, non confidentiâ justitiæ, sed causâ afferendæ moræ, absentem & ægrotantem me ad Sedem Apostolicam invitaverunt.* Eadem est querela Bernard. de Consider. ad Eugen. lib. 3. *Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in testimonium singularis primatûs tui; at tu si sapis non primatu gaudebis,*

*ſed fructu... Denique appellantur Epiſcopi, nè illicita audeant matrimonia ſolvere, vel prohibere; appellantur nè rapinas, nè furta, ne ſacrilegia, & quæ ejuſmodi ſunt, punire ullatenus, vel cohibere præſumant; appellantur nè indignas & infames perſonas, à ſacris officiis beneficiiſve repellere ſeu amovere queant. Quod tu invenis remedium morbo huic, nè quod repertum ad remedium fuit, reperiatur ad mortem.* Et infrà : *Benè facis tu, quod appellationum negato ſuffragio, imò ſuffugio, multa remittis negotia ad cognoſcentes, vel qui noſcere citiùs poſſunt. Ubi enim certior ac facilior notio, ibi deciſio tutior expeditiorque eſſe poteſt, &c.* Sed hoc appellationum vitium ſublatum eſt per Pragmaticam, tit. de Cauſis §. ſtatuit, & §. nec ad quemcumque, & per Concordata, tit. de frivol. appell. Quibus concordi lege vetitum, nè appelletur ad Pontificem omiſſo medio, id eſt ut gradatim appellatio promoveatur ad proximum Superiorem.

Sola etiam Sedes Apoſtolica poteſt cognoſcere de viribus ſententiæ ſuæ; ſola poteſt retractare ſuam ſententiam, quia à nemine poteſt judicari. Can Patet. can. nemo. can. ipſi ſunt canones. can. cuncta per mundum. 9. qu. 3. can. nemini, 17. qu. 4. can. ſententiam 35. quæſt. 9. cap. tam ex litteris, de in integr. reſtitut. Ivo Carnotenſ. epiſt. 8. ad Richerium Archiepiſc. Senonenſem. *Cùm ad Romanam Eccleſiam principaliter & generaliſſimè pertineat, tam Metropolitanorum, quàm cæterorum Epiſcoporum conſecrationem confirmare, vel infirmare, conſtitutiones veſtras & judicia retractare, ſuas verò inconcuſſas retinere, & nullius inferioris judicio retractandas, vel corrigendas concedere.* Et idem epiſt. 95. ad Paſchalem II. *Et cùm judicium Apoſtolicum à nemine ſit foris retractandum vos ipſi perpendite, vos ipſi judicate, utrum ſynodalis ſententia apoſtolicis decretis, & canonicis ſanctionibus munita diſſolvi debuerit, ſine utriuſque partis audientia; nec enim indecens eſt, ſicut apoſtolicis docemur exemplis, & ſcriptis, ſi aliquando ſententiam mutet ipſe Apoſtolicus in melius, cùm aliquid ſubreptum, vel falſis precibus à Sede apoſtolica fuerit impetratum.* Et idem rurſus epiſt. 159. ad eundem : *Quoniam judicia Romanæ Eccleſiæ à nemine foris retractari poſſe, eadem Romanâ Eccleſiâ docente didicimus, ſi qui aliquando ſe prægravatos ipſius Eccleſiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis conſilium damus, ut non deſcendant in Ægyptum propter auxilium, ſed ab ipſa ad ipſam confugiant, & inde expetant levamen, unde ſe conqueruntur accepiſſe gravamen.*

Sunt etiam quidam caſus, quibus excommunicationis ſolutio reſervata eſt Sedi apoſtolicæ, ut qui incidit in canonem latæ ſen-

tentiæ ob violentam manuum injectionem in Clericum, ab alio absolvi non potest, quàm à Romano Pontifice, vel ejus delegato. Can. Si quis suadente, 17. qu. 4. cap. non dubium. cap. quamvis. de sentent. excommunicat. & solus Romanus Pontifex absolvit excommunicatum à se, vel à delegato. Cap. Pastoralis. §. prætereà. de offic. ordinar. Appellationem à Patriarcha C. P. ad Sedem apostolicam admisêre etiam Græci. Michaël Paleologus ab Arsenio Patriarcha excommunicatus ob excæcationem Lascaris, cui se socium Imperii obtruserat, sæpius petitâ ab eo absolutione excommunicationis repulsus, dixit se appellaturum ad Papam. Pachymer. lib. 3. cap. 19. ὡς ὅτι καὶ κανόνων ὑπερφρόνει δειζόντων μετάνοιαν, προσπίπτειν τῷ τῆς Ῥώμης Πάπα καιρὸς, & ἀντιβολεῖν σώζεσθαι. *Quoniam Patriarcha spernit Canones imponentes pœnitentiam, tempus est recurrendi ad Papam Romanum, & ab eo petendi salutis auxilium.*



# ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS VINDICIÆ ADVERSUS CAROLI FEVRETI ET ALIORUM TRACTATUS DE ABUSU.

## LIBER UNDECIMUS.

### CAPUT PRIMUM.

*Distinctio Ordinum Ecclesiasticorum constituit Hierarchiam Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Interstitia Ordinum. Eorum numerus. Laïci an inter Ordines Ecclesiæ. Plebs fidem tuetur. Minores seu Juniores Ecclesiæ.*

EMENSIS variis Jurisdictionis Ecclesiasticæ partibus, non alienum erit à proposito, percensere numerum personarum, in quibus jurisdictio Episcopalis versatur, putà Presbyterorum, Diaconorum, & inferiorum Clericorum, præmissis nonnullis de distinctione Ordinum Ecclesiasticorum ejusque causis, ex qua impri-

mis elucebit Hierarchicus Ordo Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Faceſſet invidia Clericorum, dum Minores intelligent, ſe eadem ferè poteſtate uti in ſubditos, quâ Epiſcopus in ipſos; ſubordinatis inter ſingulos Ordines ſacræ juriſdictionis apicibus. Obſtruetur maledicum os ſecularium dum ſcient eam per ſingulos Ordines ita diviſam, ut ejus vinculo conſtet pulcherrimus ordo Eccleſiæ.

In Hierarchia Eccleſiaſtica varii conſtituti ſunt Ordines, ad exemplum variorum ordinum Angelorum, qui à Deo in cœleſti Hierarchia, ritè conſtituti ſunt. Nimirum Hierarchia Eccleſiaſtica nihil aliud eſt, quàm exemplum, & ſimulachrum cœleſtis Hierarchiæ. Clemens Alexandrin. Stromat. lib. 6. Ἐπὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα, καὶ τῶν Ἐκκλησίων προκοπαὶ, Ἡπισκόπων, Πρεσβυτέρων, Διακόνων, μιμήματα εἶμαι ἀγγελικῆς δόξης, καὶ ἐκείνης δ' οἰκονομίας τυγχάνουσιν, ὧν ἀναμένειν φασὶν, οἱ γεγραφαὶ τὰς κατ' ἴχνος τῶν Ἀποστόλων ἐν τελειώσῃ δικαιοσύνης καὶ τὸ εὐαγγέλιον βεβιωκότας. *Nam hic quoque in Eccleſia progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ſunt, ut arbitror, imitationes gloriæ angelicæ & illius œconomiæ, ac diſpenſationis, quam dicunt Scripturæ illos expectare, qui inſiſtentes veſtigiis Apoſtolorum, vixerunt in perfectione juſtitiæ convenienter Evangelio.* Hinc propter futuram varietatem, & diſtinctionem ſacrorum Ordinum, Eccleſiam amictam varietate, id eſt variâ veſte, prævidit David, Pſalm. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdatâ varietate.* Nec Hierarchia Eccleſiaſtica conſtare potuit, abſque illa diſtinctione Ordinum, quia illa nititur duobus axibus, quibus concordia fovetur, nimirum ſubjectione & imperio, recto obſequio Minorum, & juſto imperio Majorum. Gregor. I. lib. 4. epiſt. 52. *Ad hoc diſpenſationis divinæ proviſio gradus diverſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam Minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diverſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum.* Can. ad hoc 89. diſt. In eandem ſententiam, idem ſanctiſſimus Pontifex, lib. 7. epiſt. 8. ind. 1. *Ad hoc locorum gradus rationis ordo diſtinxit, & judicia eſſe conſtituit, ut nec Præpoſitis in opprimendos ſe fruſtra valeant occupare ſubjectos, nec ſubjectis iterùm contra ſuos Præpoſitos, effrenata ſit reſiſtendi licentia.* Can. ad hoc 16. quæſt. 1.

Hierarchia Eccleſiaſtica conſtat ſubjectione & imperio. Minores enim ordine debent obſequium, & obedientiam Majoribus in his quæ ſpectant ad λειτουργίαν, ſeu miniſterium Ordinis. Sylveſter in Synodo Romana, can. 1. *Porrò Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Aco-*

*lytho Exorciſta, Exorciſtæ Lector, Lectori Oſtiarius, Oſtiario Abbas, Abbati Monachus in omni loco repræſentent obſequium, ſivè in publico, ſive in gremio Eccleſiæ.* Can. à Subdiacono 93. diſt.

Aliâ etiam ratione varii Ordines inſtituti ſunt in Eccleſia, ut ordinandi per varios gradus diutiùs probati digniores pervenirent ad Presbyteratum, & inde ad culmen Sacerdotii, quod eſt Epiſcopatus. Ideò repentinæ, & deſultoriæ ordinationes vetitæ, nevè quis ex laïco eligeretur in Epiſcopum, niſi priùs ſingulos Ordines juſto ſpatio temporis perfunctus eſſet, Concil. Sardicenſe, can. 13. ex ſententia Oſii Cordubenſis Epiſcopi. *Si fortè aut dives laïcus, aut ſcolaſticus de foro, aut de adminiſtratione Epiſcopus fuerit poſtulatus, ut non priùs ordinetur, niſi ante & Lectoris munere & officio Diaconi aut Presbyteri fuerit perfunctus, & ita per ſingulos gradus ſi dignus fuerit aſcendat ad culmen Epiſcopatus.* Can. Oſius. 61. diſt. Ideo & Clerici in ſingulis Ordinibus diutiùs commorabantur, nec dabatur progreſſus ad altiorem Ordinem, niſi longis interſtitiis. Zozimus, epiſt. 1. ad Heſychium, cap. 3. *In ſingulis gradibus hæc tempora ſunt obſervanda: Si ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, ut inter Lectores & Exorciſtas quinquennio teneatur; exinde Acolythus, vel Subdiaconus quatuordecim annis fiat, & ſic ad benedictionem Diaconatus ſi meretur accedat, in quo ordine quinque annis ſi inculpatè ſe geſſerit hærere debebit; exinde ſuffragantibus ſtipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, Presbyterij ſacerdotium poterit promereri; de quo loco, ſi eum exactior ad bonos mores vita perduxerit, ſummum Pontificatum ſperare debebit.* Can. in ſingulis 77. diſt. & Siricius epiſt. 2. ad Himerium, cap. 9. *Quicumque itaque ſe Eccleſiæ voverit obſequiis, à ſua infantia ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet miniſterio ſociari, qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſque ad vigeſimum ætatis annum, ſi probabiliter vixerit, unâ tantùm & ea, quam virginem communi per Sacerdotem benedictione percepit uxore contentus, Acolythus & Subdiaconus eſſe debebit; poſteaque ad Diaconii gradum, ſi ſe ipſum primitùs continentiâ præeunte dignum probaverit, accedat; ubi ſi ultra quinque annos laudabiliter miniſtraverit, congruè presbyterium conſequatur; exinde poſt decennium epiſcopalem Cathedram poterit adipiſci.* Can. quicumque. ead. diſt. & idem ejuſd. epiſt. cap. 13. *Monachos quoque quos tamen morum gravitas, & vitæ ac fidei inſtitutio ſancta commendat, Clericorum officiis aggregari, & optamus, & volumus, ita ut qui intra triceſimum ætatis annum ſint digni in Minoribus, per gradus ſingulos creſcente tempore promoveantur ordinibus, & ſic ad Diaconatus vel Presbyterii inſignia, maturæ ætatis conſecratione perveniant, nec ſtatim*

*ſaltu ad Epiſcopatûs culmen aſcendant.* Can. Monachos, 16. qu. 1. Inde Cato Presbyt. his rudimentis per ſingulos gradus provectus Arvernum Epiſcopatum ſibi deſpondebat, apud Gregor. Turon. lib. 4. cap. 6. *Nam & ipſos Clericatus gradus*, inquit, *canonica ſum ſemper inſtitutione ſortitus; Lector decem annis fui, ſubdiaconatûs officium quinque annis, diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui; Presbyterii autem jam honore viginti annis potior: quid enim mihi nunc reſtat, niſi ut Epiſcopatum, quem fidelis ſervitus promeretur accipiam?* A primoribus ſeculis varii & diſtincti fuere Eccleſiæ ordines; ſed pleriſque locis minorum non fit ſpecialis mentio; ſed majorum tantùm, ut Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum: Cæteri miniſtrorum appellatione vel alio verbo generali continentur. Optat. Milevit. lib. 1. *Quid commemorem laicos, qui tunc in Eccleſia nulla fuerunt dignitate ſuffulti? quid miniſtros plurimos, quid Diaconos in tertio, quid Presbyter in ſecundo Sacerdotio conſtitutos? ipſi apices & principes omnium Epiſcopi.* Hieronym. ad Luciferianos: *Similiter & Eccleſia multis gradibus conſiſtens, ad extremum Diaconis, Presbyteris Epiſcopiſque finitur.* Alibi inter Ordines Eccleſiæ Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & è minoribus, cæteris omiſſis, Lectores tantùm memorantur, ut in d. can. Oſius. cùm vetatur ne Epiſcopus ordinetur, niſi antè & Lectoris munere, & officio diaconi aut presbyteri fuerit perfunctus. Hieronym. in Ezechiel. lib. 8. cap. 27. *Quidam ridiculè gubernatores Epiſcopos hæreticorum, Conſiliatores Presbyteros, proceres Archidiaconos, remiges atque nautas Diaconos interpretantur: Lectores verò ad cunctum populum referunt.* Quod magis mireris, quinque Eccleſiæ ordines, & poſt Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, in quarto gradu fideles, in quinto catechumenos locat Hieronym. in Eſaiæ cap. 19. *Porrò qui in adventu Chriſti, & Romano imperio prophetiam diſſerunt, quinque civitates vel legem domini quæ in Alexandria primùm interpretata eſt, vel quinque Eccleſiæ ordines, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, Catechumenos ſentiunt.*

Sed ne amabo Hieronymus ſibi contrarius videatur, quod vix cadit in talem virum; non enim Laicos & Catechumenos hîc recenſere credendus eſt, tamquam ſacri Ordinis participes, cùm Laici omnino diſtinguantur à Clericis, ut in Concil. Chalced. can. 2. can. ſi quis Epiſcopus. 1. quæſt. 1. Sed fideles numerat hîc poſt Presbyteros, & Diaconos tamquam membra Eccleſiæ, quæ conſtat ex Clericis & Laïcis; ita Optatus, lib. 2. Certa membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Miniſtros & turbam fidelium. Imò & fideles non omnino ſunt ex-

tra Clerum, cùm obsignati sint baptismo, qui baptizatis quemdam Sacerdotii caracterem imprimit. Hieronym. ad Luciferianos. *Deponant sacerdotium laici, id est baptisma.* Et hoc sensu Tertullian. de Monogam. *Certè sacerdotes sumus à Christo vocati.* Et infr. *Sed quum extollimur & inflamur adversùs Clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo & Patri fecit.* Et idem in exhortat. ad castitatem cap. 1. *Nonne & laici sacerdotes sumus ?* Fideles laici gaudent quodam sacerdotii signo, propter merita fidei quæ omnium communis, quæ non solùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos pertinet, ex Nicolai I. epist. 8. can. ubinam. 96. dist. Sidon. libr. 4. epist. 15. *Fidei totos causa sollicitat.* Vel propter tenacitatem fidei de qua plebs maximè commendatur, Luc. 6. *Zelus apprehendit populum ineruditum.* Ambros. in Psalm. 118. serm. 17. *Plerumque Clerus erravit, sacerdotes mutaverunt sententiam, divites cum seculi istius terreno Rege senserunt, populus fidem propriam reservavit.*

In vetustiore Ecclesia minùs certus & constans videtur Ordinum Ecclesiasticorum numerus, propter varios census qui de his habentur, fortè pro varia consuetudine Ecclesiarum. Ex consuetudine Ecclesiæ Romanæ septem ab Episcopo ordines Ecclesiastici constituendi sunt ; Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii ; qui numerus & ordo traditus est à Caio & Sylvestro Pontificibus Romanis. Can. illud. 77. dist. Can. à Subdiacono. 93. dist. Anastas. in Caio. *Hic constituit ut ordinationes omnes in Ecclesia sic ascenderent, si quis Episcopus esse mereretur, ut esset Ostiarius, Lector, Exorcista, sequens Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur.* Hunc censum secuti Impp. in L. Presbyteros C. de Episc. & Cleric. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, & Acolythis, remisere onus personalium munerum. Isidorus his addit Psalmistam, Can. Cleros. 21. dist. can. perlectis. 25. dist. ut & Synodus 4. can. 10. Can. Psalmista. 23. dist. Fossarios adjungit auctor libri de 7. ordinib. Ecclesiæ, quos locat in primo gradu. Caio & Sylvestro hoc dissimilis Leo IX. in can. seriatim. 32. dist. quod ante Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos, ponit Clericos, his verbis : *Clericos tantùm, Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos.* Et hi fortè sunt qui dicuntur minores vel juniores Ecclesiæ. Conc. Parisiens. can. 10. cap 2. de foro competent. Matisconens. I. can. 8. Gregor. Tur. libr 3. cap. 12. *Erat autem ibi tunc temporis quidam Litigius ex minoribus, qui magnas sancto Quintiano parabat insidias,* Idem lib. 5. cap. 26.

*Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus & junioribus Ecclesiæ vel Basilicæ bannos jussit exigi, pro eo quod in exercitum non ambulassent.* & idem ejusd. libr. cap. 49. *Majores Clericos muneribus ditat, largitur vineas, prata distribuit; minores verò fustibus, plagisque multis etiam manu propriâ adfecit* Græcis Minores Clerici, λιτοὶ Παπαὶ dicuntur, ut in Novell. Alexii Comneni, λιτὸν παπᾶν, ἤτοι ἀναγνώστην, apud Leunclavium, & Balsam. in Photii Nomocan. tit. 1. cap. 34.

## CAPUT II.

### *Ostiariorum gradus & officium. Copiatæ laborantes, seu Fossores, horum officium.*

OSTIARII, ut ab infimo gradu provehamur ad superiores, constituunt primum gradum Ecclesiæ, iidemque sunt qui æditui, quos post Exorcistas & Lectores in imo gradu locat Hieronym. in epist. ad Titum cap. 2. *Et inferioris gradus Exorcistæ, Lectores, æditui.* Paulin. epist. 6. ad Severum: *Nam testor ipsum quia & ab æditui nomine, & officio optavi sacram incipere servitutem.* Cyprianum Antiochenum ex Mago & scelestissimo homine, Justinæ virginis quam insanè deperibat suasione Christianum effectum, primùm νεοκόρον, id est ædituum ordinatum, inde pastorem, refert Gregor. Nazianz. orat. 18. Πρόβατον ἱερὸν τῆς ἱερᾶς γίνεται ποίμνης, ὡς ἢ ἐγὼ τινος ἤκουσα καὶ νεωκόρος, εἶτα ποιμὴν, καὶ ποιμένων ὁ κράτιστός τε καὶ δοκιμάτατος. *Ac sacri gregis ovis sacra efficitur, atque etiam quemadmodum à quodam accepi ædituus; pastor deinde creatur, ac pastorum optimus, & probatissimus.* Νεοκόρος Græcis est ædituus. Suidas, νεωκόρος ὁ τὴν νεὰν κοσμῶν, καὶ εὐτρεπίζων, ἀλλ' οὐκ ὁ σαρῶν: *Qui templum ornat & parat, non autem qui templum verrit.* Julius Firmicus Mathes. lib. 3. cap. 10. *Erunt etiam ipsi Prophetæ, neocori aut præpositi templis, ac religionibus.* Ostiarii officium fores Ecclesiæ observare, fideles admittere, infideles & excommunicatos repellere, res Ecclesiæ tueri & custodire. Can. Cleros, in fin. 21. dist. can. perlectis. 25. dist. Unde & cùm ordinatur, claves Ecclesiæ ei traduntur ab Episcopo, his solemnibus verbis; *Sic age quasi redditurus Deo rationem, pro his rebus quæ his clavibus recluduntur.* Can. Ostiarius. 23. dist. Similiter apud Gentiles fuere æditui, &

ἱεροφυλάκες, qui præfuere custodiæ templorum. L. cùm pater. §. donationis. ff. de Legat. 2. L. annua, de annuis legat. L. 3. §. 1. de tabul. exhibend. Jul. Firmic. Math. libr. 8. cap. 21. *Aedituos faciet, templorumque custodes, Hierodulos, & qui sacris officiis deputentur.* Ostiariorum officium initiavit Christus, flagello ementes & vendentes è templo ejiciens, & mensas nummulariorum evertens, ut scribit Ivo Carnotens. serm. habito in Synodo, de sacris Ordinibus.

Ostiarios inter Ordines Ecclesiasticos post Copiatas seu Laborantes, quorum cura erat fideles mortuos efferre, numerat Epiphan. in expositione fidei Catholicæ, quæ est in calce Panarii. Λοναὸν δὲ καὶ κοπιαταὶ, οἱ τὰ σώματι περιστίλλοντες τῶν κοιμομένων, καὶ θυρωροὶ, καὶ ἡ πᾶσα εὐταξία. *Sequuntur Laborantes, qui mortuorum corpora sepeliunt, tum Ostiarij, ac reliqui disciplinæ causâ ordines instituti.* Ostiarios in secundo gradu post Fossarios, qui iidem sunt cum Copiatis, ponit auctor libri de septem Ordinib. Ecclesiasticis, qui editus est inter opera Hieronymi. Fossores inter ministeria ecclesiastica ponere videtur & Augustin. epist. 21. in Appendic. *Hinc etiam factum est, ut & Fossori diceretur, jam Timotheum cum ipsis fratribus fuisse profectum.* Et idem lib. 3. contra Crescon. cap. 29. *Januario, Marculio, Fructuoso, Miggene, Saturnio, Victore, Lansurico, & cæteris Fossoribus.* Eosdem inter Clericos censuit & ipse Hieronym. ad Innocent. *Clerici quibus id officij erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant.* Sed uti valdè dubium & inconstans est thema Minorum Ordinum in vetere Ecclesia, Ostiarios post Lectores & Psaltas, ante Copiatas & Exorcistas ponit Ignat. epist. ad Antiochenos: ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας, ψάλτας, πυλωρούς, τοὺς κοπιῶντας, ἐξορκιστὰς, ὁμολογητὰς. *Saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores.* In Liturgiis Basilii & Chrysostomi, Ostiarii à reliquis distinguntur, & ante Cantores nominantur. Ostiariorum officium etiam Presbyteros obiisse, & mansionarios seu custodes Ecclesiæ dictos insinuat Gregor. I. lib. 1. dialog. cap. 5. lib. 3. cap. 24. 25. & lib. 3. epist. 30.

## CAPUT III.

### *Lectorum gradus & officium ; Canonici Psaltæ.*

IN secundo gradu sunt Lectores, qui Græcis ἀναγνῶσται dicuntur can. illud. 77. dist. Multis tamen locis invenies Lectoratum primum gradum implere, & ab eo ad Diaconatum nullo medio ascensum dari. Conc. Sardic. can. 13. *Si fortè dives laicus aut scholasticus de foro aut de administratione Episcopus fuerit postulatus, non priùs ordinetur, nisi ante & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus.* Zozim. ad Hesychium epist. 1. cap. 3. *In singulis gradibus hæc tempora sunt observanda, si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, ut inter Lectores, & Exorcistas quinquennio teneatur.* Et Siricius ad Himerium epist. 1. cap. 9. *Quicumque itaque se Ecclesiæ voverit obsequiis, à sua infantia ante pubertatis annos baptizari & Lectorum debet ministerio sociari.* Et Gelas. ad Episcopos Lucaniæ epist. 1. cap. 3. *Monachus verò novitius, si morum honestate fulcitur, continuò Lector, vel Notarius, aut certè defensor effectus, post tres menses existat Acolythus.* Quæ omnia referuntur in can. in singulis. can. quicumque. can. Monachus. 77. dist. His moribus Felix Nolanus Episcopus primùm Lector, inde Exorcista ordinatus, de quo Paulin. Natali. 4. ipsius.

——*primis Lector servivit in annis,*
*Inde gradum cepit, cui munus voce fideli*
*Adjuvare malos & sacris pellere verbis.*

Pariter Joan. Chrysostomus primùm Lector ordinatus à Renone Episcopo, & paulò post Diaconus à Meletio, de quo Pallad. in ejus vit. Socrat. lib. 6. cap. 3. Quid Joannes ex Cabillonensi Bituricensis Episcopus, primùm Lector, tum Diaconus creatus? Sidon. libr. 4. epist. 25. *Lector hic primùm, sic minister altaris, idque ab infantia, post laborum, temporumque processu Archidiaconus.* Inde, ut suprà diximus, Cato Presbyter Arvernus de Episcopatus spe sibi blandiens, apud Greg. Tur. libr. 4. cap. 6. *Nam & ipsos*, inquit, *Clericatus gradus canonica sum semper institutione sortitus ; lector decem annis fui, Subdiaconatus officium quinque annis, Diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui, Presbyterii autem jam*

*jam honore viginti annis potior.* Gallum & Julianum Lectores fuisse in Nicomediensi Ecclesiâ testatur Gregor. Nazianz. Orat. 3. Socrat. lib. 3. cap. 1. de Juliano: καὶ δὴ τῆς ἐν Νικομεδείᾳ Ἐκκλησίας ἀναγνώστης καθίσταται. Idem Theodoret. lib. 3. cap. 2. Ex quo satis colligitur ab eo gradu ad altiores initia & cunabula cœpisse. Idem insinuat Can. Apostolor. 69. cùm Ordines Ecclesiasticos percensens solius Lectoratûs è minoribus Ordinibus meminit. In Ecclesia Alexandrina Lectoris officium minimè fuisse inter Ordines Ecclesiasticos argumento est, quòd in illa Ecclesia Lectores assumebantur ex fidelibus vel Cathecumenis, *qui nondum* erant baptisati. Socrat. lib. 5. cap. 21. ἐν τῇ αὐτῇ δὲ Ἀλεξανδρείᾳ ἀναγνῶσται, καὶ ὑποβολεῖς ἀδιάφοροι εἴτε κατηχούμενοι εἰσίν, εἴτε πιστοί, τῶν πάνταχου Ἐκκλησιῶν πιστοὺς εἰς τὸ τάγμα τοῦτο προβαλλομένων. *Itemque Alexandriæ Lectores & Interpretes, sive Cathecumeni sunt, sive fideles, nullo discrimine fiunt, cùm aliæ omnes ubique Ecclesiæ fideles solùm ad hoc munus admittant*; idem Niceph. lib. 12. cap. 34.

Lectorum officium est sacras Scripturas legere ex suggestu, Can. Cleros, 21. dist. Can. perlectis. 25. dist. ita ut eis non liceat sacras Scripturas legere, ἐπ' ἄμβωνος, priusquàm tonsuram clericalem, ἱερατικὴν κουρὰν, acceperint ab Episcopo. Synod. 6. in Trullo. cap. 33. Synod. 7. canon. 14. can. quoniam. 69. dist. Lectoris officium signat Theodoretus loco modò laudato, ubi de Juliano: Καὶ τοὺς τῶν ἀναγνώστων ἀξιώθη χοροῦ, καὶ τὰς ἱερὰς βίβλους ἐν τοῖς Ἐκκλησιαστικοῖς συλλόγοις ὑπανεγίνωσκε τῷ λαῷ. *In Lectorum numerum ascriptus est, & sacros codices in Ecclesiasticis conventibus perlegit.* Et Balsamo in canone quarto d. Synod. Trullens. τὸ τάγμα δὲ τῶν ἀναγνωστῶν οὐ διὰ τὸ ψάλλειν αὐτοὺς ἐτυπώθη, ἀλλὰ διὰ τὸ ἀναγινώσκειν ἐπ' ἄμβωνος τὰς θείας γραφὰς μετὰ τὴν ἀπόλυσιν τοῦ ὄρθρου. *Lectorum autem ordo non ut ipsi cantarent constitutus est, sed ut in ambone divinas Scripturas legerent post finitum matutinum.* Lectores legebant in ambone, quod inde dicitur tribunal lectorum. Sozomen. lib. 9. cap. 2. παρὰ τὸν ἄμβωνα, βῆμα δὲ τοῦτο τῶν ἀναγνώστων. *Circà ambonem quod est tribunal Lectorum.* Lectoris munus, est officium totius Ecclesiæ. Ideò unus legit, silente universâ plebe; Jo. Chrysost. in 1. ad Corinth. Homil. 36. καὶ γὰρ μίαν ἐν Ἐκκλησίᾳ δεῖ μονὴν εἶναι ἀεὶ, καθάπερ ἑνὸς ὄντος σώματος· διὰ τοῦτο καὶ ὁ ἀναγινώσκειν μόνος φθέγγεται, καὶ αὐτὸς ὁ τὴν Ἐπισκοπὴν ἔχων, ἄνεχεται σιγῇ καθήμενος. *Etenim in Ecclesia unam opportet semper esse vocem, tamquam unum sit corpus: propterea & qui legit solus loquitur, & is qui habet Episcopatum sustinet silentio sedens.* Lectore legente divinas Scripturas, quòd plebs minùs attenta esset dolet idem in acta

Apostolor. Homil. 19. μὴ ἐκεῖνον, id est, postquam Diaconus altâ voce clamavit, Sursum corda. ἄρχεται ὁ ἀναγνώσης τῆς προφητείας Ησαΐου, καὶ οὐδεὶς ὅπως προσέχει τις. *Post illum incipit Lector Prophetiam Isaiæ, & neque sic attendit quis.* Ob id lector cùm ordinatur accipit ab Episcopo codicem divinarum Scripturarum, quem lecturus est, his verbis eum affante Episcopo: *Accipe, & esto zelator verbi Dei, habiturus si fideliter, & utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverint.* Concil. Carthag. 4. can. 8. can. Lector. 24. dist. Lectores erant sub cura & potestate Primicerii. d. can. Perlectis; vel Archidiaconi ut in Ecclesia Cathaginensi. Optat. lib. 1. *Et Majorinus qui Lector in Diaconio Cæciliani fuerat.*

Lectoribus adjunguntur Psaltæ, can. Apostolor. 69. Synod. in Trull. can. 33. d. can. perlectis. & can. Cleros, 21. dist. Hoc commune fuit inter eos quod Psaltæ ex ambone canebant. Syn. Laod. can. 15. quo vetitum est nè quis alius canat in Ecclesia, præter canonicos Psaltas, qui pro suggestu legunt ex membranis, ἀπὸ διφθέρας. Psaltarum proprium & specialem Ordinem fuisse ex eo colligitur, quòd eadem Synodus eos vocat, κανονικοὺς ψάλτας, quasi Canoni seu laterculo Ecclesiæ adscriptos: Et Psaltarum ordinatio pertinet ad Episcopum ex Conc. Carth. 3. can. 21. can. Clericum 72. dist. ubi denegata Episcopo ordinatione alieni Clerici, *Clericorum autem* inquit, *nomen etiam Lectores & Psalmistæ & Ostiarii retinent.* Et quod Concil. Carth. 4. can. 10. in can. Psalmista, 24. dist. ait, Psaltas absque licentia Episcopi solâ jussione Presbyteri officium canendi posse suscipere, non tollit Episcopo ordinationem Psaltarum, sed potiùs tribuit etiam Presbyteris jus ordinandi Cantores, ut in can. 14. Synod. 7. Abbati præter Episcopum tribuitur jus ordinandi Lectorem in proprio Monasterio. d. can. quoniam. Psaltas etiam inter Ecclesiasticos Ordines recensendos, quòd Angelicos choros repræsentent, insinuat Cyrill. Hierosolymit. Cateches. 13. οἴδασιν οἱ σπουδαῖοι τῆς Ἐκκλησίας ψαλμῳδοί, οἱ τὰς ἀγγελικὰς μιμούμενοι στρατείας, καὶ πάντοτε τὸν Θεὸν ὑμνοῦντες, οἱ καταξιούμενοι ψάλλειν ἐν τῷ Γολγοθᾷ. *Sciunt hoc studiosi Ecclesiæ Psalmistæ, qui Angelicos imitantes exercitus, semper Deum laudibus celebrant, qui digni habiti sunt psallere in hoc sancto Golgotha.* Non semper tamen Psaltæ fuere in ordine Clericorum, quia crebriùs assumebantur ex Eunuchis qui erant impotes Ordinis Ecclesiastici Balsamo. in can. 4. Synod. 6. in Trullo: ὅτι τὸ παλαιὸν οὐκ ἀπὸ εὐνούχων μόνον τὸ τῶν ψαλτῶν τάγμα συνίστατο καθὼς γίνεται σήμερον ἀλλὰ καὶ ἀπὸ μὴ τοιούτων. *Quod olim Cantorum ordo non ex eunuchis solùm, ut hodie fit, constituebatur, sed & ex iis*

*qui non erant ejusmodi.* Et quod spectat consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, Cantores non numerantur inter Ordines Ecclesiasticos in Can. illud. 77. dist. can. à Subdiacono 92. dist. & Psaltarum munus, non est proprius & specialis ordo, sed potiùs officium, quod est commune Clericorum, maximè inferiorum. can. in sancta. 92. dist. Gregor. Tur. libr. 1. cap. 29. *Clerici ordinati ritum psallendi suscipiunt.*

## CAPUT IV.

### *Exorcistarum gradus & officium. Exorcistæ noti etiam paganis.*

TERTIUS inter Ordines Ecclesiasticos gradus est Exorcistarum, quorum officium est Cathecumenis & Energumenis, qui à dæmone vexantur, manum imponere, & exorcismis, id est solemnibus adjurationibus dæmones fugare. Can. Cleros. 21. dist. can. perlectis 25. dist. Hieronym. in Matth. cap. 12. in illud Christi, *Si ego in Beelzebud ejicio dæmonia. Exorcistas qui ad invocationem Dei ejiciebant dæmones coarctat, interrogatione prudenti, ut confiteantur Spiritûs sancti esse opus.* Augustin. libr. contra Donatistas post collationem cap. 25. *Quando enim dæmon sic Exorcistam timeret, quomodo timuerunt ne illa legerentur.* Et idem de Civit. Dei libr. 10. cap. 22. *Vera pietate homines Dei aëream potestatem inimicam, contrariamque pietati exorcizando ejiciunt.*

Prioribus Ecclesiæ temporibus exorcizandi officium non fuit ordo Ecclesiasticus, sed donum fugandi dæmones, fuit gratia gratis data, quam Christus impertivit fidelibus. Auctor Constit. Apostolicarum libr. 8. cap. 26. Ἐξορκιστὴς οὐ κειροτονεῖται, εὐνοίας γὰρ ἐκοσίου τὸ ἔπαθλον, καὶ χάριτος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Exorcista non ordinatur; hoc enim munus certamen est liberæ voluntatis & gratiæ Dei, per Christum & adventum Spiritûs sancti.* Exorcizandi officium fidelibus commune fuisse signat Tertullian. de Coron. milit. *Et excubabit pro templis quibus renunciavit, & cenabit illic ubi Apostolo non placet, & quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit.* Etiam gentiles habuere exorcistas dæmonum. Jul. Firmic. Mathes. libr. 3. cap. 5. *Erunt autem omnibus dæmonibus terribiles, quorum adventum pravi dæmonum spiritus*

*fugiant, & qui sic laborantes homines non vi verborum, sed solâ sui ostensione liberent.* Et idem cap. 9. ejusd. libr. *Faciet Exorcistas, & qui laborantes dæmonum incursione homines, aptis remediis liberent; unde ex his artibus maxima illis substantia conferatur.*

Rebus Ecclesiæ melius constitutis, Exorcistarum munus inter Ordines Ecclesiasticos ascitum est. can. illud. 77. dist. can. à Subdiacono. 92. dist. Exorcistas inter Ordines Ecclesiasticos connumeravit Ignat. epist. ad Antiochen. & exorcisandi officio interdictum his, qui ab Episcopo ordinati non essent. Conc. Laodic. can. 26. can. non oportet, 69. dist. inde Exorcista Ordinationem accipit ab Episcopo, per manuum impositionem, & cùm ordinatur de manu Episcopi, traditur ei libellus, quo continentur Exorcismi dicente Episcopo : *Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum, sive Catechumenum.* Concil. Carth. 4. can. 7. can. Exorcista. 23. dist. Conc. Aquisgran. 1. can. 4. Exorcisandi dæmones vim & potestatem propriam Christianorum esse intellexit Ulpianus Christiani nominis hostis acerrimus, cùm in L. 1. ff. de extraord. cogn. tradidit exorcizandi verbum esse impostorum. Exorcistas inter Ecclesiasticos Ordines refert Gratian. in L. 121. C. Th. de decur. ex qua Presbyteri, Diaconi & Exorcistæ assumpti ex Curialibus, liberantur curiæ nexibus : & Valentinian. in L. Presbyteros, C. de Episc. & Cleric. ex qua Presbyteri, Diaconi Exorcistæ & alii minores Clerici solvuntur muneribus personalibus.

## CAPUT V.

### *Acolythorum gradus & officium.*

QUARTUS gradus est eorum qui à Græcis ἀκολουθοὶ dicuntur, id est comites, seu assectæ; quorum officium fuit comitari Episcopum, vel Presbyterum. Can. Cleros. 21. dist. can. perlectis 25. dist. Ut Episcopi enim Clericos vel Monachos electos in obsequio sui ministerii habeant, qui sint testes conversationis, variis constitutionibus Pontificiis sancitum; Can. cum Pastoralis, can. Episcopi. 2. quæst. 1. can. jubemus. de consecr. dist. 1. In Synodo Romæ habita in causa Symmachi Papæ, Epis-

copi & Presbyteri jussi Clericos contubernales habere, quos Concellaneos vocant, perpetuos testes vitæ, ad amovendas maledicorum calumnias, quibus gravius vexatus fuerat Symmachus. Ennodius Diaconus in libello apologetico, quem scripsit pro Symmacho. *Nullum ergo Sacerdotum antiquis & modernis legibus obsequentem, nullumque Levitarum, sine bene probatâ volumus in quocumque loci manere persona, vel quem substantiæ exilitas non permiserit habere consortem, ipse Concellaneus fiat alterius.* Clericos vigiliæ, & quietis testes habuit Etherius Lexoviensis Episcopus, dispositis circa lectum suum multis lectulis Clericorum. Gregor. Turon. lib. 6. cap. 36. *In stratum suum quievit, habens circa lectum suum multos lectulos Clericorum.* Etiam Archipresbyteros, ne in vico vel rure sint sine Lectore, vel alio Clerico vetuit Synod. Tur. 2. can. 20. *Quotiescumque Archipresbyter, seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus lector canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet.* Etiam Diaconi habuere Acolythos in obsequio & comitatu. Gregor. I. lib. 7. epist. 7. ind. 1. *Comperimus autem quod Petrus Acolythus, quem dilectissimo filio nostro Sabiniano Diacono responsa Ecclesiastica facienti observare, in urbe regiâ feceramus, fugiens ad vestram Ecclesiam venerit.* Verùm remittente disciplinâ Episcopis & Presbyteris non ferentibus contubernium, & testimonium Clericorum, ne Acolythi otiosi & inutiles essent, eorum opera translata est ad curam luminarium: unde passim ceroferarii dicti ex Isidoro d. Can. Cleros, & Conc. Aquisgranens. 1. can. 5. unde Acolythus cùm ordinatur ab Episcopo, accipit ceroferarium cum cereo, & urceolum vacuum, quod præcipuæ sint ejus partes gestare luminaria, & ministrare vinum in Eucharistiam sacri sanguinis Christi. Can. Acolythus 23. dist.

## CAPUT VI.

### *Subdiaconorum gradus, & Officium.*

QUINTUS gradus est Subdiaconorum, qui Græcis ὑποδιάκονοι; hi sunt adjuvæ Diaconorum; eorum antiquissimum est institutum ac penè coævum origini Diaconorum. Hypodiaconorum meminit Can. Apostolor. 43. ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης,

ὁ ψάλτης : Hypodiaconus, vel Lector, vel Cantor. Et Ignat. epist. ad Antiochen. ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας, ψάλτας, &c. Saluto Subdianos, Lectores, Cantores. Multis seculis Subdiaconatus non fuit sacros inter Ordines ; Presbyteratum & Diaconatum solos sacros Ordines Ecclesia primitiva agnovit, & Subdiaconatus primùm inter sacros Ordines ascitus Constitutione Gregorii I. vel Urbani I. can. nullum. 28. dist. can. ante triennium. 31. dist. can. quia juxta. 5. qu. 6. cap. à multis, de ætat. & qualit. præfic. cap. miramur. de servis non ordinand. Subdiaconatum primitùs non fuisse sacrum Ordinem, variis argumentis probatur : primum est quod cùm Subdiaconus ordinatur, manuum impositionem non accipit, sed patenam & calicem inanes, de manu Episcopi ; urceolum verò cum aquamanili, & manutergio de manu Archidiaconi. Concil. Carth. 4. can. 5. Can. Subdiaconus 23. dist. Conc. Aquisgran. I. can. 6. quæ sunt propria instrumenta ministerii Subdiaconi ; & Subdiaconus depositus ubi restituitur, de manu Episcopi recipit patenam & calicem. Can. Episcopus. 11. qu. 3. Secundum est, quod Chorepiscopis licebat ordinare Subdiaconos, Lectores, & Exorcistas, non Presbyteros & Diaconos. Concil. Antioch. can. 10. Leo. epist. 86. can. quamvis. 68. dist. Tertium additur quod Subdiaconis non licet sacrarium sive secretarium, quod Græci διακόνιον, ingredi, vel uti Orario, quod est proprium Presbyterorum & Diaconorum. Conc. Laodicen. can. 21. & 22. Concil. Agath. can. 66. can. ministrum. can. non oportet. 23. dist.

Subdiaconi officium est, ministrare Diaconis, eorum præceptis parere, oblationes à fidelibus suscipere, & Diaconis altari imponendas deferre. Can. Cleros. 21. dist. Ejusdem est calicem & patenam inanes ad altare deferre, & Diacono tradere, eique ministrare ; urceolum quoque & manutergium tenere ; Episcopo, Presbyteris, & Diaconis, pro lavandis ante altare manibus aquam præbere. Can. perlectis. 25. dist. Ivo Carnot. in serm. habito in Synod. de sacris Ordinib. aliàs Subdiaconis non licet attingere vasa dominica, d. can. non oportet. Hypodiaconorum etiam est tempore sacrorum fores Ecclesiæ observare, d. Can. ministrum. Cathecumenos & pœnitentes introducere, & educere, uti docet Balsamo, in d. can. 21. Conc. Laodicen. Subdiaconorum munus est ministrare Diaconis ; unde dicuntur, ὑπηρέται, ministri, ut distinguantur à Diaconis, d. can. ministrum. Et ministerii causâ licuit Subdiaconis sanctuarium ingredi, Cedren. in Romano Lacapeno : Θεοφύλακτον ὁ Πατείαρχης ἀπέ-

κειρε κληρικὸν χειροτονήσας αὐτὸν ὑποδιάκονον προκειρίσαμενος, καὶ Σύγκελλον πρότερον διελθόντα εἰς τὰ ἅγια μετὰ τοῦ τάγματος τῶν ὑποδιακόνων. *Theophilactum Patriarcha radit, ac Clericum facit, & Subdiaconum, ac Syncellum designat, cùm priùs in sanctuarium intrasset cum ordine Subdiaconorum.*

# CAPUT VII.

## *Diaconorum gradus, & varia munia.*

SEXTUS gradus est Diaconorum ascendendo ab inferioribus Ordinibus, qui descendendo ab Episcopis & Presbyteris sunt in tertio gradu. Optat. Milevit. lib. 1. *Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerunt dignitate suffulti? quid ministros plurimos, quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos?* Hoc censu Diaconi semper post Episcopos & Presbyteros enumerantur. Can. Apostolor. 68. 69. 70. εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος. Idem Optatus lib. 2. *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Ministros, & turbam fidelium:* & idem eodem lib. *Invenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos, fecistis laïcos.* Diaconi ab Apostolis instituti, ut Christianis in commune vescentibus, mensis ministrarent, quò ipsi hoc onere soluti, verbi Dei prædicationi expeditiùs se darent, Act. Apostolor. 6. Unde ab Hebræis Diaconi nuncupati Azanitæ, id est adjutores, Epiphan. hæres. 30. art. 11. καὶ Ἱερέων, καὶ Πρεσβυτέρων, καὶ Ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς Διακόνων ἑφμηνευομενων ἢ ὑπερέτων, *Et Sacerdotes, ac Presbyteros & Azanitas: quo nomine Diaconos, aut ministros appellant.*

Scopum institutionis Diaconorum explanat Cyprian. ad Rogatian. epist. 69. *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos, & Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in cælos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.* Can. Dominus, 93. dist. & Ambros. in Lucam, lib. 7. cap. 9. *Nam & Apostoli nè occuparentur studio dispensandi, ministros pauperibus ordinarunt, & ipsis cùm à Domino mitterentur, neminem in via salutare præscriptum est, non quò benevolentiæ displiceret officium, sed quò persequendæ devotionis intentio plus placeret.*

Diaconi ab Apoſtolis ſeptem ordinati. Hic numerus diu permanſit in Eccleſia Romana ; in aliis varius fuit pro voluntate Epiſcopi. Sozomen. lib. 7. cap. 19. Διάκονοι ὧν παρὰ Ῥωμαίοις εἰσέτι νῦν ἑπτά εἰσιν οὐ πλείους, καθ' ὁμοιότητα τῶν ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων χειροτονηθέντων, παρὰ ἄλλοις δὲ διάφορος ὁ τούτων ἀριθμός. *Diaconi apud Romanos hactenus non plures ſunt, quàm ſeptem ad ſimilitudinem eorum qui ab Apoſtolis ordinati fuerant ; apud alios verò numerus horum varius eſt.* Licet ſeptenarius numerus Diaconorum etiam in magnis civitatibus, καὶ τὸν κανόνα, id eſt juxta inſtitutum apoſtolicum reſtitutus ſit. Conc. Neocæſar. can. 15. can. Diaconi ſeptem, 93. diſt. Synod. 6. in Trull. can. 16. Aquiſgran. can. 7.

Diaconi ab apoſtolis inſtituti ut menſis miniſtrarent ; verùm excreſcente multitudine fidelium, ſublatâ menſarum communione, non deſiit Diaconorum officium, ſed ad alia Eccleſiaſtica officia converſum. Diaconorum officium maximè verſatur in miniſterio ſacrorum. Diaconi miniſtri Epiſcoporum, & Presbyterorum. Conc. Nic. can. 18. can. Pervenit 93 diſt. Ignat. epiſt. ad Heronem Diaconum Antiochenum. μηδὲν ἄνευ τῶν Ἐπισκόπων πράττε, ἱερεῖς γὰρ εἰσὶ σὺ δὲ Διάκονος τῶν ἱερέων ; ἐκεῖνοι βαπτίζουσιν, ἱερουργοῦσι, χειροτονοῦσι χειροθετοῦσι, σὺ δὲ αὐτοῖς διακονεῖς. *Nihil ſine Epiſcopis operare, ſacerdotes enim ſunt, tu autem Diaconus ſacerdotum : illi baptizant ſacrificant, manus imponunt ; tu autem ipſis miniſtras.* Diaconorum officium eſt aſſiſtere, ac miniſtrare ſacerdoti ſacrificanti, can. perlectis 25. diſt. Dionyſ. de Hierarch. Eccleſiaſtic. cap. 3. οἱ δὲ ἀπὸ λειτουργικῆς διακοσμήσεως ἐκκεκριμένοι σὺν τοῖς ἱερεῦσιν, ἐπὶ τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ προτιθέασι τὸν ἱερὸν ἄρτον, καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον. *Electi porro ex ordine eo qui miniſtrat, cum ſacerdotibus in divino altari proponunt ſacrum panem, & benedictionis calicem.* Auctor Conſtitut. apoſtolicar. libr. 2. cap. 57. οἱ δὲ Διάκονοι μετὰ τοῦ προσευχομένου οἱ μὲν τῇ προσφορᾷ τῆς εὐχαριστίας σχολαζέτωσαν ὑπηρετοῦμενοι τῷ κοσμικῷ σώματι μὴ φόβῳ, &c. Propterea Laurentius Diaconus Sixtum properantem ad Martyrium ſic affatus apud Ambroſ. de offic. libr. 1. cap. 41. *Quò Sacerdos ſanctè ſine Diacono properas ? numquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras, cui commiſiſti dominici ſanguinis conſervationem, cui conſummandorum conſortium ſacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas.* In ipſo ſacrificio Diaconus Epiſcopo & Presbyteris aquam porrigit lavandis manibus, Cyrill. Hieroſolymit. Catecheſ. 5. ἑωράκατε τοίνυν τὸν Διάκονον τὸ νιπτῆρα διδόντα τῷ ἱερεῖ, καὶ τοὺς κυκλῶσι τὸ θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ Πρεσβυτέροις. *Vidiſtis igitur Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis qui circum altare Dei ſtant Presbyteris.*

Diaconi

Diaconi circumstant Episcopum sacrificantem, tenentes flabella ad arcendas muscas, & ventulum faciendum Pontifici. Auctor Constitut. Apostolic. lib. 8. cap. 13. Δύο δὲ διάκονοι ἐξ ἑκατέρων τῶν μέρων τοῦ θυσιαστηρίου κατεχέτωσαν ἐξ ὑμένων λεπτῶν ῥιπίδιον, ἢ πτερῶν ταῶνος ἢ ὀδόνης, καὶ ἥρεμα ἀποσοζείτωσαν τὰ μικρὰ τῶν ὑπταμένων ζώων, ὅπως ἂν μὴ ἐγχοίηπτωνται, εἰς τὰ κύπελλα. *Duo verò Diaconi ex utraque parte altaris teneant flabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, ut parva animalia volitantia abigant, nè in calicem incidant.* Jo. Moschus in Limonar. cap. 151. Καὶ τῶν Διακόνων κιγχλισάντων τὸ θυσιαστήριον ἤρξατο, ὁ Επίσκοπος τῆς ἁγίας ἀναφορᾶς. Et paulò post: πλὴν τὸν διάκονον τὸν κατέχοντα τὸ ῥιπίδιον ἀπόστησον ἐκ τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου. *Diaconis altare circumdantibus, cœpit Episcopus sanctam Missam. Diaconum illum prope me assistentem, qui flabellum tenet, ab altari remove.* Et idem, cap. 196. de pueris Apamiensibus qui per ludum sacrum faciebant, è quibus duo velut Diaconi Presbytero assistebant, καὶ παρίστανται ὁ μὲν ὡς Πρεσβύτερος, οἱ δὲ ὡς διάκονοι ἔνθεν, καὶ ἔνθεν, καὶ ὁ μὲν τὴν προσκομιδὴν ἔλεγεν, οἱ δὲ τοῖς φακιολίοις ἐῤῥίπιζον. *Assistuntque unus quidem ut Presbyter, duo verò alij hinc & inde, ut Diaconi; & ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat: illi verò fasciolis pro flabellis auram faciebant.* Diaconi dum sacra peraguntur, alii observant fores Sanctuarii, Ignat. epist. ad Antiochenos: ἀσπάζομαι τὰς φρουροὺς τῶν ἁγίων πυλώνων, τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους. *Saluto custodes sanctarum portarum, existentes in Christo Diaconos.* Alii fores Ecclesiæ, nimirùm eas quibus viri egrediuntur; Hypodiaconi enim adstant ad fores quibus mulieres egrediuntur. Auctor Constitut. Apostolicar. lib. 8. cap. 11. οἱ δὲ διάκονοι ἱστάθωσαν εἰς τὰς τῶν ἀνδρῶν θύρας, καὶ οἱ ὑποδιάκονοι εἰς τᾶς τῶν γυναικῶν. *Diaconi autem stent ad januas, quibus viri ingrediuntur, & Hypodiaconi ad januas quibus mulieres.*

Diaconi etiam munus est Evangelium legere. Can. perlectis, 25. dist. can. in sancta. 92. dist. Auctor. Constit. Apostolic. lib. 2. cap. 57. καὶ μετὰ ταῦτα διάκονος, ἢ Πρεσβύτερος ἀναγινωσκέτα τὰ εὐαγγέλια. *Postea diaconus aut Presbyter evangelia legat.* Hieronym. in Sabinianum Diaconum. *Exanguis, marcidus, pallidus, ut suspicione omni careres, Evangelium Christi quasi diaconus lectitabas.* Joan. Chrysost. de divers. utriusque testam. loc. serm. de Circo. τοῦ διακόνου ἀνοίγειν μέλλοντος τὸ τοῦ εὐαγγελίου τετράθυρον, πάντες αὐτῷ ἀτενίζομεν ὑσυχίαν παρέχοντες. *Diacono jam quatuor Evangelij fores aperturo omnes in ipsum intuemur, silentium præbentes.* Greg. Turon. lib. 8. cap. 4. *Procedente Diacono cum sancto Evangeliorum libro, nuncius Regi*

*advenit, unaque vox fuit pronunciantis lectionem Evangelicam, ac nuncij dicentis, Filius natus est tibi, &c.* Diaconi habitu Sigismundum Imper. Romæ in basilica sancti Petri Pontifice Missam celebrante, Evangelium legisse refert Alanus Quadrigarius scriptor vernaculus, in vita Caroli VII. ad ann. 1437. *Le lendemain vint l'Empereur à la Messe à saint Pierre de Rome, & le Pape chanta la Messe, & l'Empereur dit l'Evangile en habit de Diacre.* Quâ religione legeretur Evangelium si scire amas, non priùs Diaconus legebat Evangelium quàm lotis manibus. Joan. Chrysost. Homil. 7. ad Populum Antioch. Καὶ εἰ μὴ δυαγγέλιον κατασχεῖν δεῖ τὰς χεῖρας ἀπονιψάμενος, μὴ πολλῆς τῆς αἰδοῦς, καὶ τῆς εὐλαβείας εἰσῇων, καὶ δεδοικὼς κατέχῃς. *Et si Evangelium quidem capere oporteat, manibus lotis & cum multa reverentia, & cum religione tremens & timens sumis.* Pari religione usi juraturi super sacrosanctis Evangeliis. Ambros. in Psalm. 61. *Juravit nè pejeraret, lavit manus cùm Evangelium tangeret, ne quid deesset exemplo.* Diaconi etiam est populo indicere preces, jubente Episcopo. Socrat. lib. 8. cap. 2. Καὶ προστάξας διακόνῳ κηρύξαι λυχνὸν, εὐθὺς ψαλμὸν λέγεσθαι παρεσκεύασε. *Dat mandatum diacono ut preces populo prædicaret, psalmum recitare jubet.* Augustin. epist. 119. *Quando autem non est tempus cùm in Ecclesia fratres congregantur sancta cantandi, nisi cùm legitur, aut disputatur, aut antistites clarâ voce deprecantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur.* Diaconus indicit preces pro defunctis. Joan. Chrysostom. in Acta Apostolor. Homil. 21. Οὐκ ἁπλῶς ὁ διάκονος βοᾷ, ὑπὲρ τῶν ἐν Χριστῷ κεκοιμημένων καὶ τῶν τὰς μνείας ὑπὲρ ἐκείνων ἐπιτελούντων, ἐκ ὁ διάκονος ἐστιν ὁ ταυτὴν ἀφιεὶς τὴν φωνὴν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα, ἐ τὸ ἅγιον, τὸ ἴλασμα λέγω. *Non simpliciter diaconus clamat pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt; non diaconus est qui talem illam vocem emittit; sed Spiritus non sanctus, inquam, sed donum.*

Præter lectionem Evangelii, Diaconus ad Missam Psalmum decantat: Athanas. apolog. 1. de fuga. καθεζθεὶς ἐπὶ τοῦ θρόνου πρεσβύτερον τὸν μὲν Διάκονον ἀναγινώσκειν ψαλμὸν. *Sedens in cathedra, jussi Diaconum Psalmum recitare.* Gregor. Tur. libr. 8. cap. 13. *Interea post medium prandii peractum jubet Rex, ut Diaconum nostrum, qui ante diem ad missas Psalmum responsorium dixerat, canere juberem.* In ipso sacrificio missæ, Diaconus preces Deo offert pro plebe. Joan. Chrysostom. Homil. 14. in epist. ad Roman. τοῦ καὶ νῦν σύμβολον ἔχων ὁ Διάκονος, τὰς ὑπὲρ τοῦ δήμου ἀναφέρων δυχάς. *Cujus & nunc signum Diaconus est, pro populo preces Deo offerens.* Et hoc est quod dicitur in d. can. perlectis ad Diaconum pertinere officium

precum. Ad Diaconum quoque pertinet recitatio nominum, d. can. perlectis, id est Diaconus in missæ solemni recitat nomina offerentium dona. Hieronym. in Ezechiel. libr. 6. cap. 18. *Publicéque Diaconus in Ecclesiis recitet offerentium nomina, tantùm offert ille, tantùm ille pollicitus est.* Orationis causâ, ne turbetur sacrificium, Diaconi silentium indicunt. Auctor Constit. Apostolicar. libr. 8. cap. 11. Καὶ ἀλλοὶ Διάκονοι περιπατείτωσαν, καὶ σκοπείτωσαν τοὺς ἄνδρας, καὶ τὰς γυναίκας, ὅπως μὴ θορυβός τις γένηται, καὶ μὴ τίς νεύσῃ, ἢ ψιτυρίσῃ ἢ νυστάξῃ. *Alii Item Diaconi deambulent, & contemplentur viros & mulieres ne quis fiat strepitus, ne quis nutus faciat, aut mussitet, aut dormitet.* Synes. epist. 67. κατασιγαζόντων δὲ τῶν ἱεροκηρύκων, εἰς δρῦνον αὐτοῖς ἀπετελεύτησεν ἡ βοὴ. *Cùm autem sacri præcones audientiam facerent, desiit in fletum clamor.* Gregor. Turonens. libr. 7. cap. 8. *Unde factum est ut quadam die Dominica, postquam Diaconus silentium populis, ut missæ auscultarentur indixit.* Sub oblationem Eucharistiæ Diaconus altâ voce clamat, Sursum corda haberi ad Deum. d. can. perlectis. Joan. Chrysostom. Homil. 29. ad Antiochenos. καὶ γὰρ αὐτὸ τοῦτο παρακελεύασθαι τὸν Διάκονον, ἅπασι καὶ λέγειν ὀρθοὶ στῶμεν καλῶς, οὐκ ἁπλῶς, οὐδὲ εἰκῇ νενομοθέτητα. *Haud enim illa Diaconi exhortatio, sic omnes alloquentis, Erecti stemus honestè, frustra instituta est.* Et idem in acta Apostolor. homil. 19. κοινὸς Διάκονος ἕστηκεν ὁ Διάκονος μέγαβοῶν, καὶ λέγων πρόσχωμεν, καὶ τοῦτο πολλάκις. *Communis Diaconus stat, Diaconus altâ voce clamans & dicens, Attendamus; & sæpius illam vocem clamans.* Idem Diaconus in sacra Synaxi subinde clamat, Alii alios noscite. Joann. Chrysost. homil. 34. ad Antiochenos. Οὐκ ὁρᾶτε ἐπὶ τῶν μυστηρίων τι βοᾷ συνεχῶς ὁ Διάκονος, ἐπιγινώσκετε ἀλλήλους, πῶς ὑμῖν ἐγχειρίζει τὴν ἀκριβεῖ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν ἐξέτασιν. *Non attenditis quid in sacra Synaxi, Diaconus subinde clamet, Alij alios noscite, quomodo in fratres studiosè inquirendi manum vobis porrigat.* Idem ante oblationem Eucharistiæ arcet Catechumenos, & pœnitentes, clamans ne quis è Catechumenis, vel pœnitentibus. Joann. Chrysostom. de divers. utriusq. testam. loc. serm. in parabolam de filio prodigo. de Diaconis: καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ περιτρεχόντων καὶ βοώντων, μὴ τις τῶν κατηχουμένων, μὴ τις τῶν μὴ ἐθιόντων, μὴ τις τῶν κατασκόπων, &c. *Et qui in Ecclesia discurrunt clamantque, ne quis ex Catechumenis, ne quis eorum qui non edunt, ne quis ex exploratibus.* Idem auctor Constit. Apostolicar. libr. 8. cap. 12. Εὐθὺς ὁ Διάκονος λέγει μὴ τις τῶν κατηχουμένων, μῆ τις ακροωμένων, μῆ τις τῶν ἀπίστων, μὴ τις τῶν ἑτεροδόξων, οἱ τὴν προτὴν εὐχὴν εὐχόμενοι προέλθετε. *Statim edicat Diaconus: Ne quis ex Catechumenis, ne quis ex audientibus id est*

*pœnitentibus, ne quis ex infidelibus, nè quis ex hæreticis, qui primam precationem fecistis exite.* Diaconus etiam excommunicatos ejicit limine Ecclesiæ, tum pro eisdem orat. Idem libr. 2. cap. 16. Ἰδὼν δὲ σὺ τὸν ἡμαρτηκότα πικρανθεὶς κέλευσον αὐτὸν ἔξω βληθῆναι, καὶ ἐξηλθόντι αὐτῷ πικραινέθωσαν ὁ Διάκονος, καὶ ἐπιζητοῦντες κατεσχέτωσαν αὐτὸν ἔξω τῆς Ἐκκλησίας, καὶ εἰσελλόντες ὑπὲρ αὐτοῦ σε ἐρωτάτωσαν. *Cùm verò deliquisse videris, jube ejici foras acerbè ferens, de quo ejecto doleant item Diaconi qui eum observent & extra Ecclesiam contineant, iidemque in Ecclesiam postea ingressi pro eo rogent.*

Diaconorum munus est in solemnibus festis Arcam Domini, & reliquias Sanctorum ante Episcopum gestare, explosa pravâ consuetudine, quæ subrepserat ut Episcopi in festis Martyrum solenni pompa reliquiis collo appensis per Diaconos in sella deportarentur. Synod. Brachar. III. can. 3. *Agnovimus quosdam de Episcopis, quòd in solemnitatibus Martyrum ad Ecclesiam progressuri, reliquias collo suo imponant, ut majoris fastus apud homines gloriâ intumescant, quasi ipsi sint reliquiarum arca; Levitæ albis induti in sellulis eos deportent, quæ detestanda præsumptio abrogari per omnia debet, nè sub sanctitatis specie simulatâ, vanitas sola prævaleat, si modum suum uniuscujusque ordinis reverentia non agnoscat: Et ideo antiqua in hac parte & solennis consuetudo servabitur, ut in festis quibusque diebus Arcam Domini, cum reliquiis, non Episcopi, sed Levitæ in humeris gestent, quibus & in veteri lege onus idem impositum novimus esse præceptum.* Hinc Diaconi non ordinabantur sine titulo, id est cùm ordinabantur, instituebantur in certa Ecclesia, ut Presbytero adessent. Gregor. Nazian. epist. 205. Οὗτος οὖν ὁ βανὸς καὶ σεμνὸς, ὑμῖν Γλυκέριος ἐχυροτονήθη μὲν παρ' ἡμῶν τῆς καθ' οὐνάθα Ἐκκλησίας Διάκονος, ὡς καὶ τῷ Πρεσβυτέρῳ διακονήσων, καὶ τοῦ ἔργου Ἐκκλησίας ἐπιμελήσομενος. *Hic igitur gravis, ac venerandus noster Glycerius Cyrenensis quidem Ecclesiæ Diaconus, à nobis creatus est, ut & Presbytero ministraret, & opus Ecclesiæ curaret.*

# CAPUT VIII.

## *Varia munia Diaconorum.*

DIACONORUM officium eſt, non modò Evangelium legere, ſed & prædicare. Conc. Ancyran. can. 2. can. perlectis. 25. diſt. Ignat. epiſt. ad Philadelph. περὶ ᾧ φίλωνος τοῦ διακόνου, ὃς καὶ νῦν ἐν λόγῳ Θεοῦ ὑπηρετεῖ. *De Philone autem Diacono qui & nunc in verbo Dei miniſtrat.* Samaritas ad fidem perduxit Philippus unus è ſeptem Diaconis. Act. Apoſt. 6. Auguſtin. in Joann. cap. 6. *Ibi legimus multos credidiſſe in Samaria per prædicationem Philippi ; intelligitur autem ſive unus ex Apoſtolis, ſive ex Diaconis, quia ſeptem ibi Diaconos legimus ordinatos, inter quos eſt etiam nomen Philippi.* Et Stephanus apud Judæos verbum Dei prædicans, primus martyrii palmam adeptus eſt. Act. 5. Et Origenes adhuc Diaconus ſacras litteras in Eccleſia docere cœpit annuentibus Epiſcopis. Euſeb. libr. 6. cap. 13. Prædicationis verò partes ita diviſæ fuere inter Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, ut ad Epiſcopos pertineret doctrina fidei, ad Presbyteros morum, ad Diaconos diſciplinæ, ex epiſt. Clem. III. can. audire. 25. diſt. & Diaconus orarium geſtat in ſiniſtro humero, propterea quòd orat, id eſt prædicat. Conc. Tolet. 4. can. 39. can. Unum. 25. diſt. Præſente Meletio Epiſcopo Antiochiæ in Diaconatu elegantiſſimas conciones habuit Joann. Chryſoſtomus. Ipſum etiam Gregorium I. adhuc Diaconum prædicaſſe teſtatur Joannes Diaconus ejus vit. libr. 1. cap. 41. & Diaconos à prædicatione ad cantandi officium transferri vetuit ipſe Gregor. libr. 4. epiſt. 88. *In ſancta Romana Eccleſia dudum conſuetudo eſt valde reprehenſibilis exorta, ut quidam ad ſacri altaris miniſterium cantores eligantur, & in Diaconatus ordine conſtituti, modulationi vocis inſerviant, quos ad prædicationis officium, & eleemoſynarum ſtudium vacare congruebat.* Can. in ſancta 92. diſt. In Gallia ſolis Presbyteris jus fuit prædicandi, & Diaconis, abſente Presbytero, homilias Patrum recitandi. Concil. Vaſionenſe. 2. can. 2. *Hoc etiam pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non ſolùm in civitatibus, ſed etiam in omnibus Parochiis, verbum faciendi daremus Presbyteriis poteſtatem,*

*ita ut si Presbyter aliquâ infirmitate prohibente, per se ipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus recitentur, &c.*

Diaconis quoque permissum est baptizare, non sine Episcopi, vel Presbyteri auctoritate, nisi absente Episcopo, vel Presbytero. Can. Diaconos. 93. dist. can. constat. de Consecrat. dist. 4. Concil. Aquisgran. can. 7. Tertull. de Baptism. cap. 17. *Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est; alioquin etiam Laïcis jus est.* Et ita intelligendus Hieronym. ad Luciferian. *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus Urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus, manum impositurus excurrat.* Et Cyrill. Hierosolymit. Cateches. 17. κῦ γὰρ τὸν καιρὸν τοῦ βαπτίσματος, ὅταν προσέλθῃς, ἐπὶ τῶν Επισκόπων, ἢ Πρεσβυτέρων, ἢ Διακόνων. *Tempore enim baptismatis, cùm ad Episcopum accedis, aut Presbyterum, aut Diaconum.* Episcopi aut Presbyteri est baptisare, Diaconi verò masculos è sacro fonte susci pere, Diaconæ fœminas, ut consulatur pudori sexus. Auctor Constit. Apostolic. lib. 3. cap. 16. Καὶ τὸν μὲν ἄνδρα ὑποδεχέσθω ὁ Διάκονος, τὴν δὲ γυναῖκα ἡ Διάκονος, ὅπως σεμνοπρεπῶς ἡ μετάδοσις τῆς ἀδραύστου σφραγίδος γένηται. *Ac virum quidem suscipiat Diaconus, mulierem verò diaconissa, ut honestè & à quibus decet fiat signum in fructum.*

Diaconorum muneris fuit etiam Eucharistiam ministrare, & præbere Laicis absente Presbytero. Concil Nicæn. Can. 18. Conc. Carth. 4. can. 38. pervenit. can. præsente, can. 95. dist. Justin. Mart. apolog. 2. Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος καὶ ἐπιφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν Διάκονοι δίδασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν, ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς ἀπὼν παρᾶσι ἀποφέρουσι. *Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit; diaconi distribuant unicuique præsentium, ut participet eum in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum & aquam, & absentibus præferunt.* Cyprian. de lapsis: *Ubi verò solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit.* Et mox: *Persistit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de sacramento calicis infudit.* Augustin. de divers. serm. 43. *Quàm gloriosa enim, & quàm virtutum quasi florum varietate distincta Laurentii sit corona, testis est Roma, ubi Diaconi gerebat officium, ubi sacrum Christi sanguinem ministravit, ibi pro Christi nomine suum sanguinem fudit.* Et

hocce officio functi sunt Diaconi in Gallia. Gregor. Turonens. de Miracul. libr. 1. cap. 86. *Lecta igitur passione cum reliquis Lectionibus, quas canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre Diaconus, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, &c.* Dixi absente Presbytero, id enim non licuit Diaconis præsente Presbytero. Concil. Arelat. 2. can. 15. *In secretario diacono inter Presbyteros sedere non liceat, vel Corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat, &c.* Diaconus non habet ea quæ ad Sacerdotium pertinent, sed quæ ad ministerium tantùm; Diaconis fas non est ministrare, id est corpus Christi conficere. Concil. Agathens. can. 44. can. ministrare, & ibi gloss. 26. qu. 6. Auctor Constit. Apostolic. libr. 8. cap. ult. οὔτε γὰρ Διακόνῳ προσφέρειν θυσίαν θεμιτὸν, ἢ βαπτίζειν ἢ εὐλογίαν μικρὰν, ἢ μεγάλην ποιεῖσθαι. *Neque enim fas est Diacono sacrificium offerre, aut baptizare, aut benedictionem sive parvam, sive magnam facere.* Diaconi vetantur hic baptizare; sed hoc intelligendum, sine Episcopi vel Presbyteri auctoritate, ut suprà dictum. Iisdem vetitum majorem vel minorem benedictionem fundere super plebem, quia jus benedictionis proprium est Episcopi vel Presbyteri.

## CAPUT IX.

### *Varia munia Diaconorum. Vestes eorum, Dalmatica, Orarium, Alba, Campagi, Calcei, Mappulæ.*

PRÆTER ministerium sacrorum, ad Diaconos pertinet cura viduarum, orphanorum & pauperum. Act. Apostol. 6. Viduæ, sc. quæ erant in matricula Ecclesiæ, parebant non modò Episcopis & Presbyteris, verùm etiam Diaconis. Auctor Constitut. Apostolic. libr. 3. cap. 7. Σεμνὰς οὖν δεῖ εἶναι τὰς χήρας, πειθομένας τοῖς Ἐπισκόποις, καὶ τοῖς Πρεσβυτέροις, καὶ τοῖς Διακόνοις. *Viduas igitur oportet esse honestas, obedientes Episcopis, Presbyteris, Diaconis.* Ad eosdem spectat cura peregrinorum. Can. Diaconi 93. Diaconorum ita propria fuit cura pauperum, ut variæ constitutæ sint Diaconiæ in urbe, & aliis locis, ubi Ecclesia Romana patrimonia possidebat, quæ præpositum habebant subdiaconum quipascebat pauperes, Gregor. lib. 8. epist. 20. *Fertur itaque quòd*

*annonas, atque consuetudines Diaconiæ quæ Neapoli exhibetur eminentia vestra substraxerit.* Anastas. in Stephano III. *Nam & foris muros hujus civitatis Romanæ, secus Basilicam Beati Petri Apostoli, duo fecit Xenodochia, quæ & sociavit Venerabilibus Diaconiis illic foris existentibus perenniter permanere, id est Diaconiæ sanctæ Dei Genitricis, & Beati Sylvestri.*

Diaconorum electio fuit penès Pontificem tantaque fuit eorumdem fides, ut omnino immunes essent à reddendis rationibus. Gregor. lib. 9. epist. 24. *Quia igitur te Joannem mensis pauperum, & exhibendæ diaconiæ eligimus præponendum, ne qua tibi ex hac administratione nascatur dubietas, hac te munitione prospeximus fulciendum, constituentes ut de hoc quod ad mensas pauperum vel diaconiæ exhibitione percepisti, sive subinde perceperis erogandum nulli unquam hominum quolibet modo seu ingenio, cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas molestian sustinere.*

Diaconi etiam curabant Martyres, pro fide in custodia detentos. Cyprianus epist. 11. *Sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum desideria, consiliis suis & scripturarum præceptis gubernarent.* Iidem alimenta diurna ipsis subministrabant. Acta Perpetuæ, & Felicitatis Martyrum; quæ nuper dono accepi à R. P. Petro Possino, Presbytero Societatis Jesu, Viro eruditissimo, & amicissimo. *Ibi tunc Tertius & Pomponius benedicti Diaconi, qui nobis ministrabant.* Synod. Carthag. 4. can. 43. *De Christiano Catholico, qui pro Catholica fide tribulationem patitur, etiam & per Diaconum ei victus administretur.* Eo nomine absens damnatus Cæcilianus in Pseudo-Concilio Donatistarum, quòd adhuc Diaconus martyribus in custodia positis alimoniam ministrari vetuisse diceretur. August. in breviculo Collat. *Et recitatum est à Donatistis Concilium fermè septuaginta Episcoporum, contra Cæcilianum apud Carthaginem factum, ubi eum absentem damnaverant: quia cùm esset Diaconus victum afferri martyribus in custodia constitutis prohibuisse dicebatur.*

Diaconi semper sunt in obsequio Episcopi. Olim Diaconi solebant præire Episcopum cùm procederet in publicum. Pallad. in vita Chrysostom. cap. 2. *Porrò ista imperante piissimo Imperatore, noctis initio Episcoporum factione gerebantur, qui exercitus duces Diaconorum vice secum habere prævios non erubescebant:* Propterea sine Diacono Episcopum esse non posse ait Epiphan. Hæres. 77. ἀνὰ ὃ Διακόνε Ἐπίσκοπον ἀδύνατον εἶ. Olimque septem Diaconi solebant custodire Episcopum prædicantem. Can. Diaconi 93. dist. Diaconi

sunt

ſunt oculi Epiſcopi oberrantes & circumluſtrantes omnes actus Eccleſiæ, & perſcrutantes proximos præcipitio, id eſt peccato, ut referant hæc ad Epiſcopum. Can. Diaconi. ead. diſt. Diaconi ſunt nuncii & præcones Epiſcopi. Hieronym. in cap. 13. Eſaiæ, in prologo. *Hoc autem anno miſiſti filium noſtrum Heraclium Diaconum, qui me manu conſerta in jus vocaret, & promiſſum per momenta exigeret.* Auguſtin. libr. contr. Donatiſt. poſt Collat. cap. 1. *Primianus hoc ſcriptum magiſtratui Carthaginis dedit, & à Diacono dicendum apud acta mandavit.* Et idem eodem libr. cap. 12. *Et recitaverunt etiam alia geſta, ubi Melchiadem legebatur miſiſſe Diaconos, cum litteris Maxentii Imperatoris, & præfecti Prætorii, ad præfectum urbis, ut reciperent loca, quæ fuerant à Chriſtianis tempore perſecutionis ablata.* Alexandriæ commota quæſtione inter Martyres, an Lapſi tempore perſecutionis ad pœnitentiam recipiendi eſſent, diviſis ſententiis Meletio & ſuis repugnantibus, contrà Petro Archiepiſcopo inclinante in mitiorem ſententiam, Petrus Archiepiſcopus in medio carcere, lodice, quod eſt pallij genus, expanſo, per Diaconum proclamari juſſit, ut ſecum ſentientes ad ſe venirent, qui verò cum Meletio ad Meletium. Epiphan. hæreſ. 68. In Conciliis Diaconi adſtitere Epiſcopis; in Concilio Nicæno, Alexandro Epiſcopo adfuit Athanaſius Diaconus Eccleſiæ Alexandrinæ, & ſingulari cum laude certavit cum Arianis. Socrat. libr. 2. cap. 5. Sozomen. libr. 2. cap. 16. & in Conciliis quandoque Epiſcopi ſubſcripſere per Diaconum, vel Lectorem, ut in Concilio Seleucienſi. Socrat. libr. 2. cap. 31. ὑπέγραφον δὲ ὑπὲρ ἀπολιφθέντων τινῶν παρόντες ἀναγνῶσται καὶ διάκονοι. *Subſcripſerunt autem pro his qui deſiderabantur, eorum Lectores & Diaconi, ibi tum præſentes.*

Diaconi, ut omnes eorum partes perſequamur, inferiores Presbyteris ſunt in tertio gradu; obſequium & reverentiam debent Presbyteris, can. à Subdiacono. 93. diſt. Ne Diaconi conſedeant in medio Presbyterorum vetuit Conc. Nicen. can. 18. can. pervenit. ead. diſt. Conc. Arelatenſ. 2. can. 15. *In Secretario Diacono inter Presbyteros ſedere non liceat.* Non oportet Diaconos præſente Presbytero ſedere injuſſu Presbyteri. Concil. Laodicen. can. 20. Synod. 6. in Trull. can. 7. can. Oportet. can. præcipimus. 93. diſt. Presbyter ſedet, ſtat Diaconus. Ioan. Chryſoſtom. in Matth. Homil. 29. διὰ σὲ κάθηται ὁ Πρεσβύτερος, διὰ σὲ ἕστηκεν ὁ διάκονος, ποιῶν, καὶ ταλαιπωρούμενος. *Cauſâ tui Presbyter ſedet, cauſâ tui rectus ſtat diaconus laboribus & afflictione affectus.* Auctor quæſt. utriuſq. teſtament. *Quamquam Romanæ Eccleſiæ diaconi modico inverecun-*

*diores videantur, ſedendi tamen dignitatem in Eccleſia non præſumunt.*

Diaconorum veſtis Dalmatica, Can. communis. 23. diſt. can. de jejunio. 76. Dalmaticam Diaconorum tunicam ſine manicis agnoſcit Ammian. libr. 14. *Pectoralem tuniculam ſine manicis textam, Maras quidam nomine indutus eſt, ut appellant Chriſtiani diaconus.* Paſchaſii Diaconi dalmaticam ejus feretro impoſitam, inſigni miraculo, nimirum curatione energumeni, claram commemorat. Greg. I. dialog. lib. 3. cap. 40. *Hic itaque cùm temporibus Symmachi Apoſtolicæ ſedis præſulis eſſet defunctus, ejus dalmaticam feretro ſuperpoſitam, dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſanatus eſt.* Dalmatica fuit propria veſtis Diaconorum Eccleſiæ Romanæ, ex privilegio Symmachi, in gratiam Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi conceſſo. Eâ uſi ſunt Diaconi Arelatenſ. Cyprian. in vita Cæſarii apud Surium Auguſt. 27. *Atque ipſe etiam Pontifex Symmachus præclara ejus meritorum dignatione permotus, non ſolùm eum veriſſimè Metropolitani honore præditum voluit, ſed etiam ſpeciali quodam privilegio, pallii uſum ei permiſit, & Diaconos ejus perinde ut Romanæ Eccleſiæ Diaconos Dalmaticis uti voluit.*

Præter dalmaticam, Diaconorum ornamenta Orarium, id eſt ſtola quæ ſiniſtro humero geſtatur, & alba, id eſt linea talaris. Can. Unum orarium. 25. diſt. can. Diaconus. 93. diſt. Orarium eſt linea ſtola, ſignaculum humilitatis Chriſti, qui diſcipulorum pedes lavit, & terſit. Iſidor. Peluſiot. libr. 1. epiſt. 136. Η' ὀθόνη μεθ' ἧς λειτουργοῦσιν, ἐν τοῖς ἁγίοις οἱ Διάκονοι, τῷ τὲ κυρίε ἀναμιμήσκει ταπεινώσιν νίψαντος τὰς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἐκμάξαντος. *Linteum illud cum quo Diaconi in ſanctis myſteriis munus ſuum obeunt, nobis in memoriam redigit humilitatem Domini, qui diſcipulorum pedes lavit & terſit.* Angelorum alis idem aſſimilat Jo. Chryſoſt. de diverſ. utriuſque teſtam. loc. ſerm. in parabol. de filio prodigo. Καὶ μεμνημένοι τῶν φρικτῶν μυςηρίων, καὶ λειτουργῶν τῆς θείας ἱερουργίας τῶν μιμουμένων τὰς τῶν ἀγγέλων πτέρυγας, ταῖς λεπταῖς ὀθόναις, ταῖς ἐπὶ τῶν ἀριςερῶν ὤμων κειμέναις. *Et recordamini tremendorum myſteriorum, ac miniſtrorum ſacri officii, imitantium Angelorum alas, tenuibus ſuis lineis velis, quæ ſiniſtris humeris inſident.* Diaconus Albâ utitur tempore oblationis, & Lectionis Evangelii. can. Diaconum. 93. diſt. Diaconus ubi depoſitus reſtituitur, recipit Orarium & Albam. can. Epiſcopus aut Presbyter. 11. qu. 3. Diaconorum Calcei campagi. Can. pervenit. 93. diſt. Cujac. 21. obſ. 28. Mappulis etiam utuntur Diaconi Eccleſiæ Romanæ, quarum uſum Clericis Ravennatibus prohibitus eſt à Gregorio I. Can. illud. 93. diſt. Si quid ſint mappulæ, linteola linea, ut indicat idem

Gregor. dialogor. libr. 2. cap. 19. *Sed is qui missus fuerat Monachus post admonitionem factam à sanctimonialibus fœminis rogatus Mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu.* Et paulò post: *Numquid ego illic præsens non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinu misisti?*

## CAPUT X.

### *Archidiaconi dignitas, & munia.*

DIACONI suum habuere præsidem ejusdem ordinis, qui dictus est Archidiaconus; quod nomen primitùs memoriâ celebratum in Concil. Nicæno Arabic. can. 57. Idem prior Diaconorum dictus est cap. 1. de scrutin. in ord. faciend. Diaconus Cardinalis in Ecclesia Romana, Can. à Subdiacono. 93. dist. Archidiaconus præfuit Diaconis, Subdiaconis & aliis inferioribus Clericis. Can. perlectis. 25. dist. cap. ad hæc, de offic. Archidiac. Propterea ad Archidiaconum spectabat Clericorum ordinandorum institutio, examinatio & præsentatio. Conc. Nicæn. Arabic. can. 60. Conc. Carth. 4. can. 9. Can. Ostiarius, 23. dist. Hoc jure in Synodo Suessionensi judicatum ordinationem Harduini Presbyteri factam per Lupum Catalaunensem Episcopum, ratam esse, quòd facta esset vacante Rhemensi Ecclesia, ad præsentationem Archidiaconi Rhemensis. Flodoard. libr. 3. Rhemens. Hist. cap. 11. Nec fiebat ordinatio Diaconi & Presbyteri sine testimonio Archidiaconi, quod vocant scrutinium, cap. 1. de scrutin. in ordin. faciend. Hieronym. ad Evagr. Can. legimus, 93. dist. *Sed dicis quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur.* Ob id si quis invitus ab Episcopo ordinaretur, Archidiaconus tanquam reatûs conscius, decem libras auri pœnæ nomine jubetur inferre ordinato, ex Nov. Major. de Episcopali judic. Hinc & Lucium Archidiaconum quod ordinationes in quæstu duceret, avaritiæ & sordium perstringit Isidorus Pelusiota, lib. 1. epist. 29. Imò Archidiaconus est quasi administer ordinationis Subdiaconorum, & inferiorum Clericorum; inde Subdiaconus & alii minores cùm ordinantur ab Episcopo, insignia & ornamenta sui Ordinis accipiunt ab Archidiacono. Can. Subdiaconus, can. Acolythus. Can. Ostiarius. 23. dist. & apud

Amalarium libr. 1. cap. 7. & 11. Et Diaconum non ordinari ab Episcopo nisi præsente Archidiacono, veluti confratre : Τῷ Ἀρχιδιακόνῳ ὡς συναδελφῷ μόνον παρεσιάζοντες, ait Balsamon 1. respons. interrogat. 40. Nec modò ad Archidiaconum pertinet Clericorum examinatio & præsentatio in ordinatione ; verùm etiam in collatione beneficiorum, d. cap. ad hæc. cap. ut nostrum de offic. Archidiac. Ad eumdem spectat investitura Ecclesiarum, cap. in tantam, de Simon. & institutio Parochorum, cap. super eo, de Offic. delegat. cap. cùm venissent. de institut. id est institutio civilis, quam traditio possessionis realis : plus est enim possessionem dare, quàm investituram concedere. Can. Visis. 16. qu. 2. Ad Archidiaconum quoque pertinet, solemnis installatio Abbatum & Abbatissarum, d. cap. ut nostrum ; & missio in possessionem minorum beneficiariorum, quo jure Humfredus, Presbyter Henhamiensis apud Joan. Sarisber. epist. 1. ad tuendam suam Ecclesiam liberam ab omni onere & censu, affirmabat se per Archidiaconum, ut mos, in possessionem liberam canonicè introductum. Ad Archidiaconum etiam spectavit cura sacri ærarii : propterea de fide & curâ in tuendis & dispensandis sacris opibus, commendatur Laurentius Sixti Pontificis Archidiaconus, de quo Prudentius, Hymno 11. Peristophan.

*Cœlestis arcanum domus*
*Fidis gubernans clavibus*
*Verasque dispensans opes.*

Eadem de causâ in Archidiacono industria electa est, Hieronym. ad Evagrium : *Diaconi eligant de se quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Et Sidon. libr. 4. epist. 25. *Archidiaconus in quo seu gradu, seu ministerio multùm retentus propter industriam.* Archidiaconi munus non fuit perpetuum, nè rei pecuniariæ procuratione inquinaretur ; verùm promotione ad Presbyteratum solvebatur. Hoc pacto Cornelium Pontificem, cùm videret Novatum Archidiaconum novis rebus studentem, ut ei viam ad Pontificatum præscinderet, eum in Presbyterum ordinasse scribit Eulogius Alexandrinus apud Photium in Biblioth. Hinc & querebatur Honoratus Archidiaconus Salonitanæ Ecclesiæ, se invitum ab Episcopo in Presbyterum ordinatum, & specie promotionis ad fortiorem ordinem, callidâ arte degradatum. Can. gesta, can. Honoratus 74. dist. Penès Archidiaconum erat dispensatio gazæ Ecclesiasticæ, & cura pauperum : ob

id Laurentius Sixti Archidiaconus cùm ſenſiſſet Imperatorem opibus Eccleſiaſticis inhiare, protinùs omnem pecuniam ſparſit in pauperes, ut ei prædam præriperet ; de quo præter Prudentium, Arnob. in Pſalm. III. *Sic dicam in beato Laurentio, hæc omnia & prophetata & facta ; diſperſit enim omnia, & dedit pauperibus ; non repoſuit, non occultavit.* Inde memoratur Martyrius Diaconus, qui præerat rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationi, de quo Cyrillus Alexandrin. epiſt. 8. ad Clerum Conſtantinopolitanum in cauſa Neſtorii : Ἀπεστάλησαν γὰρ τῷ βαφᾷ μάρτυρι τῷ διακόνῳ τῷ φροντίζοντι τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων δύο χαρτία. *Miſerunt ad Bupham Martyrium Diaconum, qui Eccleſiaſticorum negoticorum adminiſtrationi præfectus eſt, duas Chartulas.*

## CAPUT XI.

### *Preſbyterorum gradus, & dignitas ; eorumdem varia munia.*

IN ſeptimo gradu ſunt Presbyteri, ad quem non pervenitur niſi per ſingulos gradus. Can. illud. can. in ſingulis. & ſeqq. 77. diſt. can. Monachos. 16. qu. 1. Hieronym. ad Heliodor. de morte Nepotiani. *Quid multa ? fit Clericus & per ſolitos gradus Presbyter ordinatur.* Idem ad Luciferianos. *Similiter & Eccleſia multis gradibus conſiſtens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Epiſcopiſque finitur.* Hinc Cato Presbyter de Epiſcopatu ſibi blandiens, apud Gregor. Tur. lib. 4. cap. 6. *Nam & ipſos*, inquit, *Clericatus gradus canonicâ ſum ſemper inſtitutione ſortitus. Lector decem annis fui, Subdiaconatûs officium quinque annis, Diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui ; Presbyterij autem jam honore viginti annis potior.* Propterea ob moram longiorem, quæ fiebat in ſingulis gradibus, in Presbyteris deſiderabatur ætas triginta annorum. Can. 1. & ſeqq. 78. diſt. Hieronym. ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum, de Pauliniano fratre ſuo Presbytero ordinato ab Epiphanio Cypri Epiſcopo, in Monaſterio Paleſtinæ in finibus ſito. *Porrò ætas ejus & beatitudini tuæ nota eſt, & cùm ad triginta annorum ſpatia jam pervenerit, puto eam in hoc non eſſe reprehendendam, quæ juxta myſterium aſſumpti hominis in Chriſto perfecta eſt.*

Presbyteratûs quæ ſit dignitas, vel hoc ſolo argumento intelliges, quòd proximus ſit gradus ad Epiſcopatum, id eſt ad cul-

men ſacerdotii. Alexandriæ à Marco uſque ad Heraclam, & Dionyſium è Presbyteris electum Epiſcopum obſervat Hieronym. ad Evagr. *Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant.* Can. legimus. 93. diſt. Hoc titulo Cato quem modo laudavi jam olim Presbyter Epiſcopatum ſibi tanquam proximum gradum deberi credebat, apud Gregor. Turon. ubi ſe jam à viginti annis presbyteratu potiri jactitat. *Quid enim*, inquit, *mihi nunc reſtat, niſi ut Epiſcopatum, quem fidelis ſervitus promeretur accipiam?* Epiſcopus poteſt eligi ex Diacono: ſed non ordinatur priùs, quàm ſit Presbyter, qui eſt proximus gradus. Hieronym. ad Evagr. *In Epiſcopo & Presbyter continetur; qui provehitur de minori, ad majus provehitur.* Et Hilarius Diaconus quem falsò Ambroſium eſſe creditum eſt, in 1. ad Timoth. cap. 3. *Epiſcopi & Presbyteri una ordinatio eſt.*

Presbyteri cæteris ordinibus majores ſolis, Epiſcopis minores ſunt; & ideò dicuntur Presbyteri antiſtites ſecundi ordinis. Sidon. lib. 4. Epiſt. 11. de Mamerto Claudiano fratre Mamerti Epiſcopi Viennenſis.

*Antiſtes fuit ordine in ſecundo*
*Fratrem faſce levans epiſcopali.*

Et idem epiſt. 25. ejuſd. lib. Joannem Presbyterum, qui poſteà electus fuit Epiſcopus Cabillonenſis vocat ſecundi ordinis Sacerdotem; & Vigilius epiſt. 6. ad Auxanium, qui è Presbytero factus erat Arelatenſis Epiſcopus, ſcribit eum ex ſequenti ordine ſacerdotii ad pontificalis provectum apicem dignitatis. Et ante Presbyteros in ſecundo ſacerdotio poſuit Optat. lib. 1. *Quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos?* Non nego Presbyteros multa habere communia cum Epiſcopis. Commune Presbyterorum & Epiſcoporum officium eſt Chriſti corpus conficere. Hieronym. ad Heliod. de laude vitæ ſolitariæ *Abſit ut de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.* Idem Presbyterorum ac Epiſcoporum munus eſt Chriſti gregem paſcere. Hieronym. lib. 2. in Hierem. cap. 6. *Sive qui paſcitis greges Epiſcopi, & Presbyteri, & omnis ordo eccleſiaſticus.* Et idem ad Heliodor. *Cleri paſcunt oves, ego paſcor.* Præſidere dicuntur Presbyteri pariter ac Epiſcopi. Tertull. apologetic. cap. 39. *Præſident probati quique ſeniores.* Et præſidentium appellatione promiſcuè continentur Presbyteri & Epiſcopi. Idem

de Coron. Milit. cap. 3. *Nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus oblationes.* Eadem significatione, προεστῶτες dicuntur, tam Presbyteri quàm Episcopi : Justin. Martyr apolog. 2. Εὐχαριστήσαντος ὁ τοῦ προεστῶτος. *Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit.* Hinc propter communitatem sacri ministerii, & quasi vinculum commilitii, Episcopi & Presbyteri dicuntur socii. Hieronym. 4. in Hierem. cap. 22. *Quidquid regiæ domui dictum est, intelligant Episcopi, sociique eorum Presbyteri, atque Diaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus.* In Synodo Antiochena collecta adversùs Paulum Samosatenum, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi vocantur συλλειτουργοὶ, collegæ, comministri, apud Euseb. lib. 7. cap. 24. ex epistola Patrum Synodi ad Dionysium Episcopum Romanum, & cæteros Episcopos Ecclesiæ. Πᾶσι συλλειτουργοῖς ἡμῶν Ἐπισκόποις, καὶ Πρεσβυτέροις, καὶ Διακόνοις. Iidem dicuntur συμποιμένες, compastores. Joan. Chrysostom. de divers. utriusque testam. loc. serm. de Pseudoprophetis : τί ἀπολογησόμεθα τῷ ἀρχιποιμένι, οἱ ποιμένες, καὶ συμποιμένες. *Quid summo illi pastori respondebimus, o pastores & compastores?* Plerumque Presbyteri Episcopis adjunguntur. Optat. lib. 2. *Certa membra sua habet Ecclesia Episcopos, Presbyteros, Diaconos.* Et idem eod. lib. *Invenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos, fecistis laicos.* Hieronym. in cap. 5. Isaïæ. *Inter senes autem & principes hoc fuisse reor in veteri populo, quod nunc est inter Presbyteros & Episcopos.* Eodem respectu Presbyteri etiam vocitantur fratres Episcoporum.

Presbyterorum cum Episcopis una etiam est opera in prædicatione verbi Dei. Euseb. lib. 7. cap. 19. Συγκαλέσας τοὺς Πρεσβυτέρους, καὶ διδασκάλους τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν. *Convocavi Presbyteros qui fratribus prædicabant Verbum Dei in singulis Pagis.* Conc. Vasens. 2. can. 2. *Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solùm in civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis, verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem; ita ut si Presbyter aliquâ infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus recitentur.* Presbyteros in confectione Corporis & Sanguinis Christi, & in prædicatione Verbi Dei eodem jure uti cum Episcopis agnoscit Conc. Aquisg. 2. cap. 8. de Presbyteris. *His enim sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est; præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in confectione divini corporis & sanguinis consortes cum Episcopis sunt; similiter & in doctrina populorum & in officio prædicandi.* Propterea cùm Presbyter ordinatur, ejus capiti imponitur Evangelium, quod est summum prædicationis argumen-

tum. Joan. Chryſoſtom. de diverſ. utriuſq. teſtam. loc. ſermon. de uno legiſlatore : διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν ἱερέων τὸ εὐαγγέλιον τῇ Χειρὶ ἐπὶ κεφαλῆς τίθεται, ἵνα μάθῃ ὁ χειροτονούμενος, ὅτι τὴν ἀληθινὴν τοῦ εὐαγγελίου πάσαν λαμβάνει. *Idcirco etiam in Eccleſia cùm ordinantur ſacerdotes, Evangelium Chriſti capiti imponitur, ut diſcat is qui ordinatur, veram ſe recipere Evangelii tiaram.*

Presbyteri etiam habent communem cum Epiſcopis ligandi & ſolvendi poteſtatem. Hieronym. 1. ad Heliodorum. *Mihi ante Presbyterum ſedere non licet; illi, ſi peccavero, licet tradere me ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit.* Et idem in Matth. cap. 16. in illa verba : *Et dabo tibi claves regni cœlorum. Iſtum locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur, cùm apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita quæratur.* Et paulò poſt. *Quomodo ergo ibi leproſum ſacerdos mundum, vel immundum facit, ſic & hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter, non eos qui inſontes ſunt, vel noxii; ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus.* Denique idem eſt officium Epiſcopi & Presbyteri, exceptis his quæ pertinent ad ordinationem. Hieronym. ad Evagr. *Quid enim facit exceptâ ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Idem Conc. Aquiſgranenſ. d. cap. 8. ubi præmiſſa ſunt quæ ſunt communia inter Epiſcopos & Presbyteros, hæc clauſula additur. *Sed ſolùm propter auctoritatem ſummi Sacerdotii, Clericorum ordinatio & conſecratio reſervata eſt.* Etiam Conciliis Eccleſiaſticis, unà cum Epiſcopis interfuere Presbyteri. Cyprian. epiſt. 31. *Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeret Eccleſiæ pacem ſuſtinendam, deinde ſic collatione conſiliorum, cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, Laicis factâ, lapſorum tractare rationem.* Hoc diſcrimine quod Presbyteri in Concilio conſedere à tergo Epiſcoporum, ſtantibus Diaconis. Conc. Eliberit. in præfat. poſt cenſum Epiſcoporum qui adfuere Concilio. *Reſidentibus etiam viginti & ſex Presbyteris, adſtantibus Diaconibus & omni plebe, Epiſcopi dixerunt.* Sicut Epiſcopi, & Presbyteri non offerunt, id eſt ſolemne oblationis myſterium celebrant, ſine Diacono. Cyprian. epiſt. 5. *Ita ut Presbyteri quoque qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent.* Presbyteri etiam ſedent coram Epiſcopo. Synod. Carth. 4. can. 34. *Epiſcopus in quolibet loco ſedens ſtare Presbyterum non patiatur.* Can. Epiſcopus, 96. diſt. Epiſcoporum faſtum qui fratres, id eſt Presbyteros,

byteros, apud se sedere non patiebantur, valdè iniquo animo sese ferre testatur Augustin. de catechizand. rudib. cap. 13. *Quis enim ferat arrogantiam nostram, cùm viros fratres nostros, vel etiam quod majore solicitudine curandum est, ut sint fratres nostri, coram nobis sedere non facimus*, &c.

## CAPUT XII.

### *Ordo Presbyterorum Senatus Ecclesiæ. Presbyteri debent obedientiam & reverentiam Episcopo. Ordinationes non fiebant absque Titulo. Tituli Ecclesiarum.*

PRESBYTERI laborum & consiliorum Episcopi socii & participes; ut in ordinationibus quæ sunt reservatæ Episcopo, Episcopus non ordinat Clericos sine consilio Clericorum, id est Presbyterorum. Can. Episcopus. 24. dist. can. reliqui. 67. dist. can. quicumque 77. dist. Cyprian. epist. 33. ad Presbyteros & Diaconos. *In ordinationibus Clericis, fratres Carissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.* Et in judiciis Ecclesiasticis, Episcopus cujusquam causam non audit sine præsentia Clericorum; alioquin nulla & irrita est sententia. Concil. Carth. 4. can. 23. can. Episcopus. 15. qu. 7. Andronicum Berenicensem ob affixa sua edicta valvis Ecclesiæ, non sine cœtus Presbyterorum consilio, se diris excommunicationis proscripsisse testis est de se ipso Synesius Episcopus Ptolemaidis epist. 38. & hoc quia cœtus Presbyterorum est senatus Ecclesiæ. Hieronym. ad Rusticum. *Ecclesia habet senatum cœtum Presbyterorum.* Can. Ecclesia 16. qu. 1. Et tutius est judicium, quod plurium sententiis nititur, Can. extra, 67. dist. Cap. prudentiam, ex. de offic. & pot. Jud. deleg. Cyprian. ep. 32. *Quoniam nec firmum decretum potest esse, quod nec plurimorum videbitur habuisse consensum.* Nè solus judicaret sine consilio Cleri, hanc sibi legem ab initiis dixit Cyprianus; testis ipse de se, ep. 6. ad Presbyteros & Diaconos. *Ad id verò quod scripserunt mihi compresbyteri nostri, Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius, solus rescribere nihil potui, quando à primordio Episcopatûs mei statuerim nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis meæ privatâ sententiâ gerere.* Et idem epist. 28. *Desideraſtis quoque ut de Philumeno, & Fortunato Hypodia-*

*conis, & Favorino Acolytho, qui medio tempore receſſerunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur reſcribam, cui rei non potui me ſolum judicem dare, cùm multi adhuc de Clero abſentes ſint, nec locum ſuum vel ſerò repellendum putaverunt.* Idcircò inter judices domus Iſraël, id eſt Eccleſiæ, Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos numerat Hieronym. in Michæam. cap. 3. *Judices domus Iſrail non ſint alii niſi Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi*, &c. Nihil gravius ſine Presbyterio egere ipſi ſummi Pontifices. Cornelius ad Cyprian. epiſt. 46. *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium.* In Synodo Romana ab Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis damnatus Novatus. Euſeb. libr. 6. cap. 35.

Haud tamen hujuſmodi communitas & conſortium ſacerdotii, quod eſt inter Epiſcopos, & Presbyteros, ſolvit majoritatem, & obedientiam quæ eſt inter eos. Etſi Presbyteri vocitentur ſocii & comminiſtri Epiſcoporum, debent obedientiam & ſubjectionem Epiſcopo, propter gratiam ordinationis quam ab eo accepere. Can. à Subdiacono. 93. diſt. Presbyteri, inquam, debent parere Epiſcopo, non ut vernæ & ſervuli Domino, ſed ut liberi parenti. Hieronym. ad Nepotianum. *Sta ſubjectus Pontifici tuo, & quaſi animæ parentem ſuſcipe.* Can. Sta ſubjectus 93. diſt. Nec Presbyteri debent Epiſcopalia ſibi vindicare in contumeliam & contemptum Epiſcopi. Cyprian. epiſt. 10. *Quod enim non periculum metuere debemus, de offenſa Domini, quando aliqui de Presbyteris nec Evangelii, nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod numquam omnino ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia, & contemptu præpoſiti totum ſibi vindicant.* Tot argumentis meritò damnatus error Aërii volentis Presbyteros per omnia æquales eſſe Epiſcopis; quem eo inſaniæ adductum ſcimus animi dolore, & impatientiâ repulſæ ab Epiſcopatu, de quo Epiphan. hæreſ. 75. & Auguſtin. de Hæreſ. ad Quodvult Deum. *Aëriani ab Aërio quodam ſunt nominati, qui cùm eſſet Presbyter doluiſſe fertur, quòd Epiſcopus non potuit ordinari.*

A primordiis Eccleſiæ Presbyteri non ordinabantur ſine titulo, id eſt collatione certæ Eccleſiæ. Tituli dicebantur Eccleſiæ, quòd ordinati de his titularentur, id eſt Presbyteri illius loci dicerentur. Et hoc optimâ ratione inſtitutum eſt, nè vagi & otioſi eſſent Presbyteri ſine cura & actu: ob id nè Cleri ordinarentur ἀπολελυμένος, vel ἀπολύτως, id eſt abſolutè, ſine titulo vetuit Synod. Chalcedonenſ. can. 6. & Synodus Placentina habita ſub Urbano II. can. neminem. can. ſanctorum. 70. diſt.

Valdè ſingulare narratur de Paulino, quòd ordinatus fuit ſine titulo. Teſtis de ſe ipſo Paulin. epiſt. 6. ad Severum. *Nam ea conditione in Barcinonenſi Eccleſia conſecrari adductus ſum, ut ipſi Eccleſiæ non alligarer in ſacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Eccleſiæ dedicatus.* Vetita fuit ordinatio Clericorum ſine certo titulo, quia Clerici ordinandi ſunt propter obſequium Eccleſiæ, & ordinatis nefas eſt detrectare curam animarum, Auguſtin. de fide & oper. cap. 17. *Propter illos enim hæc ſimilitudo propoſita eſt, qui nolunt ſuſcipere in Eccleſia diſpenſatoris officium, deſidioſam prætendentes excuſationem nolle ſe rationem reddere de peccatis alienis.* Et dignitas ſacerdotii conſiſtit maximè in cura animarum. Joan. Chryſoſtom. in Joann. Homil. 85. Idcircò maximè colendos Presbyteros docet quod ſuſtineant curam & periculum animarum. διὰ δ πολλῆς δεῖ θεραπείας αὐτὸς ἀπολάυειν.

## CAPUT XIII.

### *Jura & munia Archipreſbyteri.*

SICUT Diaconi habent ſuum ducem, & præpoſitum, nimirùm Archidiaconum, etiam Presbyteris ſuus eſt præfectus, qui Archipreſbyter dicitur. Hic licèt Archidiacono ſit major ordine, & in his quæ ſunt ordinis prior nominetur, can. Salvator. 1. qu. 3. tamen minor eſt dignitate & officio, & ſubeſt juriſdictioni Archidiaconi, can. perlectis. 25. diſt. cap. 1. cap. ad hæc. de offic. Archidiac. Adeóque Archipresbiteri electio pertinet ad Archidiaconum, unà cum Clero & plebe. Can. ſi in plebibus. 63. diſt. ſalvâ confirmatione Epiſcopo. Arnulfus Lexovienſ. epiſt 27. ad Alexandrum III. pro P. Pictavienſi Archidiacono. *Idcircò ſi cauſæ ipſius qualitas inquiratur, id juris ſe in quodam Archipresbyteratu ſuo contendit habere, quod tam ipſi quàm omnibus aliis Archidiaconis, in omnibus Archipresbyteratibus ſuis vetus Eccleſiæ illius conſuetudo confirmat. Porro ſupervacuâ videtur quæſtione vexari, cùm ſola ſit de ſola Archipresbyteri electione contentio, cùm ab Archidiacono facta, ad epiſcopale de conſuetudine referatur arbitrium, eamque poteſt auctoritate ſua, niſi fuerit idonea reprobare. Cæterum, ſi eo invito in Archidiaconatu ejus Archipresbyter fuerit inſtitutus, plurimùm utilitatibus ejus, & honori conſtabit eſſe ſubtractum, cùm ei in*

*Archidiaconatu ſuo alius quodammodo Archidiaconus agnoſcatur.* Vel ſaltem quod communius eſt, Archipresbyter non poteſt inſtitui, vel deſtitui, ſine mandato Epiſcopi & Archidiaconi, cùm commune utriuſque officium exerceat. d. cap. ad hæc. Archipresbyter gerit vices Epiſcopi, eo abſente, in his quæ pertinent ad ſacerdotale officium, exceptis prohibitis, id eſt his quæ ſunt Epiſcopalis ordinis. d. can. perlectis, & cap. de offic. Archidiacon. Archipresbyter præeſt Presbyteris; unde Πρωτοπρεσβύτερος dicitur. Socrat. libr. 4. cap. 9. & Synod. 7. act. 4. & 7. Recentioribus Græcis, Πρωτοπαπᾶς, ut Codino. Archipresbyter, inquam, eſt Primarius & Rector Presbyterorum; unde jam olim dictus eſt Decanus, quod nomen à militia manavit. Can. in capite, 50. diſt. can. nullus Epiſcopus. & ſeq. 60. diſt. can. nullus omnino. 16. quæſt. 7. cap. cùm Apoſtolus. de Cenſib. cap. 2. nè Prælat. vices ſuas.

Archipresbyteri alii ſunt urbici ſeu civitatenſes; alii ruſtici & forenſes, quos rurales Decanos vocant. Archipresbyter, ſeu Decanus urbicus eſt, qui in urbe poſitus eſt; is eſt caput Capituli, cap. cùm inter univerſas. de elect. & habet primariam vocem in Capitulo. cap. auditis. de elect. Ejus officium eſt curam agere ſuper omnes Presbyteros, in ordine ſeu canone poſitos, & aſſiduè ſtare in Eccleſia. d. can. perlectis, & cap. 1. de offic. Archipresbyteri: ait aſſiduè, id eſt ſingulis horis canonicis, horis competentibus. cap. 2. eod. tit. Archipresbyteri, inquam, eſt agere curam Presbyterorum, maximè Canonicorum. Walafrid. Strabo de rebus Eccleſiaſtic. cap. ult. *Sunt etiam Archipresbyteri in Epiſcopiis Canonicorum curam gerentes.* Unde Decanus habet curam animarum, & ad hoc in eo requiritur ætas 25. annorum, & ut intra annum Presbyter ordinetur. Can. 1. & ſeq. 60. diſt. Cap. cùm in cunctis. de elect. cap. 1. de ætat. & ordin. præfic. Abſente Epiſcopo Archipresbyter vice ejus Miſſarum ſolemnia celebrat, & collectam dicit, vel alius ejus juſſu, d. can. perlectis. cap. 1. de offic. Archipresb. Ejuſdem Archipresbyteri officium eſt obſervare vitam & miniſterium Sacerdotum Cardinalium, cap. 1. de offic. Archipresbyt. id eſt Parocorum civitatis, qui Presbyteri Cardinales dicuntur, ad differentiam Presbyterorum pagenſium & vicanorum.

Archipresbyteri quoque eſt fontes benedicere, id eſt fontis baptiſmalis, infirmos oleo linire, pœnitentes infirmos reconciliare conſulto Epiſcopo. cap 2. de offic. Archipresb. De occultis poteſt reconciliare pœnitentes juſſione Epiſcopi. Can. Presbyteri, 26.

qu. 6. Publicos enim pœnitentes reconciliare ſolius eſt Epiſcopi. Concil. Carthag. 2. can. 3. Carthag. 3. can. 23. Agath. can. 44. can. 1. can. miniſtrare. can. Presbyter. 26. qu. 6. De Petro Protopresbytero Eccleſiæ Alexandrinæ memoratur, quòd pulſus ſit à Theophilo Patriarcha, quòd mulierem Manichæam errore nondum ſolutam ad ſacra admiſiſſet inſcio Epiſcopo. Socrat. lib. 6. can. 9. Nicephor. Calliſt. libr. 13. cap. 11. In publica tamen pœnitentia non ceſſabant omnino partes Archipresbyteri; ad eum enim pertinebat publicos pœnitentes præſentare Epiſcopo, pro foribus Eccleſiæ. Conc. Agath. can. 97. can. in capite. Archipresbyteri & officium eſt, abſente Epiſcopo, ejus vice ſacrum officium inchoare, benedictiones presbyterales, id eſt minores, ſuper plebem in Eccleſia fundere. cap. 7. de offic. archipresbyt. Archipresbyteri etiam eſt Synodum condicere, ſeu denunciare. Vitæ D. Bernard. lib. 2. cap. 6. *Archipresbyter quoque qui Petri invaſoris Pictavenſis Eccleſiæ Synodum denunciabat, coram ipſis quos ad conventum perfidiæ invitabat, à diabolo correptus eſt.*

Archipresbyteri habent propriam diœceſim quæ dicitur Decania. Capitulare 5. Caroli Calvi, tit. 3. ex Concilio Toloſano. *Statuant Epiſcopi loca convenientia per Decanias, ſicut conſtituti ſunt Archipresbyteri.* Et idem intra fines Decaniæ habet jus viſitandi Eccleſias tractûs ſui, & procurationem exigendi. Cap. cùm Apoſtolus. de Cenſib. Archipresbyter habet proprium Clerum & ſuas plebes: & ubi rus proficiſcitur, non procedit ſine aliquo è ſuis Clericis, ne deſit ei teſtis converſationis. Concil. Turonenſ. 3. can. 20. *Quotieſcumque Archiepresbyter ſeu in vico manſerit, ſeu ad villam ſuam ambulaverit, unus Lector Canonicorum ſuorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet.*

## CAPUT XIV.

### *De Privilegiis Clericorum. Clerici habent Privilegium fori, & peculium quaſi caſtrenſe, de quo teſtari & diſponere poſſunt. Militia Clericalis.*

POSTQUAM de meritis ſacræ plebis, id eſt Prebyterii & inferiorum Ordinum ſatis accuratè & diligenter ediſſeruimus, ſupereſt quaſi continens tractatus de Clericorum Privilegiis, quæ

ſunt præmia eximii laboris, & donativa ſacræ militiæ. Privilegium Clericorum omnium maximum, & quod meritò tuetur Eccleſia, eſt Privilegium fori, quod habent Clerici, nè conveniantur apud alium judicem, quàm proprium Epiſcopum. L. Cum Clericis. L. Omnes qui. C. de Epiſc. & Cleric. Nov. 83. & 123. Auth. Clericus. Auth. Statuimus. C. eodem, can. ſi quis. 11. qu. 1. cap. ſi diligenti. cap. ſignificaſti. de foro competent. Privilegium fori Clericis datum eſt, in honorem Eccleſiæ, nè Clerici ſacris addicti, per fora ſecularia vagentur in contumeliam ſacri ordinis. Can. placuit. 11. qu. 1. d. cap. ſi diligenti. Nec invidioſum Clericos habere ſuum judicem; etiam milites & negotiatores habent ſuum judicem, favore militiæ & commercii, L. unic. C. de Juriſdict. L. unic. C. in quib. cauſ. milit. In omnibus fere Clerici gaudent Privilegio militum; habent peculium quaſi caſtrenſe, de quo, licèt in parentum poteſtate ſint, teſtari, vel aliter diſponere poſſunt. L. Sacroſanctæ. auth. Presbyteros. C. de Epiſcop. & Cleric. & in hujuſmodi teſtamentis non habet locum querela inofficioſ. L. cum lege. C. eod. quod ſublatum eſt Novel. 123. cap. 19. d. auth. Presbyteros, quâ Clericis de peculio quaſi caſtrenſi teſtari licet, ſalvâ parentibus legitimâ, de quo Panormit. in cap. quia nos, de Teſtam. Benedict. in Cap. Rainut. in verbo Matrem inſuper Claram. num. 17. 18. & ſeqq.

Inſtitutum ordinis Clericalis, eſt militia ſpiritualis, quia ſacris initiati Deo militant, can. ſi officia. 59. diſt. can. reprehenſibile. 23. qu. 8. Clem. 1. de celebrat. Miſſar. Auguſtin. epiſt. 89. *Habet Eccleſia quodammodo ſuos milites, & quodammodo provinciales; unde dicit Apoſtolus: Quis militat ſuis ſtipendiis?* Et idem epiſt. 36. *Nè vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Chriſtianæ expeditionis in cujus procinctu quotidiè ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque, tibi pariter & filio noſtro Licentio miſimus:* Et rurſus idem de Verb. Domin. Serm. 19. *Hæc autem divina ſententia, quæ ad milites loquitur, poteſt etiam ad Clericos retorqueri, quia etiamſi non militare videantur ſæculo, tamen Deo & Domino militamus; videmur, inquam, non militare, remiſſis ac fluentibus tunicis, ſed habemus militiæ cingulum, quo caſtimoniæ interiora conſtringimus.* Et paulò poſt; *Milites igitur Chriſti ſumus, & ſtipendium ab ipſo donumque percipimus.* Jure Pontificio Clerici etiam in minoribus ordinibus poſiti, utuntur Privilegio fori dummodo tonſuram & teſtem Clericalem deferant. Cap. unic. de Cleric. conjugat. in 6. Hodie Clerici carent Privilegio, priuſquam ſacris ordinibus ſint initiati, vel beneficiati, vel actu miniſtrantes in

quapiam Eccleſiâ. Concil. Trident. ſeſſ. 23. de reformat. cap. 6. quod transfuſum eſt in Conſtit. Bleſenſ. art. 57. Molinenſ. art. 48. Clerici nè quidem volentes poſſunt renuntiare Privilegio fori, d. cap. ſi diligenti, d. cap. ſignificaſti. quod probat Balſamo, in can. 9. Synod. Chalced. Ratio non una eſt. Prima, quia Privilegium hujuſmodi eſt juris publici, cui conſenſu privatorum derogari non poteſt. L. Nemo, de legat. 1. altera eſt quia Privilegium nequaquam introductum eſt in gratiam perſonarum, ſed ordinis. Can. inclita. can. placuit. 11. d. cap. ſi diligenti. d. cap. ſignificaſti. cap. grave. de exceſſ. Prælat. Et Ordinis vinculo ita cohæret privilegium perſonæ, ut ab eo prorsùs avelli non poſſit. Propterea notantur fœneratores Anglici, quos Camſivos vocitabant, quòd debitores ſibi obligarent, etiam Clericos ipſos, exactâ renunciatione privilegii ordinis & fori, de quo Matth. Pariſ. ad annum 1235. ubi retulit formulam ſtipulationis. *Volumus ſuper omnibus ante dictis ubique & in omni foro conveniri, renunciando pro omnibus ante dictis, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, omni juris auxilio canonici & civilis, privilegio Clericatus & fori & Epiſtolæ D. Adriani, id eſt beneficio diviſionis, omni conſuetudine & ſtatuto, &c.* Clerici ſævis & enormibus ſeſe immiſcentes, arma portantes, contempto habitu clericali, amittunt privilegium fori, cap. 1. de Apoſtat. cap. Cùm non ab homine, cap. perpendimus, de ſentent. excommunicat. Idem de negotiantibus. Clem. diœceſanis, de vit. & honeſt. Cleric. D D. L. unic. C. In quibus cauſſ. milit. bella ger.

## CAPUT XV.

*De cæteris Privilegiis Clericorum. Privilegium Can. ſi quis ſuadente, Privileg. cap. Odoardus. Clericis remittitur juramentum calumniæ. Clerici ſunt immunes à jure pignorationis.*

INSIGNE Privilegium Clericorum eſt etiam Privilegium Canonis, Si quis ſuadente, 17. qu. 4. ex quo violentas manus injicientes in Clericos vel Monachos, incurrunt excommunicationem canonis, quæ habet vim latæ ſententiæ, cap.

cùm illorum, de sentent. excommunication. à qua absolvi non possunt ab alio quàm à summo Pontifice, nisi imminente mortis periculo. Hunc Canonem edidit Innocent. II. in Synodo Lateranensi habita anno 1139. ut consuleretur securitati Clericorum, qui passim à laïcis impunè cædebantur, vel necabantur, contemptu sacri Ordinis. Hujus Canonis sanctionem paulò post instauravit Synodus Londinensis, celebrata anno 1142. ex Matthæo Paris. in Stephano, in Synodo Londinensi: *Sancitum est ibi & generaliter constitutum, nè aliquis qui Ecclesiam, vel cœmeterium violaverit, vel in Clericos aut viros religiosos manus injecerit violentas, ab alio quàm ab ipso Papa possit absolvi.* Illorum absolutio qui ob violentam manuum injectionem in Clericos, labem excommunicationis contrahunt, reservata est Sedi Apostolicæ, exceptis certis casibus, cap. non dubium. cap. cùm pro illorum, de sentent. excommunicat. ut si Monachi utriusque sexûs se in claustro percusserint, absolvi possint à suo Abbate, d. cap. cùm pro illorum, cap. Monachi, eodem tit. cap. quoniam, de vit. & honest. Cleric. Mulieres & aliæ personæ, quæ sui juris non sunt, vel debiles, & infirmi, ab Episcopo Diœcesano absolvi possunt, cap. mulieres, eodem tit. Item, qui levem injuriam Clericis intulere, cap. pervenit. eod. tit. Item impuberes, vel qui per ludum Clericum percussere, cap. 1. eod. tit. Nequaquam verò in excommunicationem Canonis incidit mulier, quæ pudicitiæ tuendæ causâ Clericum sese tentantem, vel pudori vim facientem percussit, quia in eo casu non videtur esse violenta manuum injectio, quia magis repellendæ quàm faciendæ injuriæ causâ infertur. Hanc ob causam Puellam Bruxellensem, quæ ejulans venit ad Cantipratense monasterium, cùm ei à quibusdam Clericis suasum esset se Romam pergere omnino oportere absolutionis petendæ gratiâ, quòd Clericum ejus pudicitiam per vim tentantem percussisset, ex quo sanguis è naribus fluxisset, ridet Thomas Cantipratens. lib. 2. Apum cap. 30.

Est & aliud singulare Privilegium Clericorum, quòd Clerici ob æs alienum, si fortè solvendo non sint, non possunt excommunicari; sed satis est eos cavere, datis fidejussoribus de solvendo, si quando ad pinguiorem fortunam pervenerint, cap. Odoard. ex de sol. Clerici ferè semper comparantur militibus, qui & æris alieni causâ non tenentur, nisi in quantum facere possunt, detracto ne egeant, L. Milites. ff. de re judicat. Quod si Clerici qui debitores existunt sint solvendo, ad solvendum compelli suspensione à sacris nihil vetat. Abbatem S. Ebrulfi ut æs alienum à

decessore

deceſſore ſuo in rem Eccleſiæ contractum lueret, ſuſpendit à divinis Arnulf. Lexov. Epiſcopus, epiſtol. 12. ad eundem. *Studij itaque veſtri ſit infrà proximum Pentecoſten facere, ſicut in noſtra fuit præſentia conſtitutum; alioquin ex ea die fraternitatem veſtram ab officio altaris noveritis eâ quâ præeminemus auctoritate ſuſpenſam: fratrum verò veſtrorum conſcientiæ relinquo, quomodo munus offerant ad altare, ſi non fuerit creditoribus ſatisfactum, quibus ipſi ſe etſi non propriis, vicariis tamen manibus aſtrinxerunt.*

Speciale quoque privilegium Clericorum eſt quòd Clericis remittitur jusjurandum de calumnia, quod initio litis præſtari moris fuit; quia Clerici jurare prohibentur. L. Cùm Clericis, §. 1. Cod. de Epiſc. & Cleric. cap. 1. de jurament. calumn. de quo Molin. in Præf. in Edictum regium contra parvas datas, num. 26. Verùm hodie id juris factum eſt commune omnibus, ex quo hujuſmodi ſacramenti præſtatio in deſuetudinem abiit. Bulgar. in L. Rem non novam, cap. de Judic. Hoſtienſ. in cap. Cùm dilectus, de conſuetudine. Non impari prærogativâ Clerici jurant propoſitis, non tactis ſacroſanctis Evangeliis, cap. ult. de juramento calumn. Concil. Tribur. can. 21. can. ſi quis Presbyter. 2. quæſt. 5. Nov. Juſt. 123. cap. 7. Auth. ſed Judex, Cod. de Epiſcopis & Clericis. Rebuff. in Conſtitutiones Regias, de inquiſit. art. 12. gloſſ. 1. Hoc ritu ſolemni Henricum III. Regem Anglorum in expeditionem tranſmarinam juramento ſeſe obſtrinxiſſe manu ad pectus poſitâ, quaſi Sacerdotem refert Matth. Pariſ. ad annum 1252. « *Et jurans hoc appoſuit manum ſuam dexteram ad pectus ſuum more ſacerdotis, & poſteà ſupra Evangelia appoſuit, & oſculatus eſt ea more laici.* « Laici nimirùm jurant tactis ſacroſanctis Evangeliis, & hoc eſt quod corporale juramentum dicitur. L. 1. Cod. ſi adverſ. vendit. leg. 3. Cod. ſi minor ſe majorem dix. cap. cùm in Eccleſiis, de major. & obed. Græci σωματικὸν ὅρκον, Balſam. in Nomocan. Phot. cap. 27. Clericorum etiam præcipuum privilegium quòd liberi ſunt & immunes à jure Pignorationis, quod Repræſalias vocant, cap. unic. de injur. in 6. Marcus. part. 2. quæſt. 359.

## CAPUT XVI.

### *Clerici excusantur ab extraordinariis & sordidis muneribus; iidem excusantur à tutelis & à militia; nec possunt torqueri.*

CLERICI etiam immunes sunt à sordidis & extraordinariis muneribus, L. 1. & 2. Cod. de Episc. & Cleric. L. Placet. Cod. de sacrosanctis Eccles. Nov. Justin. 131. cap. 5. Sordida munera quæ sint docet, L. maximarum, Cod. de excusat. muner. lib. 10. L. 15. & 18. Cod. Th. de extraordin. mun. Iidem immunes sunt à susceptione hospitum, id est à metatis. Leg. 1. Cod. de Episcopis & Clericis; à collatione auri lustralis, L. 2. Cod. de Episc. & Cleric. L. 1. 11. 16. Cod. Th. de lustral. collat. Clerici verò non revelantur à vectigalibus & tributis, quæ prædiis imponuntur, L. 3. C. de Episc. & Cler. Leg. Sacrosancta. C. de sacros. Eccles. quia sunt onera prædiorum, non personarum. Iidem tenentur ad instructionem viarum & pontium, quia hujusmodi onus non censetur inter sordida munera. L. ad instructionem. Cod. de sacrosanctis Eccles. Ingulph. in Chronic. Chroyland. ex diplomate Ethebaldi Regis Merciorum: *Hujus rei gratiâ hanc donationem meam me vivente concedo, ut omnia Monasteria & Ecclesiæ regni mei à publicis vectigalibus, operibus & oneribus absolvantur, nisi in instructionibus arcium vel pontium, à quo numquam ulli possunt laxari.* Necnon Clerici tenentur ad constructionem & refectionem murorum civitatis: nemo enim excusatur ab hoc onere, L. ult. Cod. de quibus muneribus nemini liceat se excusare, propter communem utilitatem. Eadem ratione Clerici non excusantur ab excubiis pro custodia civitatis, vel castri, tempore belli, cap. 2. de immunitatibus eccles. Nostri *VVactas* vocant, *Guet & garde.* Ludovic. in præcepto quod fecit Hispanis, qui ad se confugerant: » Et in marchia nostra juxtà rationabilem ejusdem Comitis » ordinationem atque admonitionem, exploraciones & excubias, » quod usitato vocabulo *VVactas* dicunt, facere non negligant. Clerici etiam tenentur ad collectas & indictiones, quæ imponuntur propter famem & pestem. Barbos. Jur. Ecclesiast. lib. 1. cap. 39. §. 5. num. 45.

Clerici quoque, licèt volentes tutelam ſuſcipere poſſint, inviti tutores dari non poſſunt. L. generaliter. & Auth. Presbyteros. Cod. de Epiſc. & Cleric. Can. pervenit, 86. diſt. Imò ex Concilio Africano, Clerici ne quidem volentes tutores dari poſſunt. Cyprian. epiſt. 66. *Jam pridem in Concilio Epiſcoporum eſt ſtatutum, ne quis de Clericis & Dei miniſtris, tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quando ſinguli divino Sacerdotio honorati, & in Clerico miniſterio conſtituti, non niſi altari & ſacrificijs deſervire, & precibus atque orationibus vacare debeant.* Can. Cyprianus, 21. qu. 3. Presbyteri etiam non poſſunt torqueri teſtimonii dicendi causâ, & hoc eſt quod dicitur in L. Presbyteri, Cod. de Epiſc. & Cleric. *Presbyteri citrà injuriam quæſtionis teſtimonium dicant*; id eſt, ita ut veritas ab eis non quæratur per tormenta, ſicut ſolet à ſervis, ſed religione jurisjurandi. Denique Clerici excuſantur à militia, quia Clericorum officium eſt Deo militare, id eſt ſacris dare operam, non ſævis ſe immiſcere. Can. Clerici. Can. Reprehenſibile, 23. q. 8. A Clericis quòd ad delectum non reſpondiſſent, bannum, id eſt pœnam detrectatæ militiæ exactitavit Chilpericus. Gregor. Turon. lib. 5. cap. 26. *Poſt hæc Chilpericus Rex de pauperibus & junioribus Eccleſiæ vel Baſilicæ Bannos juſſit exigi, pro eo quòd in exercitum non ambulaſſent.* Et hæc vice Corollarii erunt ſacræ juriſdictionis defenſioni, quatenùs varii ipſius gradus ex his intelliguntur, & ſacræ militiæ acies in ejus obſequium & tutelam diſponuntur. Unum in calce hujuſce operis teſtor me ſincerè & ex animi ſententia hæc ſcripſiſſe abſque livore & adulatione; non vernulæ, ſed docentis ingenio; non fraudis, ſed veritatis ſtudio. Verum ne mihi credam, quâ religione hæc ſcripſi, eâdem hæc judicio Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ univerſæ ſubmitto.

*FINIS.*

# INDEX

## RERUM PRÆCIPUARUM, quæ in hoc Volumine continentur.

## MONITUM.

*Diligentiæ gratiâ, diverſorumque Typographorum commodo, arithmeticæ Notæ eædem in hoc Libro repetitæ ſunt; ut hic Index ſit confuſionis expers, illis Aſteriſcum * appoſuimus.*

## A


ABBATUM benedictio, cujus Ordinis ſit, *pag.* 56. Quid ſi Epiſcopus ea de re tertiò requiſitus *Abbatem* benedicere recuſet, 46. 57. Benedictionis *Abbatum* ſolemnia, 58. Utrùm *Abbates* ad Synodum cogendi ſint, 88.

*Abuſus.* Variæ hujus vocis notiones, 296. Appellationum ab *abuſu* ætas & origo, 297. Quibuſnam in caſibus locus ſit appellationi tanquam ab *abuſu*, 299. Caſus proprii appellationis tanquam ab *abuſu* expenduntur, 300. 301. *& ſeq.* Appellationibus tanquam ab *abuſu* modus imponendus, 303. Appellationum tanquam ab *abuſu* nimis frequens uſus, 304. Appellationes tanquam ab *abuſu*, lethale virus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, 305.

*Acolythorum* gradus & officium, 116.* Quare Ceroferarii dicti, 117* Ordinationis eorum ſolemnia, *Ibid.*

*Adulterium* utrum ſit crimen Eccleſiaſticum, 164. Variæ *adulterii* pœnæ, 165. *& ſeq.* Mattari *adulteros* quid ſit, 165. Utrum *adulterium* crimen ſit capitale, 166. 167.

*Ægidius* Rhemenſis Epiſcopus conſpirationis coïtæ reus, in Metenſi Concilio depoſitus, 174.

*Ætatis* defectus quoad Ordines & Beneficia à quo ſuppleri poteſt, 94. 95.* *Ætatis* venia ad Magiſtratus gerendos, à quo conceditur, *Ibid.*

*Alienatio* rerum Eccleſiæ utrum fieri poſſit abſque conſenſu Epiſcopi, 100. vel Capituli, 102. An in ea deſideretur conſenſus Principis, *Ib.* *Alienationis* cauſæ legitimæ, 101.

*Angli.* Juriſdictionis Eccleſiaſticæ ſtatus ſub *Anglorum* Regibus, 136. *& ſeq.* *Anglorum* privilegia, 286.

*Apoſtata* à Religione qui in *Apoſtaſia* ordinatus eſt, à quo diſpenſatur ut in ſuſceptis Ordinibus valeat miniſtrare, 95.*

*Appellationum* ab abuſu ordo, 281. Ab Epiſcopo vel Officiali ad quem *appellandum* ſit, 282. An *appellatio* recipi poſſit, omiſſo medio, *ibid.* Modus *appellandi* in judiciis Eccle-

siasticis, 282. Ratio *appellationis* in judiciis ecclesiasticis à civilibus planè diversa, 283. An liceat *appellare* ad summum Pontificem omisso medio, 285. 102.* De *appellationibus* transmarinis, 285. 286. Anglorum privilegium in *appellationibus*, 286. An ab eadem sententia tertiò *appellare* liceat, 287. De jure à Judice ecclesiastico non *appellatur* ad Judicem secularem, 292. An hujusmodi *appellatio* ex Capitulis Clarendonensibus comprobari possit, *Ibid.* An ex Canone *Filiis* Concil. Tolet. IX. 293. *Appellationes* ab Episcopis ad Judicem secularem damnatæ, 288. Utrum in exemplum trahendum est quod Paulus *appellaverit* ad Cæsarem, 292. *Appellationis* Pauli ad Cæsarem ratio redditur, *ibidem.* *Appellationes* à Judice ecclesiastico ad secularem seriùs auditæ in Gallia, 294. An protestatio Procerum Galliæ vim habeat *appellationis* tanquam ab abusu, 294. *Appellationes* tanquam ab *abusu*. Vide ABUSUS. *Appellationes* à Metropolitano, à Primate. Vid. *Metropolitanus. Primas.*

*Archidiaconi* nomen, dignitas & officium, 131. 132.* *Archidiaconus* Vicarius Episcopi, 325. Utrum Jurisdictionem habeat in laïcos sicut & in Clericos, *ibid. & seq.* Utrum *Archidiaconus* Jurisdictionem habeat propriam & ordinariam, 327. Jurisdictionis *Archidiaconi* vices, 326. 327. An *Archidiaconus* sit Antistes secundi ordinis, 328.

*Archipresbyter* quis sit, & quare sic dictus, 329. 139.* Utrum sit ordine, dignitate & officio minor vel major Archidiacono, 329. Quotuplex *Archipresbyter*, ibid. & 140.* *Archipresbyteri* jura, vices & officium, 330. & 140.*

*Armorum* portus quibus interdicitur, 184. Portûs *armorum* cognitio ad quem pertineat, *ibid.* Varia publicam pacem *armis* perturbantium pœna, 185.

## B

BANNUS Episcopalis quid sit, 214 12. * A quibus & quare exigendus, *ibid.*

*S. Benedicti* Ordo Monachorum ab ipso institutus, 87.* *S. Benedicti* Regula à Gregorio I. approbata, *ibid.* Eadem Regula in Synodo Romana confirmata, 87.* Et à Bonifacio comprobata, 88.*

*Benedictionis* solennis jus fundendi super plebem, utrum sit ordinis Episcopalis, 60. 61. *Benedictio* major & minor, 61. *Benedictionis* vis & gratia, *ibid. Benedictio* Abbatum. vid. *Abbates.* Campanarum *benedictio*, vide *Campanæ.*

*Beneficii* nomen unde ortum, 70. *Beneficiorum* collatio ad quem de jure pertineat, *ibid. & seq.* De collatione facta ab Episcopo post jus devolutum ad Superiorem, 72. Si *Beneficium* sit juris Patroni, ad quem spectet ejusdem institutio, & quomodo, 70. *& seq.* Collatio *Beneficiorum*, an à Vicario Episcopi ad Episcopum devolvatur, 73. Concursus summi Pontificis in collatione *Beneficiorum*, 73. 74. Cujus sit jurisdictionis *Beneficiorum* unio, 78. Unionis solemnia, 79. 80. Utrum in unione *Beneficiorum* requiratur consensus plebis, 79. 80. An causa possessorii *Beneficiorum* de jure spectet ad Judicem ecclesiasticum, 123. An eadem in Gallia ex lege Regni, vel consuetudine, vel privilegio Apostolico spectet ad Judicem Laïcum, 124. 125. Unde & à quibus Judices seculares jus habuere cognoscendi de possessorio *Beneficiorum*, 125. Res-

criptum Martini V. Pontificis ſuper cognitione poſſeſſorii in *Beneficiis* Eccleſiaſticis, *ibid.* An Judex Eccleſiaſticus in petitorio *Beneficii* poſſit ferre contrariam ſententiam ei quæ lata eſt à Judice Laïco in poſſeſſorio, 126. 127. An Judex ſecularis de adipiſcenda poſſeſſione in *Beneficiis* Eccleſiaſticis cognoſcat, 128. Si Epiſcopus renuat conferre *Beneficia* ad ſuam collationem ſpectantia, vel interponere litteras quas vocant *Viſa*, ſuper proviſionibus Pontificiis, Judex ſecularis poteſtne cognoſcere de cauſis repulſæ vel refutûs, 129. 130. De ſolutione penſionis *Beneficiariæ* quis debeat cognoſcere, 133. An Epiſcopis olim licitum fuerit imponere penſiones *Beneficiarias*, 133. & 134. In pluralitate dignitatum vel *Beneficiorum* cutam animarum habentium, an & quis diſpenſare poſſit, 96.* Penſionem *Beneficiis* eccleſiaſticis quis imponere valeat, 96. 97. * *Beneficia* commendata, 97.* *Beneficia* unius Monaſterii vel Ordinis, an ex diſpenſatione ſummi Pontificis conferri poſſint Monachis alterius Ordinis, vel etiam ſecularibus, 97.*

*Bigami* ut promoveantur ad Ordines, quis diſpenſare poteſt, 95.*

*Blaſphemia* in Deum, Deiparam, & Sanctos utrum ſit eccleſiaſtici fori, an mixti, 172.

*Breviarii* Romani uſus & recitatio utrum admitti poſſit abſque conſenſu Metropolitani, 96.

*Bugeres* qui ſint, 151. *Bugeres* quare hæretici dicti, *ibid.*

## C

CALENDIO Antiochenus Epiſcopus à Zenone ob perduellionis crimen exilio damnatus, 181.

*Campanarum* benedictio, 56.

*Cancelli.* Laïci ne ſtent inter *Cancellos*, 207. Soli Imperatori licebat ex conſuetudine Græcorum intra *Cancellos* manere, *ibidem.* Ambroſius Theodoſium Imperator. intrà *Cancellos* ſtantem exire jubet, 207.

*Canis* pœna, quæ ſit, quibuſve imponenda, 185.

*Canonicæ* pœnæ. Vide *Pœnæ.*

*Canonicatuum* creatio, quâ auctoritate fiat & quomodo, 79.* *Canonicorum* correctio. Vid. *Capitulum.*

*Canonizatio* Sanctorum, initia ejus, 85.* *Canonizatio* Sanctorum olim communis Epiſcopis, *ibidem.* Facta propria ſummo Pontifici, 71. & 86.* Forma & ritus *Canonizationis* Sanctorum, 85.*

*Capituli* Juriſdictio, 319. Utrum *Capitulum* habeat Juriſdictionem correctivam in Canonicos & alios Clericos, 320. Quo in loco Juriſdictio correctiva Capituli exerceatur, *ibid.* Utrum *Capitulum* correctionis cauſâ poſſit multare Canonicos vel alios Clericos privatione vocis in *Capitulo*, vel diſtributionum quotidianarum ad tempus, 321. *Capitulum* Senatus Eccleſiæ, ibid. *Capitulum* unum facit corpus cum Epiſcopo, 321. Quænam fieri nequeunt ab Epiſcopo ſine conſenſu *Capituli*, 322. Vacante Sede Epiſcopali, *Capituli functiones*, 323. Vicarius à *Capitulo* creandus, *ibid.* Utrum Monaſteria monialium *Capitulum* viſitare poſſit. 324. An Sede vacante ſuccedat *Capitulum* in Collatione Beneficiorum, *ibidem.* Utrum liceat *Capitulo* intra annum à die vacationis, ordinare aut litteras dimiſſorias ad Ordines concedere, 324. An poſſit Officialem deſtituere, *ibid.* Viſitare & Synodum celebrare, 325. *Capituli* conſenſus in alienatione rerum Eccleſiaſticarum utrum deſideretur, 101.

*Cathedraticum* quid ſit, & quomodo

exigendum, 90. 91.
*Causæ Majores* quæ sint, 54.* *Majores Causæ* Sedi Apostolicæ reservatæ, *ibid.* Quare, 54.* Inter *Majores Causas* recensentur, Congregatio Conciliorum Generalium, 55.* Definitio quæstionum fidei, & Damnatio hæresum, 56.* In dubiis fidei relatio ad summum Pontificem, 59.* Depositio Episcoporum, 60. 61.* *& seq.* Depositio & restitutio Episcoporum, 65.* *& seq.* Postulatio Prælatorum, 68. 69.* Translatio Episcoporum, 71.* *& seq.* Erectio, unio, divisio, translatio, & suppressio Sedium Episcopalium, 74.* *& seq.* Datio Coadjutorum, 79.* *& seq.* Exemptio Monasteriorum, 82.* *& seq.* Canonizatio Sanctorum, 85.* *& seq.* Approbatio Ordinum Religiosorum, 86.* *& seq.* Concessio Indulgentiarum, quas Plenarias vocant, 89.* *& seq.* Clericorum vel Episcoporum etiam invitorum ordinatio, 93.* Clericorum cujuscumque Diœcesis promotio, 94.*
*Chirographus*, An actiones *Chirographariæ* sint personales, 136. Utrum Judex Ecclesiasticus cognoscat de agnitione *Chirographi*, ibid. & seq.
*Chrismatis* confectio, 55.
*Cinctus* Judex quis sit, & cur sic dictus, 261.
*Clericorum* obedientia & reverentia erga Episcopum, 72. Ad quem pertineat institutio & destitutio *Clericorum*, 69. *& seq.* Jus corrigendi & reformandi *Clericos*, cui competat, 102. 103. *Clerici* habent privilegium fori, 112. Privilegium illud in quo consistat, *ibid.* Utrum huic renuntiare liceat, 112. 113. *Clericorum* privilegia contra Fevretium adstruuntur, *ibid. & seq.* Quibusnam in casibus *Clerici* amittunt privilegium fori, 115. 116. *Clerici* sunt fori Episcopalis in actionibus personalibus, civilibus vel criminalibus, 118. *vid.* inferiùs. *Clerici* publicis rationibus obnoxii à sacris Ordinibus arcentur, 118. Quare, 118. 119. An *Clericis* negotiari liceat victûs causâ, salvo privilegio fori, 120. Quæstio feudi laïci inter *Clericos* ad quem pertineat, 122. 123. Judex Ecclesiasticus cognoscit de rebus personalibus in *Clericos*, 131. non de realibus, *ibid.* An pro reliquiis censûs, pensionis, vel reditûs pecunia constituti, *Clericus* personali actione conveniendus sit apud Judicem Ecclesiasticum, an apud secularem, 131. Jurisdictio Episcopalis in *Clericos* de Criminalibus, 143. Utrum in criminalibus sicut & in civilibus *Clerici* conveniendi sint apud Judicem Ecclesiasticum, 143. 144. Jurisdictioni ecclesiasticæ in criminalibus quis modus à Justiniano impositus, 145. De concubinatu *Clericorum*, 168. 169. An homicidii cognitio quoad *Clericos* ad ecclesiasticum Judicem pertineat, 170. An etiam Beneficium, 171. Causa injuriarum in Clericos, utrum sit fori ecclesiastici, 175. Quid si *Clericus* libellum famosum sparserit, *ibid.* Portûs armorum in *Clericis* cognitio utrum ad Judicem regium spectet, 184. Latrocinii & incendii quæstio in *Clericis* à quo habenda, 186. 187. Incestus simplex & Sodomia, utrum sint fori ecclesiastici in *Clericis*, 191. An raptus quoad *Clericos* sit crimen civile, 193. Crimen falsæ monetæ & crimen falsi, cujus sint fori in *Clericis*, 194. 195. Magistratuum officio fungentium offensa quæ per *Clericos* infertur, casus est privilegiarius, 199. Idem de infractione regiarum Constitutionum dicendum, 200. *Clerici* ne quidem volentes à Judice seculari audiendi, 261. Pœnæ canonicæ in *Clericos*, 3.* cur mitiores, 1.*

*& seq.* Reorum neci *Clerici* ne adsint, 11.* Custodia perpetua vel ad tempus pœna canonica *Clericorum*, 44.* An Judex ecclesiasticus possit exilio damnare *Clericos*, vel ad triremes, 46.* An & à quo *Clerici* etiam inviti ordinari queunt, 93.* *Clericorum* privilegia, 141. 142.* Qui injiciunt manus violentas in *Clericos*, incurrunt excommunicationem, 144.* Utrum *Clerici* propter æs alienum excommunicari queant, ibid. *Clericis* remittitur juramentum de calumnia, quod initio litis præstandum erat, 145.* *Clerici* immunes à jure pignorationis, ibid. *Clerici* excusantur à sordidis & extraordinariis muneribus, 146.* Iidem excusantur à tutelis & militia, 147.* *Clerici* torqueri non possunt testimonii dicendi causâ, *Ibid.*

*Coadjutores*, quare & quando dati, 79.* A quibus primùm creati, *ibid. & seq.* An *Coadjutorum* datio velut una ex majoribus causis à Summo Pontifice pendeat, 80.* *& seq.* Quando *Coadjutorum* datio specialiter erepta Metropolitanis, 81.*

*Collatio* Beneficiorum, vid. *Beneficia.*

*Collegiatarum* Ecclesiarum fundatio, 78.

*Commendæ* Beneficiorum, 97.*

*Commendarum* origo, 81. Cujus juris sit *commendatio* Ecclesiarum, *ibid. & seq.* Damnatur *commendarum* usus, 83.

*Concubinatus* in Clericis utrum sit fori ecclesiastici, 168. An etiam *concubinæ* Clericorum ad ecclesiasticum tribunal trahi possint, 169.

*Confirmatio* Baptizatorum utrum sit Ordinis Episcopalis, 49.

*Conciliorum* generalium congregatio ad quem pertineat, 53.* Romani Pontificis potestas in celebrandis *Conciliis* agnita à Patribus Nicænis, Antiochenis, Ariminensibus, &c. 55.* Testimonio ipsorum Imperatorum, *ibid.*

*Conservatores* Apostolici, qui sint & quare instituti, 273.

*Conspiratio* Clericorum in Episcopos cujusnam sit fori, 201. Hujus criminis pœna, *ibid. & seq. Conspirationis* hujusmodi crimen olim frequens in Gallia, 201.

*Constantinus.* Status Jurisdictionis Ecclesiasticæ sub *Constantino*, 17. Ecclesiastica Jurisdictio *Constantini* beneficio aucta & propagata, 18. *Constantini* Constitutio à falsi suspicione adversùs Loyseum & Feyretum vindicata, 19. & 20. Varius Ecclesiasticæ Jurisdictionis status sub *Constantino*, 21.

*Constitutionum* regiarum infractio in Clericis utrum sit casus privilegiarius, vel regius, 200.

*Consuetudinis* autoritas, 132. *Consuetudo* prava utrum vim legis habeat, *ibid.* An Judices seculares tuti sint *consuetudine* de occupatione Jurisdictionis Ecclesiasticæ, 132.

*Copiatæ* qui sint, & eorum officium, 111.*

*Correctionis* jus multiplex, 102. An Episcopo competat in Clericos, 102. 103. An etiam in Laïcos, 105.

*Criminales* causæ Clericorum apud quos agendæ, 143. *& seq.* Vide *Clerici.* Ecclesiasticorum & civilium *criminum* distinctio, 146. Varia *criminalium* causarum in Clericos Jurisprudentia, *ibid. & seq.* Unde & quando cœpta ratio & distinctio *criminis* privilegiati & *criminis* communis, 147. *Crimen* mixtum quid sit, 157. Utrum sit admittendum, *ibid.*

*De Cruce Signatorum* bonis an cognoscat Judex ecclesiasticus, 216. 217.

*Custodia* perpetua vel ad tempus, pœna canonica Clericorum, 44.* Hujus pœnæ causa, *ibid. & seq.* Hæreticorum etiam pœna canonica fuit perpetua *custodia.*

## D

DECIMÆ. Utrum jus *Decimarum* ſit ſpirituale, 213. Quis legitimus *Decimarum* Judex, *ibid.* Utrum Laïci per cenſuras eccleſiaſticas compelli poſſint ad ſolutionem *Decimarum*, 214.

*Depoſitio* quid ſit, & quare ſic dicta, 18.* *Depoſitio* primis Eccleſiæ ſæculis perpetua, & ſine ſpe reſtitutionis, ibid. *Depoſitio* ad tempus, 19.* *Depoſitorum* habitus ac pœna, ibid. & ſeq. *Depoſiti* traditi ſeculari judici puniendi, 21.* *Depoſitio* multiplex, 22.* Quid *depoſitio* nuda, quid *depoſitio* ſolemnis, ib. & ſeq. *Depoſitionis* ſolemnia, 23.* & 26.* *Depoſitioni* modus adhibitus, 25.* Ad quem ſpectat *depoſitio*, 25.* 60.* *Depoſitio* à deſtitutione in quibus differat, 26.*

*Devolutio* an admittatur in his quæ ſunt Ordinis, 46. Beneficiorum *devolutio*, 72. 73.

*Diaconi* à quibus inſtituti, 119.* *Diaconorum* inſtitutionis ſcopus, ibid. & ſeq. *Diaconorum* gradus & officium, 120.* 121.* *Diaconorum* ordinationes cum titulo, 124.* *Diaconorum* varia munia, 120.* 125.* & ſeq. *Diaconorum* veſtes, 130.*

*Diœceſis* à quo, quomodo, & quando luſtranda, 84. Utrum Epiſcopo viſitanti debeatur procuratio, ſeu corporis refectio, 86. Tota *Diœceſis* eſt parœcia Epiſcopi, 106.

*Dimiſſoriæ* litteræ quando, quare & à quo concedendæ, 45. 47.

*Diſpenſationes* quando, & quibus de cauſis faciendæ, 100.* 101.* Caſus in quibus Papa *diſpenſare* poteſt, 93.* *& ſeq.*

*Divortium.* Utrum fieri poſſit ſine conſenſu Eccleſiæ, 210. Ad quem ſpectat cauſa *divortii*, ibid.

*Dos & dotalitium.* Moribus Francorum *dos* dicta ad fores Eccleſiæ, 212. Quis cognoſcat de *dote*, Judex eccleſiaſticus an ſecularis, *ibid.*

*Duellum*, ſeu Monomachia, 181. Vid. *Perduellio.*

## E

ECCLESIAM tueri debent Principes, 10. Ratione dignitatis & officii, *ibid.* Exemplo majorum Principum, 11. *& ſeq.* Regum exemplo Magiſtratus ſeculares colere debent *Eccleſiam*, 13. Quibus armis *Eccleſia* Juriſdictionem ſuam tueatur, 14. Ab Apoſtolicis temporibus *Eccleſia* ſuos habuit Judices, 16. Cujus juris ſit *Eccleſiaſtica* Juriſdictio, juris divini an humani. Vide *Eccleſiaſtica* Juriſdictio. *Eccleſia* neſcit judicium ſanguinis, 6.* Modicam tamen habet coërcitionem, 9.* *Eccleſiarum* pollutarum reconciliatio ad quem pertineat, 67. Reconciliationis ritus, 68. *Eccleſiæ* Parochiales. [Vide *Parochia.*] *Eccleſiarum* bona, à quibus, quomodo, & qua de cauſa alienari poſſint, 100. 101. An cognitio de inſtauratione & refectione *Eccleſiarum* pertineat ad Epiſcopum, 137. 138. *Eccleſiarum* conſecratio, ad quem ſpectet, 51. *& ſeq.* Conſecrationis *Eccleſiarum* ſolemnia, 52. 53. *& ſeq.*

*Eccleſiaſtica* juriſdictio, à quo repetenda, 2. Variis temporibus aucta, vel imminuta, 3. An ſit juris divini, 5. Unde trahat originem, 5. 6. Satis fit objectionibus, 6. 7. *Eccleſiaſtica* juriſdictio convenientiæ rationibus aſſerta, 7. Utrum *Eccleſiaſtica* juriſdictio diſtincta ſit à civili, 8. 143. Una alteri non officit, 9. Una alteram tueri debet, *ibid. & ſeq.* Una eſt juriſdictio *eccleſiaſtica* & civilis, quoad Principem, 12.

Eam Princeps tueri debet ut propriam, *ibid.* 271. Quare, 12. *Ecclesiastica* Jurisdictio Principibus minimè suspecta est, 14. 15. Status jurisdictionis *ecclesiasticæ* ab Apostolis usque ad Constantinum, 16. sub Constantino, 17. Varius jurisdictionis *ecclesiasticæ* status sub Constantio, 21. sub Valente & Gratiano, 22. Theodosio seniore, 23. sub Valentiniano, *ibid. & seq.* sub Arcadio & Honorio, 24. sub Marciano, 24. 25. Jurisdictio *ecclesiasticæ* restituta à Justiniano, 26. Eadem sub Regibus Gothorum incolumis, 27. Status Jurisdictionis *ecclesiasticæ* inconcussus sub Regibus Francorum primæ stirpis, 27. *& seq.* Status Jurisdictionis *ecclesiasticæ* sub Carolo Magno, & aliis Regibus secundæ stirpis, 30. Reges in propriis causis adversus perduelles Jurisdictionis *ecclesiasticæ* opem implorant, 31. Status Jurisdictionis *ecclesiasticæ* sub Ludovico Crasso, Ludovico Juniore, Philippo Augusto, & D. Ludovico, 32. *& seq.* Sub Carolo VI. Philipo Valesio, & Carolo VIII. 35. *& seq.* Varius status Jurisdictionis *ecclesiasticæ* sub Regibus Anglorum, 36. 37. *& seq.* Creatio dignitatum *Ecclesiasticarum* de novo, ad quem pertineat, 75. An Judices seculares consuetudine fulti occupare possint Jurisdictionem *ecclesiasticam*, 132. Judicis *ecclesiastici* cognitio est etiam in Laïcos, 205. 206. *& seq.* Varia sub diversis Imperatoribus Jurisdictionis *ecclesiasticæ* facies, *ibid.* Quibus casibus de jure cognoscat Judex *ecclesiasticus* in Laïcos, 220. 221. *& seq.* Judiciorum *ecclesiasticorum* ordo & processus, 239. Judicii *ecclesiastici* ratio in quibus discrepet à forensi, 240. *& seq.* In causis *ecclesiasticis* omnia juris solemnia remittuntur, 241. 242. Causæ *ecclesiasticæ* judicandæ secundùm Canones, non secundùm leges vel consuetudines locorum, 243. 244. Monomachia in causis *ecclesiasticis* utrum sit admittenda, 245. Causæ *ecclesiasticæ*, quæ jure ordinario terminari non poterant forte diremptæ, 246. An Laïci possint esse Judices *ecclesiastici*, 257. An iisdem liceat adsidere Judicibus *ecclesiasticis*, 258. Judex *ecclesiasticus* non exequitur sententiam per se, 258. Quare, *ibid. & seq.* Cur implorat officium Judicis secularis, 259. 260. An Judex secularis hac de re requisitus teneatur auxilium præstare Judici *ecclesiastico*, 260. Judex secularis potestne injungere Judici *ecclesiastico*, ut excommunicatum absolvat ad cautelam, 267. 268. Pœnæ statutæ in perfringentes jutisdictionem *ecclesiasticam*, 269. Officium Christiani Principis est, tueri jurisdictionem *ecclesiasticam*, 271. Respondetur querelis secularium de usurpationibus Judicum *ecclesiasticorum*, 275. 276. *& seq.* Judices *ecclesiastici* vetantur sportulas accipere, & quare, 280. Iidem suadentur lites componere, *ibid.* Judiciorum *ecclesiasticorum* cunctatio & morositas excusatur, 305. Pœnæ à Judice *ecclesiastico* decretæ, 9.* An Judex *ecclesiasticus* possit reos subjicere quæstioni, 10.* *Ecclesiasticæ* jurisdictioni in criminalibus modus impositus à Justiniano, 145.

*Eleemosyna.* Hujus vocis vis & significatio, 231. Ad quem pertineat cognitio de feudo *eleemosynæ*, 230.

*Episcopi* utrum habeant Jurisdictionem, 1. Cujus fori sint *Episcopi*, 2. *Episcoporum* Jurisdictio adversùs Cujacium vindicata, 1. 2. *& seq.* A Constantino agnita, 2. *Episcoporum* jurisdictio variis temporibus, Imperatorum & Principum Consti-

tutionibus auctorata vel anguſtata, 3. Utrum *Epiſcopus* juriſdictionem habere poſſit ſine territorio, & cur, 4. Quare rerum judicatarum executio ab *Epiſcopis* rejicitur, & ſecularibus judicibus demandatur, 6. 7. *Epiſcopalis* Juriſdictionis eſt collatio Ordinum, 42. 43. Si *Epiſcopus* renuat conferre Ordines, vel litteras dimiſſorias dare ad Ordines aſſumendos, utrum liceat adire quemcumque *Epiſcopum* etiam peregrinum, 47. Ordinis *Epiſcopalis* eſt Confirmatio baptizatorum, 49. An conſecratio Eccleſiarum, & Altarium ad *Epiſcopum* ſpectet, 51. Utrum inter *Epiſcopalia* munia confectio Chriſmatis, & benedictio campanarum ſacrorumque vaſorum numerentur, 55. 56. Utrum *Epiſcopalis* Ordinis ſit velatio virginum, 59. Hodie Preſbyteris licet recipere profeſſionem Monialium, ſed non ſine autoritate *Epiſcopi*, 60. An Ordinis *Epiſcopalis* ſit ſolemnis ſuper plebem benedictio, 60. 61. *Epiſcopi* eſt pœnitentiæ publicæ impoſitio, 62. Eccleſiæ pollutæ reconciliatio, 67. & ſeq. *Epiſcopalis* Ordinis fuit canonizatio Sanctorum, 69. *& ſeq.* Quo tempore & quare Sedi Apoſtolicæ reſervata. 71. Penes *Epiſcopum* adhuc eſt tranſlatio Reliquiarum, *ibid.* Juriſdictionis eſt *Epiſcopalis* obedientia, ſubjectio, & reverentia Clericorum, 72. 73. *& ſeq.* Mos occurrendi *Epiſcopis* cum thure & facibus, 64. Relatio nominis *Epiſcoporum* in dypthicis Eccleſiarum, 65. Celebratio Anniverſarii ordinationis *Epiſcoporum*, ibid. *Epiſcopus* ſolus in Eccleſia jus habet throni, 66. Thronus ſymbolum eſt *Epiſcopalis* juriſdictionis & poteſtatis, & quare, 67. An liceat *Epiſcopo* per ſe mutare Sedem in Eccleſia, 68. Ad *Epiſcopum* pertinet inſtitutio & diſtinctio Clericorum, 69. Utrum de jure collatio Beneficiorum ſit *Epiſcopalis* juriſdictionis, 71. Luſtratio Diœceſis præcipuum officium *Epiſcopi*, 84. 85. Utrum viſitanti *Epiſcopo* debeatur procuratio, 86. *Epiſcopus* jus habet convocandi Synodum, 87. An Synodati cum *Epiſcopo* computat, 90. 91. *Epiſcopi* proprium munus eſt docere, 91. Electio Prædicatorum an ad *Epiſcopum* pertineat, 92. 93. Ad juriſdictionem *Epiſcopi* ſpectat inſtitutio & emendatio ſacrorum Rituum, 94. An *Epiſcopo* liceat Breviarium Romanum admittere non expectato conſenſu Metropolitani & Principis, 96. 97. Utrum res Eccleſiæ poſſint alienari ſine conſenſu & autoritate *Epiſcopi*, 100. *& ſeq.* De *Epiſcoporum* juriſdictione correctiva, 102. In quibus verſetur, 103. Correctionis modus, 103. & 104. *Epiſcoporum* juriſdictio ordinaria quid ſit, 106. In quo ſita ſit, *ibid. & ſeq.* Utrum *Epiſcopus* ordinariam juriſdictionem habeat in ſua Diœceſi, 106. 107. *Epiſcopi* juriſdictio alia civilis eſt, alia criminalis, 106. 109. *Epiſcopis* olim licuit imponere penſiones Beneficiarias, & quare, 133. 134. An *Epiſcopum* ſpectet cognitio de ſartis tectis Eccleſiarum, 137. & ſeq. *Epiſcopi* eſt lites & controverſias dirimere quæ in proceſſionibus ſuboriuntur Cleticos inter & Regulares, 139. Ejuſdem eſt locum & ordinem ponere Laïcis, etiam Dominis loci in Eccleſiis, 140. *Epiſcopi* partes ſunt gradum & ordines cuique Clerico, Diacono, Preſbytero, &c. conſtituere in Eccleſia, 141. *& ſeq.* Juriſdictio *Epiſcopalis* in Clericos in criminalibus, 143. Ab ipſis Arianis defenſa, 144. Huic modus impoſitus à Juſtiniano, 145. De cauſis Fidei & de Hereticis *Epiſco-*

*porum* est cognoscere, 149. quare, *ibid.* Idem argumentum multiplici auctoritate firmatum, 149. *& seq.* Ad *Episcopum* pertinet censura & approbatio Librorum, de Fide & Religione, 152. 153. Juris *Episcopalis* est cognitio de Magis & Sortilegis, 154. *& seq.* Apud *Episcopum* judicandum crimen de simonia, 157. Conspirationis crimen in *Episcopos* cujusnam sit fori, 201. Quàm frequens crimen illud in Gallia olim fuerit, 202. An *Episcopus* compelli possit postulantibus monitoria concedere, 225. An *Episcopo* liceat mutare modum sacri servitii debiti ex pacto vel contractu inter Plebanum & Parochianos, 226. Utrum *Episcopus* cognoscat de jurejurando & perjurio, 228. An *Episcopus* cognoscat de jure Patronatûs inter Laïcos, 229. Quo sensu & quare *Episcopus* est executor Testamentorum & Legatorum piorum, 230. An cognitio de Feudo eleemosynæ pertineat ad *Episcopum*, 231. An cognoscat *Episcopus* de re funeraria, 232. *Episcopis* fuit pene censoria jurisdictio in Magistratus, 235. *Episcopi* derelicto Judice civili, passim electi arbitri litium inter Laïcos, 236. 237. Quando *Episcopi* per se jus dixerint, 247. Utrum *Episcopus* teneatur creare Vicarium in spiritualibus & temporalibus, 248. *& seq.* An præter Vicarium instituere debeat Officialem, 253. & seq. *Episcopus* causas ad forum ecclesiasticum spectantes, audire potest in omni Diœcesi, 255. An *Episcopus* judicare possit in quacumque parte Diœcesis, 255. Ratio dubitandi, *ibid. & seq.* An possit jus dicere in Ecclesia, 256. An Senatus sit competens Judex in criminalibus causis *Episcoporum*, 262. *& seq.* Rationes *Episcopalem* urisdictionem impugnantes afferuntur & refelluntur, 263. 264. & seq. *Episcoporum* jurisdictio delegata ex Canone, vel ex mandato summi Pontificis, 271. 272. Quid sit & in quo consistat, *ibid.* Jurisdictio temporalis *Episcoporum*, 273. *Episcoporum* Vicedominus, 274. Invidiosa potestas *Episcoporum*, 277. Metropolitanus Judex ordinarius *Episcoporum* Suffraganeorum, 307. An idem jus habeat in subditos eorum, 308. Ad quem pertinet confirmatio & consecratio electorum *Episcoporum*, 314. *& seq.* Ordinationis & consecrationis *Episcorum* solemnia, 315. Sententiæ in *Episcopos* quomodo latæ, 5.* In quibus differant *Episcopi* à Magistratibus ratione judiciorum, 6.* Utrum *Episcopi* habeant multæ dictionem, 12.* *Episcoporum* depositio, 60.* Restitutio, 65.* *Episcoporum* postulatio, 68.* & seq. *Episcoporum* translatio, 71.* *& seq.* Erectio, unio, divisio, translatio, & suppressio Sedium *Episcopalium*, 74.* *& seq.*

*Excommunicatio* quid sit, 29. * *Excommunicatio* maxima pœna inter Canonicas, *ibid. & seq.* Hujus pœnæ usus antiquissimus & salubberrimus, 29.* initia, ibid.* *Excommunicandi* jus ad quem pertinet, 30. * quibus de causis infligatur *excommunicatio*, 31. * *Excommunicatio* quotuplex, 32.* *Excommunicatorum* pœnæ, 33.* *Excommunicatus* à proprio Episcopo non est restituendus ab alieno, 34.* Varia *excommunicationum* genera, 35. 36.* An judice seculari sic jubente *excommunicatus* à judice ecclesiastico absolvatur ad cautelam, 267. *& seq.* utrum Officiales regii *excommunicari* possint pro exercitio jurisdictionis temporalis, 270. * *Excommunicati* ignorantes qui ad Ordines sacros promoti sunt, 96. *

*Exempti*, quare sic dicti, 272. *Exemptorum* ordinarius judex, 273. *Exemptio* monasteriorum, quid sit, 82.* Cujus sit Ecclesias *eximere*, ibid. Variarum *exemptionum* exempla, 82. 83.* *Exemptionis* effectus, 83.* *Exemptorum* judices, 84.* Utrum Episcopus Ecclesiam in sua diœcesi *eximere* possit, *ibid.*

*Exorcistæ* an inter ecclesiasticos Ordines recensendi, 115. *& seq.* * *Exorcistarum* gradus & officium, ibid. *Exorcistæ* noti etiam Paganis, 115.*

F

FALSI crimen in litteris apostolicis cujus sit fori, ecclesiastici an secularis, 178. *Falsi* crimen in contractu regio signo munito apud quem judicandum, 195. 196.

*Fevretius.* Jurisdictio ecclesiastica adversus *Fevretium* vindicatur. 1. Constitutio Constantini contra eundem ut genuinus ipsius fœtus adstruitur, 19. 20. Notatur *Fevretius* 66. 90. 91. 94. 112. 113. 126. & seq. 136. 146. 156. 157. 159. 161. 177. 226. 227. *& alibi passim.*

*Fides.* De causis *fidei* cognitio ad quos pertineat, 149. Cujus est causas *fidei* definire 56. * In dubiis *fidei* ad quem confugiendum, 59.*

*Foresta* jus an regium, 204. utrum cuilibet licitum fuerit *forestam* instituere sine consensu Regis, *ibid.*

*Fori* privilegium quid sit, 112. utrum huic renunciare liceat, 114. quibusnam in casibus amitti possit, 115. *& seq.*

*Fossores* an sint inter Ecclesiasticos ordines collocandi, 111.* Eorum officium, *ibid.*

*Francorum* Reges jurisdictionis Ecclesiasticæ vindices, 27. *& seq.* 30. *& seq.*

*Funeraria* res. vid. *Sepultura.*

G

GALLIA. Crimen perduellionis in Episcopis & Clericis utrum in *Gallia* fuerit Ecclesiastici fori, 181

*Gallicanæ* Ecclesiæ commendatio, 237. Consensus exterorum Principum in judicium Ecclesiæ *Gallicanæ*, 237. 238

H

HERETICI. Cognitio de *Hereticis* quos spectet, 149. 151. utrum crimen *Hæreseos* mere sit ecclesiasticum, *ibid.* judices Regii in concursu cum Episcopis, an & quomodo cognoscant de crimine *hæreseos*, 154. *Hereticorum* pœna canonica fuit perpetua custodia, 45.* quare, *ibid. Hæreticorum* pœna etiam fuit recluso intra muros, 45.* Cujus est *hæreticos* damnare, 57

*Homicidii* cognitio quoad Clericos ad quem pertineat? 170

*Homicidium* qualificatum quid sit, 179. utrum *Homicidium* qualificatum sit privilegiarium, *ibid.* de *homicidio* per monomachiam quid sentiendum, 180

I

ILLEGITIMI, quomodo & à quo ad Ordines possint promoveri, 94.*

*Impuberes*, utrum matrimonium possint contrahere, 211. Quis cognoscat de nuptiis inter *impuberes*, ibid. Utrum nuptiæ inter *impuberes* quæ ab initio non valent, ex post-facto convalescant superveniente consensu post pubertatem, 212

*Incastellatio* Ecclesiarum vetita, 207. 208.

*Incendium.* utrum censeatur inter casus privilegiarios, 187. *Incendium* in Clericis à quo plectendum, ibid.

*Incestus* spiritalis, quid sit, 188. Cur

dicatur *inceſtus*, ibid. An ſit delictum commune an privilegiarium, 188. & ſeq. *Inceſtus* ſimplex in quo differat ab *inceſtu* ſpiritali, 191. *Inceſtus* ſimplex jure gentium prohibitur, *ibid.* utrum *inceſtus* ſimplex ſit fori eccleſiaſtici in Clericis, 191.

*Indulgentiæ* plenariæ & non plenariæ. 89. * *Indulgentias* plenarias quis poteſt concedere, 89. * *& ſeq.* quis non plenarias, 90.* Varii caſus propter quos *Indulgentiæ* concedi ſolent, 91.*

*Injuriarum* cauſa in Clericos utrum ſit fori eccleſiaſtici, 175. Si Clerico irrogata ſit *injuria* à laïco, an de re cognitio erit judicis eccleſiaſtici in laïcos, *ibid.*

*Inſinuatio* ſententiarum eccleſiaſticarum apud acta provincialia, 284.

*Interceſſiones* Eccleſiæ pro reis ne in eos ſæviretur ad necem, 8. *

*Interdictum*, quid ſit, 37. * Forma & cauſæ *interdicti*, ibid. & ſeq. In generali *interdicto* obſervanda, 41. * *interdicto* modus impoſitus, 41. * 42. *

*Interſtitia* Ordinum, 109.

*Irregularitas.* Cum *irregulari* ob vitium corporis quis diſpenſare poteſt, 96. *

*Juſtitiæ* Eccleſiarum, quid ſint, & ad quem ſpectent, 75

*Judex* Eccleſiaſticus. Vid. *Eccleſiaſticus.*

*Judicia* Eccleſiaſtica. Vid. *Eccleſiaſtica.*

*Juriſdictio* Eccleſiaſtica. Vid. *Eccleſiaſtica.* Quotuplex *Juriſdictio*, 40. *Juriſdictio* correctiva Epiſcoporum, 103. 104. Epiſcoporum *Juriſdictio* ordinaria, in quo verſatur & præcipua ipſius argumenta, 106. *& ſequent.* Vid. *Epiſcopus.*

*Jusjurandi* religio, 228. *Jusjurandum* omnibus contractibus olim apponebatur, *ibid. & ſeq.* An Epiſcopus cognoſcat de *Juramento*, ut declaret ſi licitum ſit & obligatorium, 228.

## L

LAïci feudi quæſtio inter Clericos ad quem pertineat, 122. Quibus caſibus de jure cognoſcat judex Eccleſiaſticus in *Laïcos*, 220. 221. *& ſeq.* An ſummus Pontifex derogare poſſit juri patronatus ſeu *Laïci*, 98. * *Laïci* an inter ordines Eccleſiæ, 109. *

*Lex* & conſuetudo in quo differant, 132.

*Latrocinium* utrum crimen ſit privilegiarium, 186. *Latrocinii* quæſtio etiam in clericis an ſit judicis regii, *ibid. & ſeq.*

*Lectorum* gradus. 112. * Munus & officium, 113. * Ordinationis ejus ſolemnia, 114. * Miniſter, *ibid.*

*Legales* homines, quinam dicantur, 230.

*Legatorum* piorum quis executor, 230

*Libellus* famoſus. Si clericus *libellum* famoſum ſparſerit quomodo & à quo puniendus, 175

*Libri.* Examen & cenſura *librorum* ad quos ſpectet, 152

## M

MAgia. Cognitio de magis ad quem pertineat, 154. utrum *Magia* crimen ſit Eccleſiaſticum, 155

*Magiſtratuum* officio fungentium offenſa quæ per Clericos infertur, utrum ſit caſus regius an privilegiarius, 199. Epiſcopis fuit pene cenſoria Juriſdictio in *Magiſtratus*, 234. Cur *Magiſtratibus* denegaretur communio Eccleſiaſtica priuſquam litteras communicatorias accepiſſent ab Epiſcopo, 233. *Magiſtratus* excommunicari non poſſunt, pro actu exercitii Juriſdictionis temporalis, 270

*Majeſtatis* crimen, Vid. *Perduellio.*

*Martini V.* Pontificis reſcriptum ſuper

cognitione poſſeſſorii in beneficiis eccleſiaſticis, 125
*Martyrum* judicium ejuſque auctoritas, 111.
*Matriculatii* qui ſunt, & eorum officium, 217. *& ſeq.* quare ſic dicti, 216. An judex eccleſiaſticus cognoſcat de rationibus *Matriculariorum*, 217. 218. *Matriculatii* unde aſſumpti, 219 *Matriculariorum* rationes licet Epiſcopo Diœceſim luſtrando inſpicere, non expungere & exigere, 220.
*Matrimoniales* cauſæ. Utrum abbates, Decani, Archidiaconi poſſint cognoſcere de cauſis *matrimonialibus*, 209. Ad quem pertineant cauſæ *matrimoniales*, ibid & ſeq. De *matrimonio* impuberum, 211. Utrum nuptiæ inter impuberes nullæ ſint, *ibid.* An judex eccleſiaſticus cognoſcat de *matrimonio* impuberum, 211. 212.
*Matrimonium.* Gradus in quibus circa *matrimonium* ſummus Pontifex diſpenſare poteſt, 98
*Metropolitanus*, quare ſic dictus, 307. *Metropolitanus* judex in cauſis civilibus & criminalibus ſuffraganeorum Epiſcoporum, *ibid.* Utrum *Metropolitanus* ſit judex ordinarius ſubditorum ſuffraganeorum, 307. *& ſeq.* Quibus in caſibus *Metropolitanus* juriſdictionem habeat in ſubditos ſuffraganeorum, 308. 309. jura & munia *Metropolitanorum*, 311. utrum ad *Metropolitanum* pertineat confirmatio electorum Epiſcoporum, 314. An ad eundem ſpectet eorumdem conſecratio, 315. *Metropolitanus* jus habet præferendæ crucis per univerſam provinciam, 316. Idem habet jus pallii, *ibid.* A *Metropolitano* ad quem provocatur, an ad Primatem vel Sedem apoſtolicam, 319
*Militiæ* ſacræ votum à quo ſolvendum eſt, 99. *
*Milletotius* de cauſis criminalibus Clericorum, 148. Magna ejus de ratione delicti communis & privilegiati diſtinctione interpretatio rejicitur, *ibid.*
*Miſerabiles* perſonæ quæ dicendæ ſint, 215. Quo ſenſu *miſerabilium* perſonarũ cauſæ pertineant ad Eccleſiã, 216.
*Miſſi* Dominici qui ſint & quare inſtituti, 274
*Mixtum* crimen quid ſit, 157. 177. quare ſic dictum, 177.
*Monachorum* initia, patres, fundatores, &c. 86. * *Monachorum* regula prima à ſede apoſtolicâ approbatâ, 87. * *Monachis* non licet prædicare in Eccleſiis parœcialibus ſine licentiâ Epiſcopi, 106. An præpoſitus regularis correctionis cauſa poſſit *Monachum* mittere Romam ad Generalem Ordinis, 46. * Utrum *Monachus* ſolvi poſſit à vinculo Religionis & voto caſtitatis, 98. 99. *
*Monaſterium.* An detruſio in *monaſterium* pœnitentiæ cauſa, ſit pœna canonica, 42. * & ſeq. *Monaſteriorum* fundatio cujus juris ſit, 78. * *Monaſteriorum* exemptio, 82. * vid. *Exemptio.*
*Monetæ* cudendæ jus an ſit de Regalibus, 194. Crimen falſæ *monetæ* in clericis cujus ſit fori, 194. 195. Criminis adulterinæ *monetæ* pœna, *ibid.*
*Monitoria* quis poteſt concedere, 224. quas ob cauſas, *ibid.* An omnes & ſinguli novatores, excommunicati, &c. poſſint *monitoria* impetrare, 224. Utrum Epiſcopus vel ejus Officialis compelli poſſit poſtulantibus *monitoria* concedere, 225. An à conceſſione *monitorii* appellari poſſit tanquam ab abuſu, 226
*Monomachia*, inter perſonas privatas, 181. vid. *Perduellio. Monomachia* in cauſis eccleſiaſticis, 245
*Mortuaria.* Ad quos pertinet de *mortuariis*, re funeraria & ſepulturis cognitio, 232. vid. *Sepultura.*

## N

NUPTIÆ. Presbyteri *nuptias* vetitas filiorumfamilias sine consensu parentum celebrantes, an apud judicem regium conveniendi sint, 200.

## O

OFFICIALIS potestas & munia, 254. Utrum præter Vicarium Generalem Episcopus teneatur instituere *Officialem*, 253. Vicarii & *Officialis* functiones in quibus differant, aut conveniant, 254. Commendatur *Officialium* scientia, 277. 278.

*Officium* sacrum. An Episcopo liceat immutare modum sacri *Officii* quo ex contractu tenebatur erga Parochianos, 226. 227.

*Ordines*. Collatio *Ordinum* ad quem pertineat, 42. An de meritis *Ordinationis* & de sacramento *Ordinis* possint laïci judices cognoscere per appellationem tanquam ab abusu, 43. *& seq.* Si Episcopus quem ex subditis renuat ordinare, ad quem devolvitur *Ordinatio*, 46. 47. Utrum invitus quis *ordinari* possit, 93. * à quo, *ibid.* Ad *Ordines* sacros promovere extra tempora quis possit, 94. * Illegitimorum *Ordinatio*, ibid. Cujus sit ætatis defectum supplere, quoad *Ordines*, 95.* Quis cum bigamis dispenset, ut promoveantur ad *Ordines*, ibid. Dispensatio cum apostata qui in apostasia ordinatus est, ut in susceptis *Ordinibus* valeat ministrare, 95. * Cum *ordinatis* à schismatico, *ibid.* Qui furtivè *Ordinem* suscepit, à quo debeat dispensari, 96.* Cum *Ordinato* excommunicato etiam ignorante solus Papa dispensat, *ibid.* De promoto ad *Ordines*, vel ad Beneficium per simoniam, 96. * *Ordinum* ecclesiasticorum distinctionis ratio, 105. 106. * *& seq.* Interstitia *Ordinum*. 107. * Eorum numerus, 109. * An laïci inter *Ordines* Ecclesiæ, *ibid.*

*Ostiariorum* gradus, 100. * Officium, *ibid.* Ordinationis ejus solemnia, 100. *

## P

DE *Parochialibus* Ecclesiis, & justitiis earumdem, 75. & seq. *Parochiarum* erectio ad quem pertineat, 75. Monachis non licet prædicare in Ecclesiis *Parœcialibus* sine licentia Episcopi, 106.

*Patronatûs* jus, utrum sit temporale, vel spirituale, 229. Quis de jure *Patronatûs* cognoscat, *ibid.*

*Pecuniariæ* causæ quæ sint & quare sic dictæ, 110. 111. An judex ecclesiasticus possit jure vel consuetudine multam *pecuniariam* indicere, 12. * Utrum multa cedat fisco, *ibid.* Utrum Episcopus vel judex possit eam convertere in usus suos, vel Ecclesiæ suæ, 13. * *Pecuniariæ* multæ indictio veterum Pontificum exemplo confirmata, *ibid.*

*Pensiones* super beneficia ecclesiastica, 96 97. * An pro reliquiis census vel *pensionis* Clericus conveniendus sit apud judicem Ecclesiasticum, an apud secularem, 131. Utrum judex Ecclesiasticus possit cognoscere de solutione *pensionis* Beneficiariæ, 133. Episcopis olim licitum fuit imponere *pensiones* Beneficiarias, 133. 134.

*Perduellionis* seu Majestatis crimen cujus sit tribunalis, an civilis vel Ecclesiastici, 181. Ratio dubitandi, *ibid. & seq.* In Hispania Gothorum Reges judicio de Episcopis & Clericis abstinuere etiam in crimine *perduellionis*, 182. *Perduellionis* crimen in Episcopis à quibus hodie judicetur, 183.

*Perjurium* quid sit, 173. cujus sit fori, Ecclesiastici an secularis, *ibid. & seq.*

*ſeq.* An Epiſcopus cognoſcat de *perjurio*, 228
*Philippus* Valeſius Juriſdictionis Eccleſiaſticæ vindex, 275
*Pœnæ* Canonicæ in Clericos mitiores, 1.* Cur. 3.* *Pœnarum* Canonicarum modus, 3.* *& ſeq.* Majores *pœnæ* Canonicæ quæ ſint, 14.* *& ſeq.*
*Pœnitentia.* Ad quem pertineat *pœnitentiæ* publicæ impoſitio, 62. *Pœnitentiæ* publicæ modus, *ibid. & ſeq.* *Pœnitentia* publica non iterabatur & quare, 63. Uſus *Pœnitentiæ* publicæ in Orientali & Occidentali Eccleſia, 64. in Eccleſia Romana tenacius retentus, *ibid.* obſoletus tandem, 64. 65. Uſus *Pœnitentiæ* publicæ à Tridentinis Patribus approbatus, 66. Suadetur inſtitutio *Pœnitentiæ* publicæ, 66. 67. *Pœnitentiæ* injunctio genus pœnæ Canonicæ, 48.* *Pœnitentia* quotuplex, *ibid.* *Pœnitentiæ* gradus, 48. 49.* *& ſeq.* *Pœnitentium* reconciliatio, 51.* *Pœnitentibus* communio data, *ibid. & ſeq.* *Pœnitentium* cauſæ ab Eccleſia ſuſceptæ, 216
*Portio* congrua quid ſit, 135. An *portionis* congruæ cognitio ſpectet ad Epiſcopum, *ibid.*
*Poſſeſſoria.* An judex Eccleſiaſticus cognoſcat de actionibus in rem & *Poſſeſſoriis*, 121. judex ſecularis non poteſt jure communi cognoſcere de *Poſſeſſorio* Beneficii Eccleſiaſtici, 123. Quare, *ibidem.* In Gallia tamen ex uſu forenſi cognoſcit de *Poſſeſſorio* Beneficii, 124. An judex Eccleſiaſticus in petitorio poſſit ferre contrariam ſententiam ei quæ lata eſt à judice laïco in *Poſſeſſorio*, 126. judex ſecularis cognoſcit de *Poſſeſſione* retinenda vel recuperanda, 128. De interdicto adipiſcendæ *poſſeſſionis* judex non ſolet cognoſcere, *ibid.* quare, 128
*Poſtulatio* Prælatorum, quid ſit, 68.* An ſit de gratia vel de jure, *ibid.* *Poſtulatio* in quo diſtet à petitione, 69.* Notatio hujus vocis, *Poſtulatio*, ibid. In quibus differat *Poſtulatio* ab electione, 69. 70.* An confirmatio *Poſtulationis* ita pendeat à ſummo Pontifice, ut etiam Epiſcopus invitus poſſit poſtulari ab illo, 71.*
*Prædicatorum* electio ad quos pertineat, 92. *& ſeq.* 106
*Præpoſiti* Capitulorum, 330. *Præpoſiti* Juriſdictio, *ibid.*
*Preſbyterorum* Gradus, ætas & dignitas, 133.* *Preſbyterorum* varia munia, 135.* *& ſeq.* Ordo *Preſbyterorum* ſenatus Eccleſiæ, 137.* *Preſbyteri* reverentiam & obedientiam debent Epiſcopo, 138.* *Preſbyterorum* tituli, *ibid. & ſeq.*
*Primatum* jura, & vices præcipuæ, 316. 317. A Metropolitano appellatur ad *Primatem*, 319. An omiſſo *Primate*, à Metropolitano appellari poſſit ad ſedem Apoſtolicam, *ibid.* *Primatus* non continet neceſſarium gradum Juriſdictionis, ſed voluntarium, 319
*Principis* munus eſt tueri Eccleſiam, 10. 13. *& ſeq.* Quare, *ibid. & ſeq.* ut Juriſdictio Eccleſiaſtica minime ſuſpecta *Principibus.* 14. *Principes* in propriis cauſis Juriſdictionis Eccleſiaſticæ opem implorant, 30. 31
*Privilegia* Clericorum, 112. *& ſequent.* Vid. *Clerici.*
*Pſaltæ*, an inter Eccleſiaſticos Ordines ſint recenſendi, 114.* *Pſaltarum* officium, *ibid.*
*Pupilli.* Utrum judex Eccleſiaſticus & qua de cauſa cognoſcat de cauſis *Pupillorum*, 215

## Q

QUÆSTIO. An judex Eccleſiaſticus graviorum flagitiorum reos poſſit *Quæſtioni* ſubdere, 10.* & 11.*

## R

RAPTUS quoad Clericos an sit crimen civile, 193.
*Regradatio* quid sit, 26. * à quo cepit exordium, 28. * Quotuplex *Regradationis* genus, 27. * 28. * *Regradationis* pœnâ qui plectendi, 27.* Adversùs quos *Regradationis* pœna decernenda, *ibid. & seq.*
*Religionis* votum. Utrum ab eo quis absolvi possit, & ad seculum redire, 99.
*Religiosi* Ordines à quibus olim approbati, 86. * A quo nunc approbandi, 87. *& seq.* 89.* Novorum ordinum institutio, absque approbatione sedis Apostolicæ, vetita, 88. *
*Reliquiarum* translatio à quo & quomodo facienda, 71.
*Reorum* neci Clerici ne interfint, 11. *
*Residentia.* Quis de non residendo in perpetuum in curatis Beneficiis dispensat, 97. 98.*
*Rituum* sacrorum institutio & emendatio ad quem pertineat, 94. 95.
*Romanus* Pontifex. Causæ reservatæ *Romano* Pontifici, 54. *& seq.* vid. *Causæ* majores. Sedis *Romanæ* autoritas, *ibid & seq.* Casus varii in quibus *Romanus* Pontifex solus dispensat, 93.* *& seq.* 98. * *& seq.* Pontifex *Romanus* solus potest sententiam suam revocare, 102.* Quare, *ibid.*
*Rotæ* pœna, quæ sit & quibus imponenda, 185.

## S

SACRILEGIUM. Utrum sit crimen mere Ecclesiasticum, 159. an mixti fori, *ibid.* Ad quem spectat cognitio *Sacrilegii*, 159. 160.
*Sacrorum* interturbatio, cujus fori sit, Ecclesiastici an secularis, 161.
*Salvagardia.* Cujus est *Salvas-gardias* apponere, 196. Infractio *Salva-gardiæ* regiæ an ad judicem regium pertineat, *ibid.*
*Sanctorum* canonizatio, initia ejus, solemnia, & minister, 85. * *& seq.* vid. *Canonizatio. Sanctorum* Canonizatio ad quem pertineat, 69. *& seq.* De translatione reliquiarum *Sanctorum*, 71.
*Sanctiolum* atrium, quid sit, 11.*
*Schismatici* qui ad Ordines promoti sunt, 95. *
*Secretum* seu *Secretarium*, quid sit, 283
*Sellæ* pœna quæ sit, 185. Quibus id pœnæ genus irrogatum, *ibid.*
*Sententiarum* ecclesiasticarum insinuatio apud acta Provincialia, 284.
*Sepultura. Sepulcra* sunt loca religiosa, & quare, 232. 233. *Sepulcrorum* reficiendorum cura ad quem spectat, *ibid. Sepultum* cadaver erui & transferri non potest sine decreto Pontificum, seu jussu Principis, 232. *Sepultura* quid spirituale, *ibid.* Quis de re *sepulcrali* cognoscat, 233.
*Simonia*, quid sit, origo ejus, à quo primùm damnata, 157. Utrum cognitio de *simonia* sit Judicis ecclesiastici, *ibid. & seq.* Quis dispensat super *simonia* & confidentia, quæ committitur in Beneficialibus, 96.* Utrum absolutio Pontificia de crimine *simoniæ* prosit in foro exteriori, 96.* An *simonia* semel contracta purgari possit absque amissione Beneficii, *ibid.*
*Sodomia* in Clericis utrum sit ecclesiastici fori, 191. Spenserus ob *Sodomiam* capite damnatus, 192.
*Sors*, utrum quandoque in causis ecclesiasticis dirimendis admittenda sit, 246.
*Sortilegus.* Ad quem spectat cognitio de *sortilegis*, 154. An *sortilegium* ubi maleficium accedit, sit casus regius, 156.
*Stuprum* virginis consecratæ, an sit

adulterio gravius, 189. Hujus pœna, 190.
*Subdiaconorum* inſtitutum, 117. * Gradus & officium, 118. *
*Suſpenſio*, quid ſit, 14. * Hujus cenſuræ uſus, ibid. *Suſpenſionis* uſus ſalutaris, 14. * *Suſpenſionis* effectus, 15. * *Suſpenſus* non poteſt eligere neque eligi in Beneficiis electivis, *ibid.* Idem non poteſt conferre Beneficia, 15. * Aliæ *ſuſpenſorum* pœnæ, 16.* *Suſpendendi* modus, 15. * Utrum *ſuſpenſio* per appellationem ſuſpendatur, 17*. An *ſuſpenſio* lata ad tempus ſolvatur abſque ulla abſolutione, elapſo tempore, *ibid.* Ad quos ſpectet *ſuſpenſio*, 17.*
*Synodi* convocatio, utrum ſit Epiſcopalis Juriſdictionis, 87. An Abbates cogendi ſint venire ad *Synodum*, 88. 89. *Synodaticum* quid ſit, 90. Modus *Synodatici*, 90. 91.

## T

Testamentorum & legatorum piorum quis executor, 230.
*Thori* ſeparatio, quas ob cauſas fieri poſſit, 211. Quis cognoſcat de ſeparatione *thori*, ibid.
*Tranſlatio* Epiſcoporum ab una Sede ad aliam, utrum fieri poſſit abſque autoritate Sedis Apoſtolicæ, 71. * Apud Orientales varia *Tranſlationum* exempla ſola autoritate Metropolitani vel Primatis, *ibid. & ſeq.*

## V

Vasorum ſacrorum benedictio, 55.
*Venatio* jure naturali ſingulis permiſſa, 202. Strictè olim & ſub gravibus pœnis omnibus prohibita in toto regno Angliæ, *ibid. & ſeq.* Utrum jus *venandi*, jus ſit regium, 203.
*Veneficium* in Clericis utrum ſit fori eccleſiaſtici, 171.
*Veſtalium* ſtuprum, & ipſius gravitas, 189. Hujus criminis pœna, *ibid. & ſeq.* De ſtupro *Veſtalium* penes quos judicium fuit, 190.
*Vicarius* generalis Epiſcopi. Utrum Epiſcopus teneatur creare *Vicarium* generalem in ſpiritualibus & temporalibus, 248. Si Epiſcopus moram faciat in eligendo *Vicario*, ad quem optio *Vicarii* devolvatur, *ibid.* Poteſtas & munia *Vicarii* generalis, 249. 250. Utrum *Vicarius* Epiſcopi nuda voluntate & nutu revocari poſſit, 251. Qualis debeat eſſe *Vicarius* generalis, Clericus an Laïcus, 252. An Epiſcopus eſſe poſſit *Vicarius* alterius Epiſcopi, 252. *Vicarii* Epiſcopi officium an ceſſet præſente Epiſcopo, 253. An expiret morte Epiſcopi, ibid. *Vicarii* generalis & Officialis munia in quibus differant, 249. 254.
*Vicedominus* Epiſcoporum, quare ſic dictus, 244. *Vicedomini* officium, *ibid.*
*Viduarum* cauſæ apud quem agendæ, 215. Quo caſu Judex Eccleſiaſticus cognoſcit de cauſis *viduarum*, ibid.
*Virginum* velatio utrum ſit Epiſcopalis Ordinis, 59. 60. Pro conſecratione *Virginum* certi dies ſolemnes erant conſtituti, *ibid.* Abbatiſſis *Virgines* conſecrare non licet, 60. Hodie Preſbyteris licet recipere profeſſionem Monialium, ſeu *Virginum*, ſed non ſine autoritate Epiſcopi, ibid. *Virginis* ſtuprum. Vide *Stuprum.*
*Vis* publicæ cognitio, an ſit judicis regii, 184.
*Viſa*, An Judex ſæcularis cognoſcat de cauſis repulſæ, ſeu refutûs Litteratum quas vocant *Viſa*, ſuper proviſionibus Pontificiis, 129. Si Epiſcopus renuat conferre Benefi-

cia, in tali casu quid agendum, *ibid.* Usus antiquus, 129. Hodierna praxis, *ibid.*

*Visitatio* Diœcesis Episcopalis est Jurisdictionis, 84. *Visitatio* præcipuum munus Episcopi, 85. *Visitanti* Episcopo quid debeatur, 86. Utrum à *Visitatione* Episcopi liceat appellare, 87.

*Ursicinus* Cadurcensis Episcopus, ob crimen perduellionis damnatus, 181.

*Usurarum* crimen est Ecclesiasticum, & fori ecclesiastici, 162. Quare, *ibid.* An *usurarum* crimen possit dici mixtum ecclesiasticum & seculare, 163.

EXPLICIT INDEX.

---

## *EMENDANDA.*

PAg. 2. *lineâ* 13. Fautorum, *lege* Fautorem. *Ibid. lin.* 32. Ecclesiastica, *lege* Ecclesiasticæ. *Pag.* 3. *lin.* 9 præter, *lege* Prætor. *Ibid lin.* 10. Famen, *lege* tamen. *Pag.* 4. *lin.* 29. Fit. *lege* tit. *Ibid. l.* 32. id. *lege* in. *Pag.* 5. *lin.* 10. habet, *lege* habent. *Pag.* 6. *lin.* 33. iniquies, *lege* inquies. *Pag.* 7. *l* 30. fori, *lege* fori, *Ibid. lin.* 32. incomparhliter *leg.* incomparabiliter. *Pag.* 13 *lin.* 8. Magistratum, *lege* Magistratuum. *Pag.* 28. *lin.* 6. judicet, *lege* judices. *Pag.* 34 *lin.* 4. affatus, *lege* affatus. *Pag* 42. *initio cap.* Ordinem, *lege* Ordinum. *Pag* 45. *lin.* 7. incarum, *lege* incassum. *Pag.* 49. *lin.* 18. in fonte cùm, *lege* in fronte cum. *Pag.* 72. labius, *lege* latiùs. *Lin. seq. lege* Cantabrigiensem. *Pag.* 18. *lin* 2. *titul. cap.* 2 obnoxiis publici, *lege* obnoxii publicis. *Pag.* 131. *ad tit. idem cap. lege* in Clericos... conventos. *Pag.* 197. *sub finem*, præstar, *lege* præstare. *Pag.* 204. *lin. pennult.* contesta, *leg.* contexta.

BMVR TOULOUSE

419260_1021